R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO BVRGENSIS SOCIETATIS IESV,

COMMENTATIONES
Selectæ Ethicæ Politicæ,

IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

Ex Interpretibus & Neothericis & Antiquis Donato præsertim.

INDICE LOCVPLETISSIMO
Rerum & Verborum illustratus.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT



LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.
M. DC. LXII.
Cum Superiorum permissu.

Ad Lectorem.

EN tibi, Lector, non commentaria, quod multi alij doctissimè; sed obseruationes, quas COMMENTATIONES inscripsi, breues illas quidem, sed mehercule acutas, Ethicas Politicas ex Maronis Interpretibus aliquo studio, & labore collectas. Plurimas ingeniosus omninò Donatus contulit, multas alij Interpretes antiqui, & Neotherici: Meum nihil in hoc Opere prætèr industriam, & in absolutissimum hunc Poëtam affectum. Dolebam enim nullum adhuc hanc operam suscepisse, vt quæ acutè, quæ argutè Maro dixisset ad omnem hominum institutionem, (nam *quæ pars virtutis*; ait Antonius Mintur. *Quæ ratio morum est, quam ille plenissimè non expresserit?*) Ex multiplici Interpretum commentario colligeret: non, vt jacent, sententias concinnando, sed cum aliquo acumine,

& ſplendore dictionis altiùs eas inueſtigando, (nam quæ non acuta in acuto Poëta? quæ non ſplendidè dicta in Poëtarum Principe Commentatores excogitarunt?) Theſaurus profectò *locuples* Æneis eſt Virgiliana, vt ait Louianus apud Zerdam, & Penus *Diues*, vt dixit Auguſtus, eo verſu,

Ah! ſcelus indignum, ſoluetur littera diues?

Et *ſalutare* emporium, vnde peti virtutum omnium virtutūm documenta poſſunt, quibus & melius & ciuiliùs viuas, vt ait Seneca cap. 9. de Breuitate vitæ; *Diuino furore inſtinctus Maro* ſalutare *carmen canit*. Pulchrè & verè Donatus, in Præfat. ad Æneidem. *Habet multa, quæ diſcant patres, & filij; mariti, & vxores; Imperator & miles; ciuis optimus, & patriæ ſpectatiſsimus cultor. In laboribus optimum quemque Reip. cauſa fortunam, & ſalutem debere contemnere. Magiſterio eius doceri poſſunt, qui ſe ad Dei cultum, & futura noſcenda conferunt: qui illæſas amicitias amat; item, quid metuat, qui fluxam fidem gerit; quales debeant eſſe homines, quorum præſidia neceſsitate poſtulantur, ne arrogantiæ, aut inhumanitatis crimen incurrant.* Et Zerda in Maronis Elogiis cap. 3. *Oculte, cùm minùs putes, latent in hoc Vate officia boni Principis, ducis, militis, patris familias; præterea religionis, pietatis, iuſtitiæ, temperantiæ, prudentiæ; deni-*

que

que virtutum omnium exempla mira. Huius rei longissimum elogium est in Landino, vbi ait, res omnes tàm quæ ad virtutem, quàm quæ ad naturam pertinent, eminentissimè contineri in hoc Vate. Et absolutè Macrob. lib.1. in Somn. Scip. *Virgilius, quem nullius vnquam disciplinæ error inuoluit.* Quid potuit grandius? quid excellentius?

Ex hoc ergo locupleti Thesauro, ex hac diuite Penu, ex hoc salutari Emporio, quæ ad ethicam & politicam maximè spectant, in has breues *Commentationes* aliquali industriâ & labore congessi. Interpretibus, præcipuè Donato, quidquid acutè, quidquid argutè, quidquid ingeniosè dictum reperias, acceptum referas, & illorum ingenio de acumine gratulare, mihi de affectu. Animus fuit aliquas ornare sententias, & Virgilianas gemmas comparatis hinc inde aliorum scriptis includere; sed Deus bone! quot ad hoc volumina? Nudas illas propono, sed profectò non inde; superinduxi enim super interpretem, qui fulciat acumen; cuius verba si aliquando ad rem quam ego & Poëta excogitaui, non aptari satis videantur, sed trahi, iudicij crimen est mei, non interpretis. Hæc te monitum volui; Tu quidquid peccatum est, vel innue sine naso, vel mone sine dente.

DE DON

DIEGO PHELIPPE XVAREZ

BENEFICIADO DE FALCES,

AL R. P. SEBASTIAN DE MATIENZO,

de la Compagnia de IESVS,

Autor de las Commentationes.

Sobre PVBLIO VIRGILIO MARON.

SONETO.

MAtienzo, si Pytagoras te viera,
Por alma de Virgilio te adorara;
Pues tanta erudicion, imaginara
Que solamente enti cauer pudiera.
Aspirando à mas nombre, se creyera
Que ambiciosa tu cuerpo lisongeara;
Mas aunque todo enti se transformara,
Corta lisonja à tanto ingenio fuera.
Error fue de gentil, falsa dotrina:
Que à ser verdad, creyera yo que viue
Antes Virgilio, por el alma tuya.
Pues vemos, que tu pluma peregrina
Eterniza su cuerpo, en lo que escriue;
Y almale da, sacandole la suya.

IOannes Antonius Velazquez Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Castellana. Potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. Mucio Vitteleschi Societatis IESV, Præposito Generali facultatem facio vt typis mandentur Commentationes Selectæ ex P. V. Maronis Æneiden à P. Sebastiano de Matienzo nostræ Societatis compositæ & grauium doctorumque hominum iudicio approbatæ, in quorum fidem has litteras dedimus manu & sigillo nostro munitas Vallisoleti 28. Augusti anno 1641.

F. IOANNES ANTONIVS VELAZQVEZ.

Has

APPROBATIO.

HAs in Virgilium R. P. Matienzo Elucubrationes in lucem prodire nihil prohibet : actum Lugduni die vndecima Ianuarij 1662.

F. I. ROBE'.

PERMISSIONES.

VIſa approbatione non intercedo Regis cauſa ne Liber cuius Titulus eſt, R. P. *Sebaſt. de Matienzo Societ.* I E S V *Commentationes in P. Virgilij Maronis Æneiden*, imprimatur, & in lucem edatur ab HORATIO BOISSAT, & GEORGIO REMEVS. Huiuſce ciuitatis Bibliopolis cum Prohibitionibus aliis omnibus Bibliopolis in hoc caſu fieri ſolitis: Lugduni, die 11. Ianuarij 1662.

VIDAVD.

FIat iuxta conſenſum Procuratoris Regij, die duodecima Ianuarij 1662.

SEVE.

R. P.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER PRIMVS.

ALIQVI ineptè putant erraſſe Virgilium, qui in ipſo ſtatim Æneidos ingreſſu *Arma* primo loco poſuerit, ſecundo verò *Virum* Æneam; 1 Labores præcedant gloriæ neceſſe eſt.

Arma Virumquè cano.

Sed prudentiſſimè ſanè præpoſuit ille cauſam effectui, ſudorem palmæ, luctam coronæ, gloriæ laborem. *Arma* (inquit Seruius) *ideſt bellum, per Metonymiam; quoniam illis in bello vtimur.* Zerda; *Arma intelligit Latina arma, quibus implicatus cum Turno Æneas; ideò, Multa quoque & bello paſſus, in quibus quid non paſſus?* Virum (inquit Landinus) *hominem plurimis maximiſquè virtutibus præditum.* Vndenam *Præditum?* ab armorum exercitatione, ac perpeſſione laborum. Præponantur ego ſuo iure *Arma*, *Virum* ſubſequatur. Vindicauit ab hac calumnia Virgilium Donatus, & ad rem meam ita ſubſcribit. *Hoc loco plerique arbitrantur erraſſe Virgilium, vt primò*

Rem, deinde Personam poneret; sed falsò cri minantur, quem constat in Propositione liberam ordiendi habuisse licentiam. Ordinem est ille ab ingenio mutuatus. *Præmisit Arma, deinde Virum addidit, non vt sexum significaret, sed viri excellentiam, qui Romani Imperij author & conditor esse meruerit; qui terrâ mariquè iactatus, multa aduersa tolerando, ac ferendo transmiserit; qui Iunonis inimicitias, & reliquorum factiones superarit.* Vt tantam ergo sibi pararet gloriam, vim subijt armorum priùs, & labores expertus est. Præmittantur igitur *Arma*, quibus talis tantusquè *Vir* euasit Æneas.

2 Verè ille dicendus est Vir, qui nô cedit aduersis.

Non te hîc prætereat notula illa Donati, qui Viri nomine dignissimum iudicat, qui nullis vnquam cedit aduersis; qualis in Virgiliano figuratur Ænea. *Virum* (inquit) *dixit, qui terra mariquè iactatus, multa aduersa tolerando, ac ferendo transmiserit.* Pleno (quod aiunt) ore ille Vir appelletur, qui aduersis premitur, non tamen opprimitur.

3 Præsentia à nobis Deus auferre solet, vt futura inquiramus.

Ingeniosè Donatus in illa verba,

Troiæ qui primus ab oris.
Italiam fato profugus &c.

Inquirit, cur Æneæ Troia eripitur fato, inflammatur, exscinditur, cum ad imperium vocatur Italiæ? honorificentius illi non esset, atque gloriosiùs & Troiæ & Italiæ dominari? Præsentia (respondet) auferunt Dij, & Troiæ excidium, ruinamquè permittunt, vt sic Æneas ad futuri imperij quò vocabatur, inquisitionem faciliùs festinaret; liberiùs illud ac lubentiùs appeteret. Nihil de patria Troia restet illi necesse est, præter *Campos, vbi Troia fuit* sic enim & promptior & aptior Rom. imperij molestor erit, & author. Donatum audi. *Certè & illud sentiendum, non malo fatorum voto, Iliensi imperio excidium extitisse, sed ne esset quod in Asiæ partibus eum detineret, qui constituendo Romano Imperio dignus author & conditor parabatur.*

Te exue omninò tuis rebus, vt altiora moliaris.

4 Quasi vi à Deo in labores impellimur, vt maius inde nobis emolumentum accrescat.

Adeò nostræ vtilitati consulit Deus, vt, cum necessaria sint via labores ad gloriam, nos in illos impellat, vt hanc assequamur. Ideò Æneas est

Terris iactatus & alto,
Vi Superûm.

Quasi vim Superi inferebant Troiano, & illum terraquè mariquè iactatum lubentibus oculis intuebantur, (sic enim actiuè accipio *Vi Superûm*) iactatum inquam illum, qui ad summam gloriam, & felicitatem hâc regiâ viâ deducebatur. Ad quam verò gloriam? audi.

Genus vnde Latinum,
Albaniquè patres, atquè altæ mœnia Romæ.

Pulchrè Ascensius ex Donati penu. *Vi Superûm dixit, non ob demerita nequè in perniciem, sed in gloriam; quia ex leuiori damno maius emolumentum consequutus est. Genus vnde Latinum, &c.*

5 A Deo le-

Aliud hîc præterea documentum est, Leuitatem laborum cumulatissimâ felicitate rependi. Attende labores *Vi Superûm* immissos Æneæ;

Terris

Terris iactatus, & alto, Vi Superùm Deorum, vt ita dicam, ductatus manu in labores impulsus iactabatur: leues igitur, qui, Deo ductante perferuntur. Gloriæ cumulum vide. uissimi nobis labores sunt, tutissima, largissimaquè felicitas.

Genus vnde Latinum,

Albaniquè patres, atquè alta mænia Romæ.

6 Imperium omnium maximum, quæ terrarum Orbis vnquam suspexit. Vide verò quàm verum sit illud, *Quia ex leniori damno maius emolumentum consequutus est.* Non est ex Dei naturâ pœnas inferre; quasi sibi vim infert, cum in nostra ex merito verbera intendit. Quando Æneas Quasi vim sibi Deus infert, cum pœnam mortalibus infert.

Terris iactatur & alto.

Sapientissimus statim addit Poëta contrà Superûm naturam fuisse iactationem illam inflictam, *Vi Superum* ait, passiuè, ex commentatione Seruianâ, prono enim ad beneficia Dij, ad pœnas verò violento vix feruntur motu. Seruius; *Vi, idest, violentia; nam & Homerus Deos in Troianos à Iunone concitatos scribit. Forzados, y a mas no poder.* Ad rem meam etiam Donatus; *Vis non est, nisi cum sit aliquid extrà leges.* Quasi extra leges sit diuinæ naturæ (liceat sic loqui) inferre supplicia, & sibi vim inferat diuina beneficentia, dum illa decernit. Neotericus quidam Maronis explanator, planè in hunc sensum; *Vi Superùm passiuè accipias; vt significet Poëta Deorum naturam, qui in beneficia proni, procliues in pœnam.*

7 Non solum à culpâ immunem Æneam fuisse constat, cum ita acerbè.

Terris iactatur & alto.

Sed etiam *Insignem pietate Virum.* Et *libro 3. de Æneâ* Priamiquè gente dicitur, nullius affines culpæ subijci pœnis. Fœmina litigans quid non expugnat?

Postquam res Asiæ, Priamiquè euertere gentem.

Immeritam visum Superis.

Immeritam vocat Priami gentem. Quare ergo in immeritos ita sæuit pœna districtior? Litigabat contra Troianos *fæmina, & illustrissimas fæmina*, & *pulcherrima*, quæ per vim potuit vel ab ipsis Iudicibus Dijs damnationis contra aduersarios extorquere sententiam, quamuis illorum innocentia tantæ reclamaret iniuriæ. *Vi Superum* quod petebat Iuno, fuit assequuta, quæ se læsam gemebat à Paride. Maximè si illustris. Et pulchra.

Et sæuæ memorem Iunonis ob iram. Et irata.

Vt sæuientis fæminæ iræ seruirent Dij, fæmina fecit, neque aliam Dij possunt iniuriæ illatæ Asiaticis causam proferre, quàm sollicitiorem, fæminæ litigantis conatum, quæ tales tantosquè potuit Iudices à veritate distrahere. Donatus, *Vis non est, nisi cum sit aliquid extrà leges, hoc est, contra fatum.* Et fata fuit inuerti Iuno, & pessundari leges; Deorum vel tribunal ipsum in suum illa traxit obsequium. Præclarè Donatus ibi; *Vt autem ex hoc quoquè excusaret Æneam* (Virgilius scilicet) *qui nihil tale de Superis meruerat, addidit.*

Et sæuæ memorem Iunonis ob iram;

Hoc est, non propter Æneæ aliquam culpam hæc Superos fecisses, sed vt obsequerentur studio, & voluntati Iunonis. Vt fæminæ obsequerentur innocentis damnarunt caput, & iura, leges, & fata resciderunt Quis ab huiusmodi litigantibus abeat indemnis, cum vel illos ipsos Deos in innocentium causâ enormiter fæmina dementauerit? Fictio omninò extra fidem, sed quæ litigantis fæminæ, illustris, & pulchrę, explicat vim.

8 Iactatus dicitur Æneas & terris & alto, plurimos vtrobique labores perpessus canitur à Marone; sed si consideres qua ille manu flagelletur incommodis, videbis planè non ad perniciem, quod suprà Donatus, sed ad gloriam fuisse vexatum. *Vi Superûm,* inquit Poëta vbi Ascensius: *Reuera fauentes Æneæ Superi permiserunt eum iactari, vt ex aduersitate maiorem gloriam nanciscatur.*

Quæ à Deo in nos proficiscuntur incommoda, commoda sunt.

9 Voluntas Regum etiam intemperans inferiorum ad se voluntates, vel contra leges & iura, solet attrahere. Quid iniquius, quàm innocentem premere, opprimere immeritum? Et tamen *Superûm vi terris & alto* pius iactatur Æneas, ob *Iunonis memorem iram*: vt Reginæ morem gererent Dij *insignem pietate virum* insectantur, & damnant. Notauit Donatus; *Obsequuntur studio & voluntati Iunonis, cui vtpote Reginæ vniuersi, in quam vellet partem, consentire debuerant, & idem velle, quod ipsa præsumpserat.* Nota verbula illa, *Quod ipsa præsumpserat*, in quibus est non vulgare momentum.

Regiæ potestati asseriri, quasi debitum & fatale.

10 Maxima Troianorum miseria fuit, cum à Iunone, quæ nomen à iuuando sortitur, crudeliter sæuèque tractantur. Hoc expendit Landinus in adiectiuo illo Iunonis.

Maxima illa miseria est, cum ij, qui tibi erant opitulaturi, insectantur.

Et sæuæ memorem Iunonis ob iram.

Sæuæ, hoc est, crudelis, inquit, Ostendit ex hac re quanta fuerit Troianorum miseria, cum Dea, quæ à iuuando nomen sortitur, tam iniquè crudelitatem exercuerit. Landini verba ego expendo. Sæpè Principum est, nomen mentiri suum, & aliud præferre nomine, aliud verbis actuquè proferre. Quis illam desæuire crederet, quæ ex vi nominis sui iuuare debuisset? Deinde; nota, Iniquum illum esse, qui sui nominis ac muneris partibus non satisfacit.

Sepè Principum est, nomen mentiri suum.

11 Mirum est in hoc emistichio perperam epitheta accómodari, cùm ita diligens semper sit Maro verborum inspector & sententiarum, vt nullâ vnquam merito possit crisi notari. Quis inquam *iram memorem* dixit.

S ipsa iram est ira mulieris.

Et sæuæ memorem Iunonis ob iram.

Sæuam iram debuisset, *Iunonem memorem.* Ingeniosè commutauit epitheta, & memoriam attribuit iræ, sæuitiam Iunoni, cuius adeò excreuerat furor, vt sui omninò immemor, & mentis impos à se ipsâ exularet; at ipsius Iræ sæuitiam induerat; imò sæuior ipsâ irâ fuit, & illam longè sæuitie superauit; atquè ideò memorem dicat iram, quæ sæua esse solet; sæuam Iunonem, quę memor esse debuit, nisi suprà iram excanduisset. Acuta ergo epithetorum commutatio, infra sæuæ Iunonis iram, ipsam iram memorem dicat, cui suum irata Iuno in hac

parte

parte cessit Epitheton. *Necessaria,* (ait acutissimè Monfortius) *epithetorum commutatio, ad maximum Iunoniæ iræ incrementum, quæ suprà ipsam iram fuit; hæc enim memor dicitur, respectu Iunonis impotis sui, & sæuientis ab irâ.*

Prudenter Donatus *iram memorem* honestos, & Principes viros dedecere notauit hoc loco, *Onerat hoc loco Iunonem, etiam alterius criminis inuidia, quòd inimicitias ipsas, nullâ ex culpâ susceptas, diutissimè ac tenaciter retineret; perindeque indicauit, honestis & probis etiam infestarum inimicitiarum longæuam non conuenire memoriam.* 12

Iræ memores Principem dedecent.

Sæuam Iunonem hoc loco. *Magnam* interpretatur Seruius; & *Potentem* alij apud Donatum; qui communem præfert significatum his verbis, *Re verâ sæuam dixit, quæ persequeretur innocentem, & eum qui esset Deorum omnium, perinde atque ipsius quoque Iunonis antistes, & cultor. Sæua* ergo & *Crudelis* est, quæ innocentem, & beneficum insectabatur. 13

Sæuitia est, vel innocẽtem vel sibi beneficum insectari.

Proferantur causæ necesse est, quibus commota Iuno Æneam terraque marique vexauerit. Has quærit tamen ex Musa Virgilius. 14

Musa mihi causas memora, quo numine læso,
Quidvè dolens Regina Deûm, tot voluere casus,
Insignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit.

De Principum erratis securior tibi semper obliqua narratio.

Non ausus est Poëta rectâ oratione Reginæ Deûm suggillare sæuitiam, obliquâ vsus est. Musam rogat vt proferat, & memoret causas, quò securiorem Vates ac tutiorem sibi orationem præmuniat, ex Augustini Dathi sententiâ, quam probo.

Præstantis animi indicium est *ad vtramque fortunam æquo pede librari*, dixit quidam sapiens. In hunc sensum Landinus interpretatur aptissimè, nullâ admissâ Hypallage, locum illum, 15

Quidvè dolens Reginâ Deûm tot voluere casus,
Insignem pietate virum tot adire labores,
Impulerit.

Præstantes viri suam ipsi fortunam regũt.

Non est Hypallage, inquit; *Nam quamuis à Iunone impulsus sit ad multos casus, ille tamen suâ sapientiâ & animi magnitudine potiùs voluit casus, quàm ab illis volueretur: præstantissimi enim viri potius fortunam regunt, quàm ab illa regantur.*

Animadversione dignum est iterum, cum à Marone Iuno irata fingatur, Iræ epitheton accommodari Iunoni, Iunonis verò Iræ. 16

Sæuæ memorem Iunonis ob iram.

Memoriam attribuit iræ sæuitiam Deæ, rationi potiùs consonum erat suarum memoriã iniuriarum Iunoni tribuere, & iræ Passioni sæuitiam. Illud meo iudicio in causa fuit, quia eã illa efferbuit in iram, quæ rationem excluserit, & potentiarum vsum non eneruauerit solum, sed etiam eripuerit, feritatem relinquens animalitatis, potentiam auferens rationalitatis. Quare aptissimè dixit,

Ira grauis rationẽ excludit feritatem inducit.

S. ua memorem Iunonis ob iram.

Quod rationale eſt adiudicat Poëta feritati, quod beſtiarum ac ferarum, rationalitati deperditæ. Adeò Iuno ira ipſa erat, adeò Ira Iuno ipſa, vt de adiectino *Memorem* accom̃odando Poëta meritò ambigeret, maluit igitur iudicare in Iram Epitheton *Memorem* conuenire, quam in Iunonem, quæ præ furore obruuerat; quia licèt ferus ſit iræ ſemper affectus & ſæuus ſæuiorem contra Troianos Iunonem contemplabatur. Cõmutentur ergo conuenienter Epitheta,& *Saua* Iuno, *Memor* Ira dicatur. Crediderim hanc eſſe Donati mentẽ: *Re verâ Sauã dixit, quæ perſequeretur Innocentem, perindequè indicauit Iunoni non conuenire memoriam.* Quæ rationis vſum præ Ira amiſit *Memor* nullo modo appelletur, epitheton illi aptius eſt, *Saue.*

17 Ambitio ſtudioſiſſimo cuiquè virtutis telum eſt graue.

Rogat Landinus, cur tam acriter aduerſa Troiano Æneæ *Inſigni pietate viro* Iuno fingatur, vt illum. *Tot voluère caſus, tot adire labores, Impulerit?* cuius in illum adeò pertinax ira, vt Dea ipſa iam dudum,

Æternum ſeruet ſub pectore vulnus?

Et allegoricè ſimul & ingenioſè reſpondet; *Nam cum Iuno Dea regnorum ſit, iureque poſſit pro cupiditate imperandi, & pro omni ambitione capi; quid eſt, quod egregium virum ab Italia, ideſt, à contemplatione diuinarum rerum, in qua ſummum bonum eſt, magis amouere poſſit?* Et quidem ambitio, machina certiſſima eſt, & validiſſima omnium ferè, quibus labefactari & expugnari ſolet ſtudioſiſſimus quiſquè virtutis.

18 Coronata Inuidia eſt, quæ commodis ſeſe publicis infert.

Mirè exaggerat Maro, Iunonis inuidiam, cum dicit Æneam terris ab illa fuiſſe mariquè vexatum, tunc maximè temporis, cum ille publicis commodis, & Romani incrementis ſtudebat imperij.

Dum conderet vrbem,
Inferretquè Deos Latio; genus vnde Latinum,
Albaniquè Patres, atque alta mœnia Romæ.

Notauit Donatus hanc exaggerationem inuidiæ; *Concludit mirè,* inquit, *thema ipſum, & Iunonis inuidiam competenter exaggerat, quòd etiam tunc bello Æneam appetiſſet, cum in Italia ciuitatem conderet, cum inferret Deos Romano Imperio, & ſtatui publico profuturos.* His illa obſtabat commodis; quæ autem damna inferebat? Hæc. *Contraquè ſi obtinuiſſet Iuno,* (Donati verba ſunt) *nec Latinum genus, nec Albanos Principes, neque ipſam Romam emerſuram fuiſſe; perindequè nec ipſum Cæſarem culmen Romani Imperij habiturum.*

19 Excitatur Inuidia vel initijs felicitatis, Iunonia.

Non ſolùm plenâ alterius felicitate, ſed ad eiuſdem primordia, & primas quaſi lineas, viuit Inuidia. Quàm acris illa Iunonia fuit ad Æneïæ felicitatis prima cunabula! Vir alioqui pietate inſignis & armis, terrâ mariquè iactatus eſt, propter vmbram futuræ felicitatis;

Multa quoquè & bello paſſus.

Quando verò multa paſſus? *Dum conderet vrbem,*
Inferretquè Deos Latio, &c.

In

In ipſo ſtatim felicitatis initio. Pulchrè Donatus ab Aſcenſio laudatus: *Exaggerat Iunonis inuidiam, quòd Æneam bello appetiiſſet cùm conderet vrbem, & Deos Imperio publico profuturos inferret. Indoluit enim cum moliri iam tecta videret, iam fidere terræ, &c.* Illius maximè pupugit inuidum pectus aliena felicitas pridem nata, nondum adulta. 20

Quàm temperatus ille in Iunonem aculeus eſt, quam Troianis immerito aduerſam ſubiraſcens pungit Virgilius! Non auſus eſt Deorum Regina apertè *crudelem* dicere, *efferam* appellare; Subſtituit vocē, quæ idem occultè ſignificaret, quæquè honorem præferret, ferret aculeum. *Saturniam* vocat,

Temperādi verborum aculei ſunt præcipuè in Principes.

Veteriſquè memor Saturnia belli.

Quæ vox cum *crudeli* conuertitur ex interpretatione docta Landini, *Quaſi dicat* Crudelis, *cum Troianos in hoc loco lædere conetur. Optimus illam Vates à Saturno ſtellâ noxiâ denominare maluit.* Hæc Landin.

Idem argumentum.

Eiuſdem notæ, illud eſt apud eundem Poëtam *lib.* 3. Suggillaturus hìc Regis Polymneſtoris crudelitatem, qui Polydorum perfidus obtruncauerat, non illum apertè *cruentum* vocat aut *perfidum*, ſed *Threycium* tantùm Regem appellat.

Infelix Priamus furtim mandarat alendum.
Threycio Regi.

Hoc eſt *Crudeliſſimo*, vt doctiſſimè Seruius, nam ex Thracia crudeliſſimi olim emersêre tyranni. *A loco*, inquit, *auget crudelitatem; ex quo Diomedes, Lycurgus, & Tereus ſunt, crudeliſſimi omnes.* Neque hìc in Regem, neque illic in Reginam diſtrinxit aculeos, ſed ſub vagina clanculum vulnerauit. 21

Inter iras, & queſtus illud priùs ſolet obiici menti, quod acriùs pungit, & vehementiùs cruentat. Quatuor enumerantur cauſæ quæ Iunonem accenderent in Troianos; ſed quæ *manet alta mente repoſta*, & primo ponitur loco, illa eſt, quâ acriùs pungebatur.

In id primùm erumpis, quod acriùs te pungit.

Iudicium Paridis, ſpretæquè iniuria formæ.

Non aliam primam illa cauſam eligeret, ſi quæreretur, quàm eam, quæ à prudentiſſimo Poëta primâ in fronte præfigitur; adeò altera Naturæ idæa Virgilius eſt, vt expendit Landinus; *Addam, ingenioſiſſimè Poëtam noſtrum, cum cauſas, quæ Iunonem excitabant, poneret, ita narrare voluiſſe vt ipſa, ſi adeſſet narraſſet. Nam, vt ait Cic. à natura & viſu non eſt recedendum. Non enim rationem habuit temporum, ſed ſi irata Iuno loqueretur, ſemper ea prima proferret, quibus magis premeretur, & quia nihil grauius accidit Reginæ, quàm poſtponi minoribus,* 22 *nihilquè moleſtius fœminæ, quàm in iudicio formæ ſuccumbere, iudicium, in quo vtrumquè incommodum eſt, prius dixit.* Pulchrè hic Interpres.

Nihil grauius Principi, quàm poſtponi minoribus.

Ex illo Paridis iudicio (quod Iunoni *manet alta mente repoſtum*) quantæ Troianæ Reip. atquè adeò toti Aſiæ calamitates extiterint, quis ignorat? Cauſam quæris? Veneri addictus ille fuit, atquè ita Veneri ſtuduit, non veritati. Abripitur ſanè Venerei iudicis mens, atquè illò

Iudex, qui nepotulus Veneris eſt, graues Reipublicæ calamitates importat.

abducitur, quò iubet affectus, Augustinus Dathus huius notæ iudices ita damnat in Paride. *Paris idoneus ac iustus iudex esse non poterat; nam dum amoribus potiùs, ac libidinibus obsequitur, quàm sententiæ ac Iudicij veritati studet, Helenam rapiens, magnum, atquè adeò extremum patriæ induxit periculum.*

23 Spretæ iniuria formæ grauissima fœminis.

Miror iniuriam spretæ formæ adeò Iunoni altâ mente mansisse, cum sententiam pastor tulerit, imperitus iudex, rusticus pulchritudinis æstimator, deniquè mortalis homo de Deæ pulchritudine. Sed eâ est fœminis de suâ formâ existimatio, vt vel ab inepto damnata iudice, facilè insaniant. Ad rem Dathus; *Sæuit Iuno ex affectu feminco, etiamsi illius forma mortalium cuiquam, & ei quidem non satis ad ferendam sententiam apto, iudicanda commissa sit.* Quid faceret si damnationis calculum apto tulisset à iudice? *Iudicium Paridis* ergo cum Emphasi proferendum est,

Manet alta mente repostum.

Iudicium Paridis.

Pastoris nimirùm, rustici, imperiti, inexperti: et tamen altâ mente tenetur infixum.

24 Zelotypæ fœminæ insatiabilis furor vel reliquias insequitur.

Adeò *rapti Ganymedis honores*, Troiani, pueri, Iouis amasij, iniquo animo tulit Iuno *Iouis & soror, & Coniux*, vt non contenta per Danaos regnum euertisse Troianum, pauculos etiam Troianorum, quibus ferrum flammæquè pepercerant,

Reliquias Danaûm, atquè immitis Achilli.

Atrociter persequeretur; reliquias, inquam, cruentissimæ tragediæ; vt omnes ad vnum tollerentur. Hunc Dathus Zelotypiæ tribuit effectum, ad Emistichium illud,

Et rapti Ganymedis honores.

Id ferunt, inquit, *tam molestum Zelotypæ Iunoni fuisse, vt sanam in Troianum genus, propter eam cau am, iram conceperit*; quam vel in Danaûm reliquias euomuit.

25 Vel vmbrã supposititij amoris zelotypa fœmina ferre solet atrociter.

Adde ex ipso Augustino Datho; quod sequitur; *Eadem* (Iuno scilicet) *quo tempore cum Carthaginensibus bellum gerebatur, Varroni Consuli irata est, quod formosum puerum in mensa Iouis, ad exuuias tenendas, collocauerat, & ob hanc causam aiunt Romanum nomen apud Cannas penè fuisse deletum. Puerum enim illum Iuno, quasi alterum Ganymedem, verebatur.* Vel vmbram supposititij amoris Zelotypa Dea tulit atrociter. *No sea la de marras!*

26 Augetur ira collatione iniuriarum.

Acutè sanè Donatus expendit, cum Iuno Dea illatarum sibi refricaret iniuriarum memoriam, scilicet,

Iudicium Paridis, spretæquè iniuria formæ,
Et genus invisum, & rapti Ganymedis honores.

Tunc in quam *super his accensam*, dixisse Poëtam. At verò, cum suas ipsa paulò post confert invltas cum ijs, quas Pallas tulerat, & cumulatissimè vindicauerat, *flammato* illam esse *corde* addidisse:

Talia

Talia flammato secum Dea corde volutans.

Superiùs dixit Accensa (verba sunt Donati)*sed plus est Flammato corde: vt ostendat quantum accreuerit ira ex comparatione Mineruæ.*

Quot & quales ductabat Æneas? 27

Troias , reliquias Danaûm.

Ibi sæpè maxima tua laus est, vbi tua laborare fama videtur.

Paucos numero , vtriusquè sexus , imbelles multos , reliquias demum, quas Danaûm , furor , ferrum , flamma reliquos fecerant. Audi Æneam *lib.* 2. qui speciatim enumerat.

Matresquè virosquè.

Collectam exilio pubem , miserabile vulgus.

Harum ductorem reliquiarum quis non contemnat? quis non exsibilet? Sed ibi , si animaduertas , maximus Æneiæ laudis cumulus est ; nam his tantùm fretus reliquijs ad Romanum anhelabat imperium. Præclarè Donatus ; *Acquiritur Æneæ maxima laus, quòd de reliquijs Troiæ Romanum quærebat Imperium.*

Nulla est sine sudore palma, cuius expectatione futuræ non pigrà manu sudor abstergitur. Seruius in hunc sensum expendit carnem illud. 28

Magna premia labores magni præcedant necesse est.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Quid est *Tanta molis*? quam molem dicit Poëta? Laborum molem , periculorum , discriminum ; à fortuna, quam passi sunt Troiani , nam iactabantur , arcebantur , errabant ; à loco vbi passi, nam iactabantur toto æquore , arcebantur à Latio , errabant *maria omnia circum* ; à tempore , quo passi , nam calamitates istæ *per multos annos.* Sciebat Æneas sibi fatis promissam fundationem Imperij , quo ascendere fine maximo sudore non posset: quare hac spe ,& futura felicitate fretus labores consolabatur suos, discrimina adibat , in quæ illum Iuno terraquè mariquè conijciebat ;

Præsentes labores futura leuat gloria.

His accensa super iactatos æquore toto.

Troas , reliquias Danaum , atquè immitis Achilli.

Arcebat longè Latio , multosquè per annos.

Errabant acti fatis maria omnia circum.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Latenter ostendit, ait Seruius , *hinc odium Iunonis Æneam pertulisse , Quòd Romana gentis auctor extabat.* Hâc sibi viâ perueniendum putabat ad tantam Imperij gloriam ; his sumptibus sibi parandum Imperium, cuius expectatione tot laboribus, tot incommodis medebatur.

Vide quàm in specula Iuno fuerit , quàm illa oculatior extiterit, quæ vindictam de Troianis excogitabat ! 29

Cētoculus, & in specula est , qui vindictam quærit.

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum.

Vela dabant læti

Vix illi suppara ventis tetenderant, *Vix inquam; quia erant penè in ipso portu , nam in conspectu Siciliæ*, explicat Zerda; cum subito Iuno

illos speculata, minas intentat, omnia conturbat, vt quæ iniuriarum retinentissima, seruabat enim *æternum vulnus*, & hoc *sub pectore*; nam illud altissimè penetrauerat. Vix cœperat illis allucere felicitas, cum infelicitatem illa molitur; vix sese aperire Troianis commoda cœperant, cum illa grauibus vrget incommodis. Landinus. *Adeò erat intenta his rebus Iuno, vt vix nauigare læti cœperint Troiani, cum ipsa animaduertit.* Argos facta est, vtpotè quæ vindictam excogitando quærebat.

30 Apud mortales tristibus læta miscentur.

Nulla est apud mortales pura lætitia. Ingeniosè Donatus in explicatione huius carminis.

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum.
Vela dabant læti.

Duo illa verba coniungit, *Vix læti*; læti erant, quòd iam fermè præ manibus haberent Italiam; sed vix erant læti; quòd Anchisen miserant in Sicilia. Pura illa lætitia non fuit; quæ talis non datur in terris. Temperantur læta tristibus, tristia lætis *Vix læti dixit*, (inquit Donatus ab ascensio laudatus) *Vtrumquè temperat; nam læti erant, quòd essent propinqui Siciliæ, sed morte Anchisæ contristati, vix erant læti.* Sed fusiùs ipse & meliùs. *Perierat enim in Sicilia Anchises, & proxima erat Italia. Dolebant Anchisæ casum, lætabantur autem quòd haud procul esset Italia, Temperauit igitur vtrumquè Virgilius, & expressit vtrumquè, vt diceret, Vix læti.*

31 Ex tua lætitiâ ijs, qui te oderunt, dolor accrescit.

Iunonis vulnera ad Troianorum lætitiam recrudescunt. Non tam illa commota dolore est quòd vela darent Troiani, quàm quòd *Læti* vela darent;

Vela dabant læti.

Læti nauigant; inde Iunoni, quæ illos perosa iamdudum est, dolor accrescit. Acutè Landinus. *Læti propter propinquitatem Italiæ, quæ res magis Iunonem incendebat. Nam ex inimicorum lætitia magis dolent inimici.* Addo, Ad primam lætitiæ significationem (*vix* enim erant *læti*, vt suprà Donatus) incendi, inflammari Iunonem: vide illam.

Talia flammato secum Dea corde volutat.

Obiter expende illud *Secum*; quasi dicat sine conscio, qui dolorem leniat, volebat quippe iras abere voluntarias.

32 Muliebris ira in sui vindictam aliorum arma vsurpat, & vires.

Quid non audeat affectæ iniuriâ fœminæ furor? Irata Pallas.

Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem.
Disiecitquè rates, euertitquè æquora ventis.

Ipsi eripuit fulmina Ioui, Neptuni vsurpauit imperium, & ipsamet, sine vtriusquè pace, in sui vindictam, & fulmina vibrat, & æquora euertit; *ipsa* inquam; dulcis enim vindicta est propriâ manu quæsita. Grandiùs dixit *Euertit*, quàm *subuertit*, inquit Scaliger Iul. quasi Mare extrà alueum suum verterit. Quid tu Iupiter? Quid tu Neptune? quo animo vsurpatum tulistis imperium? Iratæ Palladis concessistis furori, qui eam fecit in messem alienam (quod aiunt);

feraces

feraces manus immittere. Breuiter apud Ascens. Donat. *Alieno est vsa imperio irata Pallas ; nam Ioui fulmen, & Neptuno imperium arripuit.*

In Aiacem fulmen Pallas detorsit è nubibus ; nequè hoc contenta. 33

Illum expirantem transfixo pectore flammas.

Turbine corripiunt, scopuloquè infixit acuto.

Amoris affectus vel ad halitum durat extremum

Has ego crediderim flammas Amoris esse, non fulminis. Erat quippe Aiax deperdite amans, & ideò à Pallade est quæsitus ad necem.

Ob furias Aiacis Oilei.

Ob furias (inquit Donatus) *quia furore amoris trahebatur.* Et Zerda. *Erat quippe Aiax amore insanus.* Huius ergo amoris flammas expirat, quas, vt aquarum turbine Pallas extinguat, vixdùm assequitur; nam

Turbine corripuit.

Eiusmodi enim illæ naturæ sunt, vt vel fulmineas facilè vincant, iuxtà illud

Omnia vincit Amor

Expugnare pectoris arcem fulmineæ conatæ sunt flammæ ; restitêre tamen, quæ Amoris erant, & victrices ad vltimum vsquè halitum perdurarunt. Audi Galuanum in Varijs cap. 17. *Fortassè Amoris flammas Virgilianus Aiax expirat, quæ nullo alio possunt igne superari, cum Amor ipse omnia vincat.*

Acutissimè Donatus in Emistichium illud. 34

Scopuloquè infixit acuto.

Iræ fœmineæ meta vlla assignari non potest.

Fæmineæ iræ effusissimas damnat habenas. Aiaci Pallas vitam fulmine ademit ; satis superquè suas vlta videbatur iniurias, cum illatorem extinxisset. Sed vlteriùs est illius progressa rabies, aliud excogitauit supplicij genus, quod non solùm corpore lueretur, sed & peruenire posset ad animum. Quodnam illud?

Scopuloquè infixit acuto.

Scopulo voluit infigi, ne fluctuum appulsu deueniret ad littus, & vel leui terrâ, vel arenâ tegeretur exanimis, vt sic citrà Cocytum grauiter cruciaretur (nam insepultis ad Elisios aditus negabatur; Hinc ad Æneam Palinuri insepulti preces in sexto.

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
Injce.

Humanitatem publicam vocat hanc Seneca lib. 5. Benef. *Si terram ignoto mortuo inieci, nullum habeo huius officy debitorem, in publicum humanus.* Hæc lege iubebatur humanitas, vt ait Ælianus lib. 5 variæ historiæ cap. 14. *Lex Attica fuit, vt qui in cadauer insepultum hominis incideret, saltem ei terram injceret.*) Quod ergo ipsa humanitas postulabat, quod iubebatur lege, irata Aiaci Dea ipsa prohibuit, vt sic miseri hominis duplicato supplicio satiaretur. *Ostendit vim iræ,* inquit Donat. *Voluit infigi scopulo, ne ad littus deueniens saltem sepul-*

turam acquireret. Et sic animo nocuit, & corpori. Similis omnino vindictæ notatur Cæsar apud Lucanum. lib.7.

Etiam in viris taxatur hæc ira.

Tu, cui dant pœnas inhumato funere gentes.

Quod miserum est, commentatur Ascensius, *quia inhumati, vt Virgilius asse-it, Centum errant annos* Proferendum est *Tu* cum emphasi.

35 Vt vltio ti bi expetita proueniat, dignitatem non curat suam, præsertim si fœmina sit.

Dignitatem non curat suam, qui vltionem appetit. Vltionem quærebat irata Iuno, quæ vt sibi proueniret ex voto, Æolo se Regina submittit, inferiori Superior, soror Iouis & coniux Ventorum Deo: suam abiecit dignitatem, dum vindictam assequeretur.

Nymborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit.

Grauiter & copiosè Donat. *Seruauit hic Virgilius personæ rationem miro artis ingenio. Sed in ea parte, non quæ competeret Reginæ sed quæ conueniret iratæ, & ei, quæ nollet occasionem loci & temporis perdere. Nam si personam vellet ostendere Reginæ, mittere aliquem ad Æolum debuit, & iubere quid fieret. Neglectâ ergo potestatis ratione, totum assignat iratæ.*

36 Res sua vnicuique tractanda.

Vt ex sententiâ contigat, quod optamus, non aliorum curæ committendum est, sed propriæ reseruandum. Iuno ipsa.

Æoliam venit

Quo loco Virgilius do et (notat Donat.) *per nosmetipsos agendum, quod rectius cupimus prouenire.*

37 Praui exempli vis etiã ob inferiori expenditur.

Praui exempli ea vis est, etiam ab inferiori, vt in quamcunquè partem vehementer impellat.

Pallasne exurere classem (inquit Iuno)
Argiuûm, atquè ipsos potuit submergere Ponto,
Vnius ob noxam? &c.

Huiusmodi ergo inferioris exemplo quid ego langueam? quid cessem? Ignem statim flammasquè concepit.

Talia flammato secum Dea corde volutans.

Optimè Donat. *Cum hæc Iuno tractaret, secumquè talia flammato corde conferret, ipsa quoquè nocendi consilium reperit; nec laborauit inquirere, quando illi exemplum Mineruæ, quod esset necessario faciendum, abundè suggerit.*

38 Vel superbissimum quemque, appetitus abijcit, & expugnat vltionis.

Vt suam in Troianos iram Iuno vltione satiaret, accurrit ad Æolum; & quæ semper elatissimi animi fuit (ideò namquè illius currum pauones distrahunt superbis vestiti plumis; ideò Dea fingitur ætheris) *tunc supplex* dicitur Æolum conuenisse.

ad quem tunc Iuno Supplex his vocibus vsa est.

Tunc primùm supplex est visa Iuno, cum petit vltionem. Acutè Donatus expendit. *Artificiosè dixit, Tunc Supplex: nam tunc primùm, nequè alio tempore fuit supplex Iuno: vt indicaret propter odium Troianorum Reginam iuisse supplicem Deorum penè minimo.*

Præclar

Præclarè Doctissimus Zerda notat, cum Iuno de Pallade loqueretur, nullum honorificum epitheton addidisse, *Pallas* tantum dixit, cum hæc Iouis filia sit, Præses bellorum &c. De se verò ita magnificè intonat, 39

Fœmineum est se laudare, alios cōtēnere, etiā laudabiles.

Ast ego quæ Diuûm incedo Regina, Iouisquè
Et soror & coniux.

Palladi nullum adhibuit epithetum, & posset; (Verba sunt Zerdæ) *nam illa Iouis filia, & præses bellorum. De se autem cum loquitur diuersam tenet loquendi rationem, Ast ego, mira emphasi, quæ sum Diuûm Regina, quæ soror Iouis, quæ coniux Iouis, &c.*

Probatur à Zerda Notula Seruij, qui quatuor ait esse genera fulminum, *Dissi ciens, Transfigens, Corripiens, Insigens*, nullum præterea. Vt plenam sui vltionem Pallas exequeretur, quadruplicem vim habens fulmen elegit, quod ex Cyclopum officina rubrum & sanguineum Ioui fabricatum fuerat atrocius ac sæuius, quo 40

Plenam sui vltionem fœmina quærit.

Disiecitque rates deinde iniuriæ illatorem.
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopulóque infixit acuto.

Adducit Seruius, ait Zerda, quadruplex genus fulminum, (quæ enumerat) *Itaque omnis carnificina exercetur ab iratâ Pallade, in illis, Disiecit rates, transfixo pectore, corripuit turbine, infixit scopulo.* Quid vltrà potuit?

Expende cum Seruio, fortiorem nullam à Ioue potuisse Ventorum furori assignari custodiam, quàm Obedientem Æolum. Hunc illis Regem elegit; huic tam difficile munus commisit; 41

Quid non superat arduum robusta Obedientiæ virtus.

Regémque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.

Nota Verbulũ illud *iussus*, quod positũ ineptè non est: quasi dicat; vt felici euentu possit & premere ventos, & eis opportunè habenas laxare, alieno hic parêre discat imperio, obediens sit; sic enim fiet, vt & cauernarum vim superet virtute sua, & speluncarum recessus, & montium grauitatem robore vincat. Audi Seruium; *Ventorum ostenditur vis, quibus parum fuit super imponi montem, nisi & Regem acciperent* (vide qualem) *qui ipse quoque alieno pareret imperio.*

Neque inexpensa abeat vocum illa coniunctio, *Iussus sciret.* Vnde enim sciret premere habenas, & laxare ventis felici euentu, nisi *iussus?* Qui suâ solent libidine rem aggredi, non ita felicem sperent; qui autem ex Obedientia, sint omninò de læto successu securi. Præmisit Poeta causam, *iussus*; sequitur felix effectus, *Sciret.* Inde enim *Scit*, quia *iussus.*

Felicem euentum Obedientia sortitur.

Ambiens erat vltionis Iuno, cum hæc ad Æolum, 42

Sibi in arrogantia tempetet necesse est, qui petentis suscipit partes.

Æole, namque tibi Diuûm Pater, atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Ambientem olet oratio hæc: temperatissimè dixit, vt voti com-

pos posset euadere;non dixit,Frater meus, atque Maritus meus tantam tibi potestatem commisit; ea igitur vtaris necesse est,vt mihi & sorori & coniugi morem geras. Quod ita expendit opportunè Donatus, Rectè, *Diuûm Pater, atque hominum Rex, non dixit, Frater meus, atque Maritus meus*; *Ne videatur extorquere velle per fastum, quod cupit impleri.*

43 Inferioris reuerentia est, maiorē meritis appellare non nomine.

Seruius ait, inferioris reuerentiam esse, cum appellatur maior, non illum nomine,sed dignitate aut potestate appellare; è contra verò maioris esse, minorem nomine tantùm vocare. Vnde ad Æolum Iuno, *Æole*,inquit, Æolus verò cum Iunonem alloquitur, *Reginam appellat*,

Tuus, ô Regina, quid optes.
Explorare labor

Audi Seruium; *Inferioris persona reuerentia est, maiorem meritis appellare, non nomine; contrà maioris est, minorem nomine tantùm vocare.* Addit deinde; *Qui ordo non nisi per indignationem corrumpitur.*

44 Virtus non vnita facilè dissipatur, ideoque nec timenda.

Cum Iuno apud Æolum de Troianorum clade disserit, vide quid dicat,

Submersas obrue puppes,
Aut age diuersas.

Paris enim periculi est *puppes obruere*, & *diuersas agere*, ideo disiunctiuâ vsa est particulâ. Quod ingeniosè notauit Donatus: *Ecce ponit, Aut, diuersa natura coniunctionem, hoc est, disiunctiuam; vt sic prouenire non possit, Submersas obrue puppes & disiice corpora Ponto, proueniret saltem, Aut age diuersas, quoniam sparsi nihil audere posteriùs poterant, neque ad Italiam peruenire.* Sparsos enim illos idem illa existimauit esse ac submersos.

45 Desiderij vehementis expletio quocunque solet pretio rependi.

Vt suam valeat Iuno vindictæ explere pruriginem, quæ sibi in pretio sunt, facili negocio contemnit. Petit ab Æolo illa vindictam; qua mercede? quo pretio? hoc,

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamquè dicabo.

Vbi benè Donat. *Hoc loco Virgilius docet, contemnenda esse apud nos quæ magna sunt, vt obtineamus, quæ magnopere desideramus impleri.*

46 Principum voluntati, etiam iniustæ, difficilè resistitur. Imò facilè assentitur.

Explora ô Regina quid optes, quid velis, & iube, (inquit Æolus) non enim potest fas non esse, quod Regina optet & velit.

Tuus, ô Regina, quid optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

Appositè Donatus. *Quod ait, Fas est, idem est ac, licebit facere, etiam si illicita iubeas fieri. Illicita si me iubeas facere, faciam; quia, Reginâ iubente, nulla obsequentem pœna sequetur.* Quot & quales obcæcat hæc ratio, qui deuiantes à vero in mendacij scopulum miserè impingunt.

Promisit

Promisit Juno Æolo Deiopeiam, vltionis expetitæ præmium; 47
cum verò ille pollicetur vltionem, nec præmij meminit, neque oblatæ Nymphæ vel minima significatione respondet. Quid ergo?

Tuus, ô Regina, quid optes,
Explicare labor, mihi iussa capessere fas est.

Corrupti iudicij vel suspicio fugienda est ei, qui publicum sustinet munus.

Indignum iudicauit eo, qui publicam sustineret personam, arridere munusculis, iis præsertim, quæ maximè iudicium eneruant. Vidit Ascensius. *Non ad præmia respondet, ne videatur moueri libidine, vt Paris in Dearum iudicio.*

Et impudicitiæ suspicio.

Vide quàm impudenter fœmina Iuno pulcherrimam formâ Deiopeiam offerat Æolo! quàm è cōtra temperans Æolus, qui nec verbum de pacta Virgine & Nympha reddiderit. Sæpè enim minus est pudoris in fœminis, quam in viris. Hûc illa Ascensij reuocanda sunt verba. *Non ad præmia respondet, ne videatur moueri libidine, vt Paris.* 48

Pudoris minus sæpè in fœminis est, quàm in viris.

Nimius videtur esse Virgilius in hâc tempestatis parte exprimendâ; 49

Eripiunt subito nubes cœlumque diémque,
Teucrorum ex oculis.

Vltionis affectus omnem conatur aditum misericordiæ præcludere.

Quasi rapidæ nubes subito obiectu cœlum obduxerint. *Fiunt hæc omnia momento temporis* (explicat Zerda) *ideò subitò. In verbo, eripiunt, agnosco quiddam vltra vulgarem aleam Poëtarum. Quid illud Cœlúmque diémque?* Quare memento temporis, subitò, rapidæ nubes cœlum eripiunt? Quia Iunoniæ vltionis affectus omnem conabatur aditum misericordiæ præcludere. Obducatur ergo subitò cœlum, vnde salutare potest peti consilium, & spes aliqua allucere clementiæ; sic enim fiet, vt erepto cœlo ex Troianorum oculis de cœlestis clementiæ imploratione contra mala non cogitent. Donati ingenio hoc debetur acumen; *Ne contrà mala reperire consilium Troiani possent, subitò cœlum eripitur.* Vnde enim certiùs inter cœlum & aquam ventis iactati? Donatus in Carmen illud,

Extemplò Æneæ soluuntur frigore membra, 50

Ait, non mortem expauisse Æneam, sed ignauiæ nomen; quia ignobilis est semper habitus apud antiquos in aquis interitus,

Demite naufragium, mors mihi munus erit,

Apud Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 2. *Nullam enim*, ait Nazianzenus Orat. 1. *Occasionem habent ostendendæ virtutis*, qui in mari obeunt. Et quid felicius viro forti morienti, quàm habere testem suæ virtutis. Ergo Donatus; *Frigore, non pro timore posuit ex casu euidentissimo mortis; sed ex tot aduersis, quæ corporis calorem extinxerunt; quia cruciabatur animus viri fortis, qui maluisset gloriosè in campo occumbere, quàm ignobiliter in fluctibus interire.* 51

Iniquiori animo vir fortis ignauiæ nomen, quàm mortem videt.

Nobile est lethum sub hoste nobili.

Nobili letho cadere elegit Æneas, cum sub Achillis dextrâ vt Hector; aut Patrocli, vt Sarpedon, optauit occumbere.

Sauus vbi Æacidæ telo iacet Hector, vbi ingens
Sarpedon

Præclari loco muneris ipse Æneas lib.11. Lauso concessit nobilissimi interfectoris dextrâ perire,

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
ÆNEÆ MAGNI DEXTRA cadis.

Similis simili gaudet.

Illud etiam notauerim, quod pulchrè Seruius in primum Carmen; *Optimè autem delegit Æneas cum quibus periret, ipse enim & fortis est, vt Hector, & Deorum proles, vt Sarpedon.* Sui similibus cupit adiungi, fortis forti, nobilis nobili.

Viri fortis non est ad primatim ire pericula.

52 In persona viri fortis Æneæ decorum à Marone seruatur, qui non illum timentem inducit in ipso aditu tempestatis, aut primum, sed tantùm post alios; præcesserat enim,

Præsentemquè viris intentant omnia mortem;

Tùm post emissos ventos, mare erutum, densissimas tenebras, tonitrua, fulgura. Tunc videlicet solutio membrorum & gemitus.

Extemplò Æneæ soluuntur frigore membra,
Ingemit.

Indignũ viro forti aliquam ignauiæ vocem emittere.

53 Hæc raptim ex acuratissimo scrutatore Virgilij Zerdâ, in explicatione. Accipe Notulam eruditissimi Landini in illud,

Contigit oppetere

Oppetere est, terram ore petere. Nam qui viriliter occumbebant, ne quam vocem indignam viro forti emitterent, mordicus terram petebant.

Terra vocẽ frenat indignam.

Indignam nullam cupis vocem emittere statu, quem profiteris, dignitate, quâ fulges ?·&c. terram ore pete, puluerem rumina, sicque gloriosè tibi continget oppetere. *O terquè quaterquè beatum.*

Grauis ira sententias & verba confundit.

54 Operæpretium est verborum & sententiæ confusionem videre in illo Carmine, quod secundùm irascentis Neptuni in ventos est,

Iam cælum terrámque meo sine Numine Venti
Miscere?

Quod si vernaculo velis reddere idiomate, Cantabricam videaris imitari barbariem. Expressit vigilantissimus & eloquentissimus Poëta Dei marini vim iræ, quæ disertissimum quemque solet turbare dicentem, *Obscura* (expendit pulchrè Donat.) *& breuis Oratio.*

Principum appetitus est, se vel nomine tenus in alienam ditionẽ inferre.

55 Quare breuis? *Quia ad succurrendum properabat.* Quare obscura? *Quia iratus erat, & vt suprà Grauiter commotus.* Ira grauis orationem turbauit, & verba.

Cum obiurgat Neptunus furentes ventos, qui fluctibus Æneæ classem disiectam obruere conabantur, mirum quod loquitur,

Iam cælum terramquè meo sine Numine Venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?

Quid

Quid ad te Neptune, si venti terras, cœlumquè commiſceant? Viderint hæc, & vindicent Dij alij, quibus terræ, cœlumquè ſub imperio ſunt. Quid ergo ſi venti tuo ſine Numine tua ſine pace terras perflent, cœlum obnubilent? Principum eſt ambitio hæc alienam velle, vel nomine ipſo, vſurpare ditionem. In hanc rem putauerim hîc dixiſſe Donatum. *Marinus Deus loquebatur iratus, & ab aliorum elementorum iniuria, à quibus eum conſtabat alienum, tranſit ad ſpeciale admiſſum, quod regnum eius, imperiumquè turbauerat.*

Notatu digna eſt Seruij commentatio in illud, quod Nept unus de Æolo, 56

Res ſuas quiſque regnū putat.

Et clauſo carcere regnet.

Licèt carcer ſit, tamen regnum eſt Æoli: hec enim pro affectu poſſidentis intelligenda ſunt, Locum deinde adducit ex Bucolicis, cum de Rure ſuo paſtor loqueretur;

Poſt aliquot mea regna videns, mirabor ariſtas.

Lētos in ſuo dolore Principes eſſe debere docet hic locus, vbi iratus & grauiter commotus Neptunus, ſupplicium differt. *Sed* 57

Iratus Princeps ſupplicium in reos differre debet.

Poſt mihi non ſimili pœnâ commiſſa luetis.

Monet Zerda. *Sed, eſt particula reprimentis ſe, & rationis iudicio furorem remittentis. Traduci hec ad Principem poſſunt, quem lentum in ſuo dolore debere eſſe Tacitus ſcribit lib. 3. annal.* Verum enim illud Claud.

Malè cuncta miniſtrat.

Impetus.

Probabiliter ſatis Neptunus ad Ventos. 58

Patrum vitia filij ſectantur.

Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?

Appoſitè Donat. *Crimen exaggerat, dicens, eos non ſolum ſuam, ſed hæreditariam quoquè ſectari temeritatem; quod genus vitij, quoniam naturale eſt, non poteſt emendari: volunt enim Ventos patres habuiſſe, qui cum bellum Dijs intuliſſent, diuerſis ſupplicijs perierunt.*

Comminatâ ſæpè vindictâ, (quæ tempeſtiua Clementia eſt) opportuniùs vtilitati publicæ, quàm ſupplicijs à Superiore conſulitur. Vel ex Neptuni prudentia hoc nos documentum monemur, qui comminatus Ventis vltionem, ne ſecuros dimitteret, abſtinuit tamen à ſupplicio; addens cauſas dilatæ pœnæ, 59

Vtilitati publicæ nō tam ſupplicijs, quàm tempeſtiuâ clementiâ eſt conſulendum.

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Poſt mihi non ſimili pœnâ commiſſa luetis.

Non vlciſcitur, ſed nec dimitit eos (apud Aſcenſium Donat.) *ſine metu futuræ pœnæ*; ſic enim & ſe inualidum non eſſe demonſtrat, & præſenti rei conſulit.

Quare priùs Neptunus non diſtrinxit vltionem in Ventos, qui tantas auſi ſunt tollere aquarum moles, ſed comminata tantùm vindictâ totum ſe ad fluctuum compoſitionem contulit? *Quos ego.* Nihil præterea, & hoc quàm breuiſſimè: quare? quia 60

Priùs eſt periclitanti ſubueniendum, quàm

Motos præstat compônere fluctus.

in peccantem animã vertendum.

Duplicem Landinus rationem adducit, vtramquè pulcherrimam. Primam. *Sapientem enim Deum ratione potiùs duci, quàm irâ rapi oportebat.* Secundam. *Quia potius duxit periclitantibus subuenire; quàm punire noxios.*

61 Tempestiua obiurgatio,& pœna proposita mirè proficiunt.

Comminatus pœnam est Ventis, & eorum obiurgat audaciam Neptunus Deus; vide vide statim quàm mirus consequatur effectus. Obiurgationi tempestiuæ & comminationi Donatus maris placiditatem attribuit. Et quidem

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat.

Effectus obiurgationis, inquit, & dilata pœna continuò extitit, vt dicto citiùs placidum fieret mare.

62 Principum beneficentiam experiantur etiã non sui.

Non se ita coarctet Principum munificentiâ vt illam sui experiantur, nemo præterea. Latiùs pateat oportet,& Principem sentiant etiam externi. Quam Troiani tempestatem patiuntur Neptunus, æquoris Deus, sedaturus accurrit; nequè solùm (quod ad eius spectabat imperium)

Tumida æquora placat.

Vlteriùs illius beneficentio progressa est; reliqua etiam elementa à ventorum iniuria vindicauit.

Collectasquè fugat nubes, solemquè reducit.

63 Principum est cũ est in mora periculum, non immorari.

Quod argutè planè Donatus. *Hic Omnium elementorum remouit iniuriam.* Cum periculum vrget suorum, Principem etiam vrgeat cura festina necesse est. In summo erat periculo classis Æneia, & iam iam obruenda fluctibus iactabatur. Vide quàm festinus classium Præses, & Imperator vndarum, qui.

Dicto citiùs tumida æquora placat.

Seruius non solùm in opportuno auxilio festinam Neptuni dexteram fuisse dicit, sed ipsa vocum & pedum velocitate celeritatem expressam esse; Dactilis vtitur, qui celeriter fluunt.

to citi vs tumi daæquora.

Scire debemus prudenter poëtam pro causis vel tendere vel corripere orationem; vt hoc loco periclitantibus Troianis tota celeritate dicit esse subuentum. Acutè & floridè.

64 Tumultuãs populus bellua omninò est.

Belluinum quid seditione commotus populus est. Id insinuat rectè Virg. cum Vulgus huiusmodi vocat *Ignobile*, explicante Seruio,

Sæuitquè animis ignobile vulgus.

Ignobile, inquit, *idest stultum: vt contrà nobilem animum prudentium dicimus.* Addit lepidam confirmationem. *Ideò etiam paulò post ait, Arrectis auribus adstant. Sumpsit enim translationem ab animalibus.*

65 Suorum curam Principes superiores nnuquã abijciant.

Rogat Landinus quare Achates primus est,qui post tempestatẽ ex silice ignem excussit, quo torrerentur fruges, quibus vesci possent Troiani fessi rerum, & fame penè consumpti?

Ac primùm silicis scintillam excudit Achates.

Fidus

Fidus semper Æneæ comes Achates fuit, qui interpretatur *Cura*, quā deponere circa suorum vtilitates & commoda Princeps non debet. Achates igitur primus sit qui ignem excutiat, fruges præparet, famelicisquè ministret. *Referamus Achatem*, ait Landinus, *ad id quod est αχὸς idest Cura. Nam cura & sollicitudo prima semper comitari Principes debet.*

Perbellè Donatus expendit carmina illa, 66

Æneas scopulum interea conscendit, & omnem.

Prospectum latè pelago petit.

Describit Poëta altitudinem scopuli; quò conscendit Æneas, non tàm vt inde prospectet amissos socios, quàm vt laudet Heroëm suū, qui vtpotè bonus Princeps & superior, (quamuis fame sitiquè fatigatus, post acerbum cum ventis & tempestate luctamen) non tamen arduæ difficutati pepercit adrependi per scopulum. Audi Donatum. *Ille solus aut non sensit vim pelagi, aut solus de refectione animæ & corporis non cogitauit; quin potius alium quoquè laborem arripuit. Intelligendum hoc loco, altitudinem scopulorum idcirco esse in loci descriptione propositam, vt non tantùm esset maior prospectus ex summo, verùm etiam vt Æneæ laudationi altitudo ipsa proficeret, cuius virtus & animi, & corporis tanta extitit, vt lassis omnibus, & de cibo, & requie cogitantibus solus non fugeret laborem, & difficiles ascensus, & prolixos aggressus sit. Arripuit ergo altitudinem scopuli, nequè ab ascendendi labore reuocatus est, dummodo locus ille ex summo socios forsitan in subiecta latitudine pelagi demonstraret errantes.* O benè!

Superior pro salute commodisque suorum vlli difficultati non parcat.

Aptus ille superior non est, qui suorum oblitus consulit sibi; sed ille aptissimus, qui sui oblitus consulit suis. Talis describitur Æneas erga suos, quos paterno amore complectebatur. Cernos septem, quos ipse sagittis strauerat, misit ad socios, opportunum famelicis subsidium. Hos igitur ipse 67

Superior sui oblitus cōsulat suis, non è contrà.

Socios partitur in omnes.

Quid igitur? nullā sibi partem reseruauit, & potiorē partē vtpotè Principi? In socios omnes, sui oblitus partitus est? ingeniosè Donatus. *Tantus autem amor eius in socios fuit, vt sibi nō fecerit partē.* Aptus sanè superior! Crediderim tamen illi partem obtigisse ceruorum, qua lenire famem inter cæteros posset, (quamuis neget Donatus) sed prudentissimus id Poëta non dixit. Quare? fortasse quia Superiorum commoda (quæ eadem esse debent, quæ inferioribus sunt) vulgari non debeant; cum socijs edat, bibat, quiescat, animi laxationem admittat, tamen socij tantùm dicantur bibere, quiescere, animi laxationem admittere; Commoda Superiori tribuenda non sunt. *No se ponga en su canez a el alinio, que aunque sea Iusto, no suena bien.*

Idoneus Æneas consolator calamitatum fuit, qui eandem cum socijs calamitatem perpessus fuerat, ideo ipse. 68

Dictis mærentia pectora mulcet.

Fortiùs calamitosos solatur qui

in eâdem calamitate est, ut fuit.

Vbi Donat. *Certè quantum distet ipsa consolatio; quæ ab eâ persona proficiscitur, non quæ sit ipsis mæroribus vacua, sed quæ malorum societate iungatur, ipse Virgilius demonstrat. Vacua quippe à doloribus persona potest è diuerso responderi Terentiano dicto, Tu si hîc sis, aliter sentias. Cum autem à socio malorum omnium profertur, & accipi attentiùs potest, & patienter audiri.*

69 Principum est beneficia plena conferre.

Non prætermittam hoc loco Regis Acestis beneficij in Teucros plenitudinem, illo contentam carmine.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes, &c.

Quo loco Donat. *Bonum largitorem debemus accipere. Quod autem dixit Onerarat; non quantum bonus largitor dare voluit, sed quantum Troiani ferre potuerunt. Cadis, inquit, prætermisso cadorum numero ostenditur vini copia. Abeuntibus; ijs dederat affatim quos non fuisset iterum visurus, perindequè non habiturus alteram occasionem largiendi.* Vide quanta in his verbulis incrementa. Ab inopi Rege leue beneficium, sed plenum. Pyerius legit pro *Heros*, *Hospes*, et addit, *Vt muneris conditio accrescat, quòd hospitale fuerit.*

70 Superior suos non tam cibo debet, quã doctrina firmare.

Non solum carnibus & vino suorum corpora refecit Æneas, sed animos etiam doctrinâ.

Dictis mærentia pectora mulcet.

Sic Zerda in Explicatione. *Post carnes quippe & vina, suus quoque cibus animis datur, bono exemplo principum, qui suos firmare non tam cibo debent, quam doctrinâ.*

71 Consuetudinis vis.

Consuetudo sustinendi nutrit sine dubio patientiam. Ex hoc loco Æneas in pulcherrima, & opportuna valde oratione, qua consolatur suos.

O Socij (nequè enim ignari sumus ante malorum)
O passi grauiora.

Socios inquit Donatus, *meliùs hoc loco intelligimus laborum socios quàm congregationis. Addidit, sustinendi consuetudinem nutriuisse sine dubio patientiam, dum assiduè mala ferendo, transmissa sunt. Non ergo superfluè, sed necessario posuit duo Nequè enim ignari sumus ante malorum; &, O passi grauiora propter ferendi consuetudinem.*

72 Præteritorum discriminum est repetitio vehementer odiosa.

Verum est præteritorum infortuniorum duram esse commemorationem, & discriminum repetitionem vehementer odiosam; quare ergo Æneas cum suos consolatur, in memoriam reuocat & latè recenset Scyllæam rabiem & saxa Cyclopea, quæ iam euaserant, cum illi vel commemoratione sola periculorum, in quibus de omnium vita penè actum est, commoueri vehementer possent?

Vos & Scyllæam rabiem, penitusquè sonantes,
Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa
Experti.

Rationem pete à Donato, *Periculorum commemoratio dura est, & odiosa discriminum repetitio, exulcerans magis eorum animos, qui illa passi*

passi sunt; sed ideò commemorationi adiungit Poeta comparationem, vt dicta ipsa medicina potiùs animorum, quàm exulcerationi proficerent. Aliter enim doloris præsentis asperitas leniri non posset, nisi grauiorum malorum inducta enumeratio ostenderet, ferenda esse in præsenti, quæ leuiùs accidissent. Si grauiora tulimus, leuiora cur non feramus?

73 Hortatur Æneas suos, & ad melioris fortunæ spem conatur erigere; & quamuis graui vulnere ob accepta detrimenta illi saucia mēs erat, vultu tamen ac voce id præferebat, *a fuer de buen Orador*, ad quos socios oratione suá tentabat impellere. Induere affectum debet Orator, quem excitare in alijs nititur.

> *Talia voce refert curisquè ingentibus æger,*
> *Spem vultu simulat.*

Refert voce, pleonasmus est, inquit Seruius, (hoc est superfluitas illius, voculæ *Voce*) *sat enim fuerat dixisse, Talia refert.* Sed apage Serui. Meliùs Ascensius; *Mihi nequaquam superfluum videtur, sed discretiuum, vt sit, Refert quidem voce, sed longè aliter referebat, & reuoluebat casus suorum animo.* Optimè omnium Donatus ad rem meam. *Talea voce refert: non enim quod loquutus est, hoc animo retinebat. Mentitus est, inquit, vultum suum, vt quos fregerat maror, regius sermo firmaret. Angebatur, ait, dolore quàm maximo, & hunc altis sensibus retinebat abstrusum. Videri enim debuit persuasor ante omnes reiecisse mœstitiæ partem, ne persuasionis effectum perderet, si ipse intelligeretur tenere sensibus suis, quod aliorum mentibus aliqua ex parte desiderabat excludere. Vtrumquè ergo seruauit, & quod socijs ad consolationem erat necessarium, & quod Regi congrueret. Nam satis reprehensibilem faceret Æneæ personam, si sine fraude hilarem diceret, aut purgato doloribus corde, quem conueniebat in sua causa plus affligi, quam cæteros.* Pluribus dixit, sed Deus bone quàm aptè. Non ergo vacat. *Voce.*

Ad oras Lybiæ applicuêre Troiani, quò illos tulit sæua tempestas, multis tamen aut errore, aut naufragio desideratis. Et tamen nullus inter incolumes & saluos sermo de naufragis, sed

> *Egressi optata potiuntur Troes arenâ.* 74
> *Et sale tabentes artus in littore ponunt.*
> *Tunc Cererem corruptam vndis, cerealiaquè arma*
> *Expediunt fessi rerum, frugesquè receptas.*
> *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.*

Quâ quisque premitur, calamitatis est memor, oblitus alienæ.

Nihil curant aliud, quàm se ipsos curare. At verò.

> *Postquam exempta fames epulis,*

Tunc socios amissos in memoriam reuocant, & illorum vicem dolent, *Amissos longo socios sermone requirunt.*

Quid hoc? cum a recenti calamitate sunt, calamitosos socios obliuiscuntur; cum iam à calamitate aliquantulum recreati, *socios sermone requirunt?* Soluat Donatus. *Cum fame & lassitudine premerentur, desperassent etiam de salute suâ, nullius eos, nisi propria curæ tangebat; refectis ergo venit in mentem recordatio sociorum, quorum*

 de morte

erant incerti. Dum propriam sentiunt calamitatem, obliuiscuntur alienæ; illâ depulsâ alienam tractant.

75 Magni refert, vt bonũ res sortiatur effectum, nactam occasionem non prætermittere. Hùc suas Venus contulit curas, cum Troianorum causam apud Iouem actura, illum aggressa est, eo tempore, quo Iupiter

Oppotunitas quærenda est, vt res feliciter cedat.

Vertice cœli
Constitit, & Libya defixit lumina terris.

Opportuna sanè occasio, cum ille de Libyæ imperio sollicitus lumina illùc intenderet, quò lacera tunc temporis Troiana classis appulerat. Tunc Venus, *Illum tales iactantem pectore curas*
Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitentes;
Alloquitur Venus

Donatus, *Opportunitas fuerat interpellandi, quia tunc Iupiter curabat, quæ agerentur in terris, quas Troiani tenuerant.* Quàm verò ex animi sententia res ceciderit Veneri, licet audias ex Ioue;

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi. Cernes vrbem, promissa Latini
Mœnia, sublimemquè feres ad sydera cœli
Magnanimum Æneam.

76 Expendit Donatus in summo dolore ingeniosè Virgilium prius oculis Veneris dedisse lachrymas, quàm linguæ verba; nam prius illæ se produnt doloris testes, quàm verba sequantur;

Magnus dolor oculis priùs quàm ore se prodit.

Lachrymis oculos suffusa nitentes
Alloquitur Venus

Ille est, inquit, *maximus dolor, qui ante vocis exortum lachrymis præcedentibus nuntiatur.*

77 Non ita fortius arcet à culpa timor iniectus ab eo, qui aliquando potest irrogare supplicium, quàm ab eo, qui semper potest. Est hæc Nota Donati in illud Veneris ad Iouem

Peccantes coërcet, scire Principem sumere semper posse vindictã.

O qui res hominumquè Deúmquè
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Intereà cum dicit, Æternis regis imperiis, illud intelligi potest, quia contemni non debet potestas, quæ perpetuò manet; illa enim reuera negligi potest, quæ aliquo fine temporis concluditur.

78 Deorum omnium, hominumquè Rex fingitur Iupiter; non tamen illos sine discrimine æqua trutinat lance, Deos regit imperio, homines fulmine terret. Sic ingeniosè Donatus horum Carminum verba partitur,

Aliter Nobiles, aliter infirmę plebis sunt à Superiore tractandi.

O qui res hominumquè Deúmquè,
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Duo proposuit (Donati verba) *& singula singulis dedit; Deorum personæ applicauit Æternis Regis Imperiis; Hominum verò Et fulmine terres; vt authoritate regantur Dij, homines autem fulmine terreantur,*

reantur , *& ad officia compellantur.* Aliter enim Nobilissimi, aliter ignobiles tractari oportet ab eo, qui Reip. habenas temperat.

Regem Venus appellat Iouem, suprà, *Æternis regis imperiis*, infrà, 79

Superior meminerit se patrẽ esse & agat vt Pater.

Quem das finem Rex magne laborum?

Quem vt personam publicum munus sustinentem alloquitur. Sed communis etiam Parentis nomen vsurpat, vt meminerit Iupiter non Regem tantùm se esse, sed etiam Patrem; & sic agat vt Pater,

Qua te Genitor sententia vertit?

Donatus; *Posuit post nomen Regis etiam Patris, vt appareat illum non debere aliquâ perfidia permutatione traduci.*

Suam priùs proponit Venus apud Iouem causam, sequitur deinde querela de iniuriis, quas intulerat Iuno, neque illam nominat, ne offensus Iudex vltionis affectu alienaretur à causâ. 80

Præcedat causæ tuæ dictio & stabilitio querelam de aduersariorum iniuriis.

Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem
Nauibus (infandum!) amissis vnius ob iram
Prodimur

Vbi Ascensius ex Donati arguta paraphrasi; *Id optimè ad finem orationis reseruauit, ne, si inter initia dixisset, offensus Iupiter Sororis & coniugis iniuriâ, alienaretur. Neque enim nomen Iunonis posuit, vt sine offensa ad iniuriarum numerum perueniret.* 81

Qui personam sustinet publicã neque contracto sit vultu, neque nimis hilari.

Temperet vultum, qui publico muneri vacat, necesse est; neque ita contracto sit, vt deterreat; neque ita sit dissoluto, vt sicophanta habeatur. Quando personam Iupiter publicam sustinet, hoc vsus est temperamento in Veneris causa, *Subrisit*, inquit Virgil. vt partem daret Iudicis modestiæ, partem verò beneuolentiæ;

Olli subridens hominum Sator, atque Deorum &c.

Subrisit, (inquit Ascensius vbi suprà) *non plenè risit, sed subrisit, vt exhilaret venerem ex beneuolentiâ & vt maiestatem seruaret ex decoro: nam alioqui turpis esset plenus risus.* 82

In aliorum malis ridere, rationi non congruit.

Ingeniosè Donatus expendit verbum illud *subrisit*, cum suffusæ lacrymis Veneri respondet Iupiter. Concurrebat mæror litigantis, & Iudicis affectus læta nuntiaturi; vtrique parti *Subridendo* satisfecit. Donati verba; *Subrisit Iupiter; certè illud intelligendum, idcircò eum non ad plenum risisse, ne in malis suorum, filiâ quoque lachrymante, & gemente, ipsum se alienum à tantis Cladibus demonstraret. Temperauit ergo dicendo Subridens, vt partem daret Troianorum casibus, reseruaret letitiæ partem illis, quæ fuerat læta promissurus.* Quæ læta hæc? quæ sequuntur,

Faciẽdus est superior ad suorum vel fletum vel risum.

83

Pulchra fœmina litigans optimum quẽque iudicẽ fascinat, & dementat interdum.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi, &c.

Ad Iouis tribunal Venus accurrit, cuius tanta vis pulchritudinis fuit, vt in illius oscula publicè irruerit, (quæ quamuis à Patre in filiam non tamen excusantur in publico.)

Oſcula libauit Nata.

Hæc prima faſcinatio eſt, hæc prima dementia. Vide ſecundam,

Hac tibi fabor ego

Ego, tibi: denuati ſolamente va eſte ſecreto. Adeò pulchritudinis faſcino deſipis Iupiter, vt fœminæ arcana commendes? Donatus hîc; *Tibi fabor, quod præter te nullum conuenit noſſe.* A pares los diſparates por ſemejante gente.

84 Vt plenè Venus, quæ gaudia Iupiter nunciaturus eſt, audiat, illam priùs iubet metum deponere,

Amouẽdus eſt metus, ne gaudium ſuffocetur.

Parce metu, Cytherea.

Apud Aſcenſium Donatus; *Non ocioſè audiſſet Venus, quæ pertinent ad gaudium, niſi priùs metus eſſet amotus. Sic Terentius in Andria; Vbi inueniam Pamphilum, vt metum, in quo nunc eſt, adimam, atque expleam animum gaudio.*

85 Acutè Donatus expendit promiſſa illa Iouis ad Venerem;

Quę à Deo sũt promiſſa, plena promiſſa ſunt.

Manent immota tuorum

Fata tibi.

Satis ſuperque eſſet, ſi dixiſſet; *Manént tibi fata tuorum*, quod & ipſa cupiebat; ſed pleniſſima voluit eſſe promiſſa, vtpote à Deo, qui nihil non pleniſſimum pollicetur, ideò adiunxit etiam *Immota. Cum ſufficere poſſet quod dixit, Manent tibi fata, vt ſatiaret tamen Iupiter quod aſſerebat, addidit, Immota.* Ita Donat. Vbi expende illud, *Vt ſatiaret Iupiter, quod aſſerebat.*

86 Cum Filia Venere Iupiter loquebatur, de felicitate futurâ ſuorum; ſed quia perſonam publicam ſuſtinebat, carni (quod aiunt) ſanguiniquè renunciat; non *Filiam* dixit, ſed *Cytheream*, quaſi neque illam de nomine noſſet; *Tuorum* addidit, vt quos neque ſanguine, neque vlla ipſe affinitate attingeret;

Qui ad publicum ſedent munus Carni, ſanguinique renuntient.

Parce metu Cytherea, manent immota tuorum

Fata tibi.

Ingenioſè Donatus; *Vſque adeò ex perſona publica induxit loquentem Iouem, vt Cytherea non Filia diceret, & Tuorum poneret, non Noſtrorum.* Quid clarius?

87 Adeò mortis horrore concutiuntur mortales, vt vel mortis nomen effugiant, & vitæ ſubſtituant. Moritura Dido lib. 4. imò iam mortua Amoris vi, (nam moritur quiſquis amat) non mortem nominat, cum ſe mortuam dicit, ſed à vita nomen mutuatur,

Vitæ nomina mortem mentiũtur.

Vixi, inquit, & quem dederat curſum fortuna, peregi.

(Quod ſuo loco latiùs expendemus.) Neque mortales ſolum vel mortis nomine, deterrentur, ſed immortalibus etiã huiuſmodi timoris affectus affingitur. Refert Veneri Iupiter futuras Æneæ felicitates, & Troianorum; de Ænea cum loquitur, ita ait,

Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas, &c.

Dum tres ille regnauerit annos, geret ingens bellum, populos contundet,

contundet feroces, *mores viris & mænia ponet*. Notat hîc argutè Donatus, Tres regnabit annos ante Iulium filium? post illos ergo moriturus est. Non tamen mortem ausus est nominare, neque quod triste & ominosum est, protulit, sed regni nomen & vitæ substituit. A morte immunis est Iupiter, & tamen mortis abstinuit à nomine. Donati verba. *Cum hoc dicit, ostendit proculdubiò moriturum, sed quod fuit triste, prætermissum est, sequenti tamen ipsius sermonis cursu ponit.* Nam Iulium Patri substituendum dicit.

Idem notat idem interpres paulò post, vbi triginta Imperio Ascanij Iupiter annos assignat. 88 Idem argumentum.

> *At puer Ascanius*
> *Triginta magnos voluendis mensibus Orbes*
> *Imperio explebit.*

Cum finem pollicetur Imperij anno trigesimo transacto, ostendit etiam ipsum Ascanium moriturum, sed, vt dictum est de Ænea, prætermisit quod fuerat luctuosum. Donat. Vitam dixit, mortem non dixit, neque vmbratili sermone attigit.

Quod vitiosum in inferioribus est, à superiore tegatur, quod laude dignum proferatur in lucem. Incidit Ioui sermo de Romulo & Remo fratribus: de Romuli gloria & imperio multus est Iupiter, de patricidio tacet; Quod bonum est, profert, quod vitiosum est, tegit. 89 Inferiorum vitia sunt à superiore tegenda.

> *Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem,*
> Deinde, *Inde Lupæ fuluo nutricis tegmine Lætus*
> *Romulus excipiet gentem, & mauortia condet*
> *Mœnia, Romanósque suo de nomine dicet.*

Opportuna se nunc offerebat occasio, vt diceret, *Regnabit Romulus, Remus verò paterno ferro petitus occumbet.* Crimen tacuit, quod retegere necessarium non erat; gloriam retexit. Vidit acutè Donatus. *Cum geminam dixisset prolem, Remum & Romulum, Romuli gloriam prænuntiat, de fratricidio silet, ne miscere importunè vitia videretur.* Superiorum Idea Iupiter à Marone proponitur; illum in hac parte imitantor, apud quos aliorum est & ius & cura.

Pollicetur Veneri Iupiter omnia tandem Troianis fore prosperrima. Sed illum putat Donatus gloriæ maiorem cumulum, cum victores Græcos sub Troianorum ditionem venturos tandem affirmat, 90 Gloriæ cumulus est Victor victoribus dominari.

> *Veniet lustris labentibus ætas*
> *Cum domus Assaraci Phthiam, clarasque Mycenas*
> *Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.*

Domus Assaraci, Familia Troiana, inquit Seruius; *Assaracus enim Capym, Capys Anchisem, & ille Æneam genuit. Phthia Anchisis est patria. Claras Mycenas, propter Agamemnonem cuius fuit patria.* Itaque Troiani victi victores Græcos tandem sunt seruitute pressuri. Vbi apud Ascensium Donatus gloriæ cumulum reperit. *Extre-*

mus cumulus gloriæ, vt qui ad tempus victores erant, iis, quos vicerant, seruituti essent.

91 Ad Libyæ oras penè naufragus, post millena pericula, applicuit Æneas; Vix illam attigit, cum ecce tibi Mercurius à Ioue missus in mandatis, id habet, vt pateant terræ, *Atque noua Cartaginis arces Hospitio Teucris.*

Cœlestis disciplina est, nunc fouere, nūc cædere.

Ibi cæditur, hîc fouetur; ibi aduersâ, hîc prosperâ vsus fortunâ alternas tulit vices. Aptissimè Delrius Adag. tom. 1. *In morem frondatoris nos cælum informat, nunc cædendo, nunc fouendo &c.*

92 Vide verò quàm incredibilem rei gestæ celeritatem contineant hi versus, in quibus de Troianorum commodis agitur à Mercurio, misso ab Ioue Carthaginem; *volat ille per aëra magnum*

Remigio alarum, ac Libyæ citus adstitit oris.

Et iam iussa facit.

In nostra commoda vtitur pronâ celeritate. Deus; in nostra supplicia non ita.

Volat ille, inquit Zerda, *& remigio alarum. Quæ hæc celeritas? non auditâ Iouis voce, sed viso nutu, volat. Ad hæc, non, vt in 4. nectit talaria. Ideò ab tantâ celeritate, Citus astitit.* Addo, omnia dactylis ferri. Hic Donat. *In omnibus igitur celeritate opus fuit propter Æneæ commodum, quæ non est prætermissa.* Contra verò cum idem in Quarto legatur Orator ab irato Ioue, obiurgaturus Æneam, & minaturus supplicia, quàm lentè! quàm non propria sponte!

Ille patris magni parêre parabat

Imperio

Imperfecto vtitur ingeniosus Poëta, *Parabat.* Detinebatur vtique, ac penè hærebat. Deinde *Pedibus talaria nectit.* Tertiò, *Tum virgam capit*, Quartò, quàm segnis volatus, non enim ad Æneam statim, sed priùs

Volans apicem & latera ardua cernit

Athlantis duri,

Vbi aliquantulum temporis constitit,

Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis.

Constitit,

Quintò, *Hizo puntas al mar*, *Se corpore ad vndas misit*, Omnia ferè priùs eleméta lustrauit, quàm inuasit Æneā. Tū demùm,

Inuadit. Tu nunc Carthaginis alta

Fundamenta locas, pulchramquè vxorius vrbem

Exstruis, heu regni, rerúmque oblite tuorum, &c.

Quod si explicantem Seruium sequamur, depositâ Dei formâ, mortalem induit, ne videretur Deus aut afferre dolores, aut dura exequi, aut pœnas inferre; sequitur enim,

Mortales visus medio in sermone reliquit.

Humanam reliquit effigiem, (ait Seruius) *quam sumpserat.* Hinc videas licet, quàm in nostra commoda pronus est Deus! in supplicia quàm lentus!

Quàm

Quàm vigil Æneas, & de ſuorum ſalute ſollicitus, qui inſomnem noctem, plurima voluens pectore, traducebat. Fidens tamen de Matris & Aui opportuno ſubſidio; 93 Vigilātibus cœlum etiā aduigilat.

At pius Æneas per noctem plurima voluens,

Huius vigilantia commeruit, vt eius commodis advigilaret & cœlum; Nam ipſe, *(Vt primum lux alma data eſt,)* exploraret à quibus ora illa incoleretur, *hominesnè feræne eſſent.* Ecce tibi

Mater media ſeſe tulit obuia ſyluâ
Virginis os, habitúmque gerens, & Virginis arma
Spartanæ.

Præclarè Aſcenſius; *Licet Dea mater, Deúſque auus pro filio & nepote ſolliciti eſſent, non tamen ſibi prouidus Heros defuit; quippe qui nonit, quod dormitantibus Dij auxiliatores non ſint; ipſe noctu præuidit, quod poſtridie faciendum eſſet; atque ita prima luce egreditur exploraturus regionem, illicque obuiam matrem habuit in media ſylua.*

Arguta ſimul & acuta illa Nota Donati, Ideò ait, in his, quæ ſequuntur, carminibus omnia genera nominum poſuiſſe Poëtam, quia ad omnia ſe Æneæ prouidentia Superioris extenderat. 94 Ad omnium rerum genera ſeſe debet cura Superioris extendere.

Locóſque
Explorare nouos, quas vento acceſſerit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominéſne feræne,
Quærere conſtituit, ſociiſque exacta referre.

Locos, homines, maſculini generis; oras, feras, fœminini; inculta, exacta, neutrius. Ad omnia rerum genera ſeſe debet cura ſuperioris extendere. *Intereà* (inquit Donat.) *multa à Duce quærenda Virgilius definiens, diuerſis generibus exequutus eſt, ideſt maſculino, fœminino, & neutro; & reſponſurus omnibus neutro plurali concluſit.*

Exploraturus Æneas *quas vento acceſſerit oras, Qui teneant hominéſne feræne*, non ſolus & inermis digreditur, eſſet enim temerarius; nec omnibus armis inſtructus, & multorum militum præſidio munitus, nam ignauus haberetur & timidus; Quid ergo? 95 Dux neque temerarius eſſe debet, nec timidus.

Vno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

Pulchrè Donatus. *Neque omnino inermis fuit vt temerarius, neque omninò armatus, vt timidus; cum ſolis igitur inquit haſtilibus, & vno ſocio.*

Turpi fortaſsè viſco inhæreret Æneas, cum illi Venus, venatricem mentita, confeſſa penè meretricem, 96 Ex periculo ille emergit indemnis, quod non voluntarius ſed adiuit ex munere.

Media ſeſe tulit obuia ſyluâ.

Quæ *Humeris de more habilem ſuſpenderat arcum*
Venatrix, dederátque comas diffundere ventis:
Nuda genu, nodóque ſinus collecta fluentes,

Suſpectus omninò locus erat, ſylua; ſuſpectum tempus, nam, *Vt primum lux alma data eſt*; ſuſpectæ perſonæ, compoſita fœmina,

ferè meretricio fucata ritu ; miles Martius, qui hoc solent claudicare pede (vnde Mars rectè fingitur furtiuè conueniſſe cum Venere) summum ſanè periculum erat ; quod effugere ægrè potuiſſet, niſi illud Æneas adiuiſſet ex munere. Munus enim Imperatorum eſt, ſuis victum quærere, incolumitatem præſtare, omnimodam felicitatem acquirere ; hoc dum petit Æneas, dum loca explorat, & Principis officium exequitur, in periculum incidit non voluntarius; ſed penè dicam, inuitus. Donati ingenium eſt. *Ecce quanta irritamenta libidinis Æneam non mouerunt : nam fuit pulchra, benè veſtita, capillis diffuſis, & genu nuda ; dehinc, quod ſe in illa ſolitudine*

Vel ex obedientiæ lege.

ad conferendas cum viris fabulas prior ingeſſit. Quid ita ? non ille in pericula irruit voluntarius, ſed ex officio offendit inuitus. Quid ſi ex obedientiæ lege aggrediaris pericula ? pericula illa non erunt, quæ noceant ; exarmantur venena Obedientiæ carminæ, vt Vnicornij fronte acuminatâ toxico infectæ lymphæ venena deponunt.

97 Vidiſti ſuprà occurrentem obuiam Æneæ Venerem, alieno habitu, alieno vultu ; nam,

Labores Venerem giunt, fugant.

Virginis os, habitumque gerens, & Virginis arma Spartana.

Vel impudica quę uis Virginitatis inſignibus gaudet.

Virginitatem mentiebatur, & Virginis arma impudica Dea ; ab illa vtrumque quàm alieniſſimum. *Dederatquè comas diffundere ventis ; quæ Virginitatis nota eſt, inquit Zerda, dicente Claudiano lib. 2. Rapt.*

Libertatémque comarum
Iniectâ voluit tandem frenare coronâ.

Ideſt, voluit ex Virginitate tranſire ad caſtra coniugij. Virginali igitur pulchritudine, non Virginali tamen pudore errantem aggreditur,

Ac prior, Heus, inquit, iuuenes

Maximum ſanè periculum Militi, Iuueni, ſolitario in loco ; & par Maronis imprudentia eſt, qui temerè illum in diſcrimen intulit quàm arctiſſimum. Vbinam decorum illud, ô Maro, quod communi omnium admiratione ſoles tuo in Opere, abſolutiſſimo illo quidem, ſeruare ? hîc omninò grauiter defeciſti. Apage verò, inquit acutiſſimè Donatus, Nunquam aut prudentior Virgilius aut oculatior. Conſiderate qualis tunc temporis Æneas ſit, & Poëtæ prudentiam ingeniumque capietis. Ipſe paulò poſt de ſeipſo ;

Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro
Europâ, atque Aſiâ pulſus.

Calamitates, & labores libidinē coërcent.

Vndique malis obſeſſus, laboribúſque vexatus ; iactatus mari, terrâ inſequutus, inter ſyrtium & ſcopulorum ambigua naufragus, ſæpè fluctibus penè ſummerſus, de ſuorum ſalute, de exterorum iniuriâ ſollicitus, rerum omnium inopiâ laborans. Tot inter aduerſa grauis hæc occaſio labendi non eſt, quæ alioqui grauiſſima putaretur. Illuſtris hæc eſt laborum laus, & elogium ſingulare. Tantum

abeſt

abest vt Virgilio vertatur imprudentiæ. Audi Donatum. *Cum se se fœmina ad fallendum composita, sola, in sylua obtulisset, motus libidine non est Æneas; quamuis Virginitas, pulchritudo, & vestitus accenderent.* Addit deinde causam. *Accedebat ad castitatem congeries calamitatum, quæ etiam libidinosos coërcet.* Expende obsecro, *Accedebat ad castitatem congeries calamitatum.*

Quærebat Æneas, qui in vastâ illa solitudine errantes instrueret. 98
Occurrit Venus eo habitu, quem suprà retulimus; non tamen ausus est huius Principis pudor cum fœmina illa primus miscere colloquia: retardatus est in tanta instruentis necessitate. Præiuit itaque Venus,

Principem decet pudor.

Ac prior, Heus, inquit, Iuuenes &c.

Notatio pulchra Donati. *Debuit Venus offerre loquendi fiduciam; ne improbū videretur, quòd cū Virgine, quæ sola tunc esse putaretur, misceret colloquium. Ipsa prior, vt ad interrogandi necessitatē ille venire potuisset.*

Mortali se habitu immortalis Venus Troianis obtulit, vt illos instrueret, & eorum commodis & incolumitati consuleret, 99

Virginis os habitumquè gerens &c.

Hac illos arte solatur. Dea erat & Mater. Matrem illam & Deum postquam Troiani salutaribus agnouere consiliis, Mater etiam & Dea voluit agnosci. Sequitur enim

In nostrum se commodum Deus ipse dissimulat.

Et vera incessu patuit Dea. Ille vbi Matrem
Agnouit &c.

Huc traho paraphrasim Donati. *Ecce non tantùm Deam se constituit, verum etiam matrem.* Instructo iam Troiano duce, se Matrem esse & Deam nullo obiecto velamine voluit agnosci, vt fidentiùs illi exequerentur, quod à mortali mortales attentius audierant.

Documentum planè à Poëtarum omnium ter maximo est illud, 100
quod nobis in suo commendauit Heroë. Fingitur hìc prior rogatus à Venere, quæ Venatricis habitu vagabatur,

Cum fœminis de rebus tantùm præcisè necessariis colloquendū est.

Heus vos, ô iuuenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hìc errantem fortè sororem,
Succinctam pharetrâ, aut maculosa tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementis?

Duo Venus inquirit, *An viderint, An audierint.* Id respondendū duxit Æneas, quod nec rusticitatis notā incurreret, nec intēperantiæ.

Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.

Quid potuit temperantiùs? quid opportuniùs? *Neque vidi, Neque audiui.* Ethicæ politicæquè virtutis Æneam vbique Maro proponit ideam; quare virtutem hanc in hoc loco perfectam attribuit. Quis melius has argutias quàm Donatus? *Responsione breuissimâ,* inquit, *Nec vidimus aliquam sororum tuarum, neque audiuimus clamantem. Ipsis verbis respondit, quibus cucurrit interrogatio. Nam fœmina dixit, si forte aliquam vidistis, aut audistis; huic responsum est, Nec vidimus, nec audiuimus.* Præcisè respondet, quia cum fœmina loquebatur.

101 Magna oculis pulchritudo subiecta affert stuporem.

Aliam Zerda rationem assignat, cur breuissimè Æneas responderit Veneri, quàm maximè probo. *Vide vt breuissimè*, inquit, *Æneas responderit, nimirum vt indicetur affectus Æneæ stupentis de pulchritudine Veneris. Hac ita fuit magna vt Æneam à breuissima responsione statim reuocauerit ad erumpendum in illius laudes.*

102 Summa est in beneficij collatione felicitas.

Felix ille æquè est, qui beneficia confert, atquè ille qui accipit. Æneas ad Venerem in primo suæ orationis aditu, *Felicem* Venerem vocat;

Sis felix, nostrumquè leues quæcunque laborem.

Quasi dicat, Quæcunque tu sis, vel *Dea certè*, vel *Nympharum sanguinis vna*, nostrum leua laborem, sic enim multum tibi felicitatis accrescet. Dixerit potius Æneas; si nostrum laborem tu leues, felices erimus qui per te à labore nostro, & errore vindicabimur. Æqua certè vtrique felicitas est & danti & accipienti. Maluit ergo in dantem felicitatem reijcere; vt sic ab Vtili & Honesto facilius impellat. Explicatio ista Seruiana est, quæ maximè placet. *Felix, idest propitia* (nam propitius cum felici conuertitur) *felix enim dicitur & qui habet felicitatem, & qui facit esse felicem, vt in Bucol. Sis bonus ô felixquè tuis* Vnde è contra Iuno in lib. 7.

Quæ potui infelix? idest aduersa Troianis.

103 Auarus vt rapiat, quæcunque aliorum dispendia non curat.

Adeò crudelis est auaritia, vt aliena corporis animiquè dispendia non curet; dummodo rapiat. Pygmalion Sichæum.

Impius ante aras, atquè auri cæcus amore
Clam ferro incautum superat.

Nulla ille veritus humana iura, nulla diuina & affinitatis, & Sacerdotij; clam superat incautum, & ferro, & ante aras. Quanta in vno crimine crimina! *Cupiditate impeditus* (expendit Donat.) *non considerauit Vbis Quid, Cur, In quem faceret.* Vlteriùs progressa auari huius crudelitas est: animi etiam dispendium Sichæo misero attulit, cuius corpus inhumatum reliquit.

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago.
Coniugis, ora modis attollens pallida miris.

(Inhumati námquè *Centum errant annos* ait Virgil. & nos suprà *n.* 34.) Hîc Donatus; *Quod ait Inhumati; Crudelitatem voluit etiam in hac parte demonstrare Pygmalionis, & desperationem plenissimam, vt post multimodum scelus admissum, occisi non curauerit sepulturam, quam procurare debuerat.* Et corporis ergo vitam, & animæ requiem intercepit auarus, vt raperet.

104 Auaritia facit stultos.

Ipsa se prodit.

Nequè crudeles solum in aliorum perniciem, sed & stultos Auaritia facit auaros. Quàm inconsideratè, quàm stultè Pygmalion! qui cum Sichæum clam occidisset, inhumatum tamen reliquit; neque considerauit parricidium posse corporis inhumatione in publicum ire. Ipsa se solet auaritia stultissimè prodere. Donatus. *Occisi sepulturam procurare debuerat, vt nefarium factum viuentium oculis vel*

terra

terra subtraheret. Sed auaro quid inconsideratiùs? quid stultiùs?

Aggrauat Pygmalionis nefarium scelus,quòd contra Patris iudicium senserit filius,& Sichæum occiderit Sororis coniugem. 105

Scelus est, contrà Patris iudiciũ sentire filium.

Cui pater intactam dederat; primisquè iugarat
Ominibus.

Iudicium ille tunc damnat patris, qui in Didonis maritum Sichæum elegerit,ipsi intactatam dederit, Virginem scilicet; & omnibus primis iugauerit,quando illi manus attulit, intulit necem. *Mirè dixit,Cui pater intactam dederat, vt in Sichæi nece etiam contra iudicium Patris scelus admisisse videatur.*

Prudentissimè Donatus notat filiorum nuptias parentum arbitrio, & voluntate esse ineundas, in Carmina illa, vbi Didoni 106

Arbitrio parentum filiorum nuptiæ sũt ineundæ.

Coniux Sichæus erat,
Cui Pater intactam dederat, primisquè iugarat
Ominibus.

Pater dedit,& intactam dedit, & iugauit. Harum dispositio nuptiarum omnis ex patre. *Plurimum verò meriti habent hæ nuptiæ, quas intactæ filiæ pater arbitrio perficit suo.* Hinc est quòd & sanctiores illæ,& puriores sint; ideò filiam dedit *Intactam*,nam quæ filiæ hunc, rationi consonum, ordinem negligunt, inuiolati pudoris circunstantiâ fortè fraudantur.

Cum Sichæus inhumatus Didoni coniugi apparet in somnis, quid causæ est, cur fugam illi celerem suadet, & excessum à patriâ, de sepulchro verò suo & funeralibus nihil curat? 107

Verus amator amati commoda præponit suis.

Tum celerare fugam patriâquè excedere suadet.

Verus amator Sichæus erat,reciproco coniugis amore dilectus.

Magno miseræ dilectus amore.

Ideò suis postpositis, superioris licet ordinis, commodis, amatæ consuluit. *Putauit enim*, inquit Donatus, *Eum qui tanta impietate sæuisset ne à cognati morte ad necem quoquè sororis simili crudelitate transiret.* Suadet ergo fugam, ne Didoni necem inferret, qui sibi crudeliter intulisset. Sui oblitus verus amator, de amata satagit. Zerda. *Quid vero suadet verus amator? celerare fugam, excedere patria. Non petit, vt sibi persoluat iusta funeralia, sed vt illa locetur in tuto.*

Nihil inausum relinquit auarus.

Vltionem Dido de grauissimâ illatâ iniuriâ aliquam sumpsit; & quidem maximam; nam quæ excogitari de auaro potest maior,quàm opes, propter quas deliquit, auferre? Abstulit, & 108

Vltio ab auaro grauissima est, sibi opes auferri.

Portantur auari
Pygmalionis opes pelago.

De hac se Dido vltione gloriatur, in 4. lib.

Vlta virum, pœnas, inimico à fratre recepi.

Optimè Seruius. *Portantur auari Pygmalionis opes pelago. Quas Pygmalion iam suas putabat; vnde in 4. Vlta virum Quæ enim*

avaro maior pœna, quàm pecuniam, propter quam deliquerat, perdere? Remoue hoc, & falsum est, Vlta virum

109 Superior longo tempore à suis abesse non debet.

Rogat Donatus, quare Æneas Veneri suos & labores & errores recensere recuset, eâ ductus ratione potissimùm, quod dies integer suffecturus ad narrationem non sit.

O Dea, si primâ repetens ab origine pergam.
Et vacet annales nostrorum audire laborum.
Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Atquè ita satisfacit. *Properabat enim redire ad suos, & post finem deii separatus ab ipsis inueniri non debuit.* Optimè quidem!

110 Apud Deũ pietatis tituli vim habent, non generis.

Rogatur àVenere Æneas, Quisnam sit?

Sed vos qui tandem?

Ille contrà, O Dea. *Deam te esse, inquit, certissimum est,* explicat Donatus. Cum Dea se loqui omnino putauit, quæ autem Dea esset, adhuc non nouit. Prosequitur itaquè,

Sum pius Æneas.

Non se ait nobilissimo ortum sanguine, regia stirpe; non à præclarè gestis & virtute titulos mutuatur, sed à Pietate; hi enim apud Deum vim habent maximam, vilescunt cæteri: apud mortales in pretio sunt hi, illi non ita;

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum.

Quæ grauiter expendens Donat. *Quia,* inquit, *cum Deâ se arbitrabatur loqui, commendat personam suam. Pium se vocat, & ostendit in excidio patriæ hoc se habuisse præcipuum, quod antè alia Penates liberaret.* Hac dignoscuntur notâ apud Superos, qui pij sunt, ideò addidit.

Famâ super æthera notus.

111 Magis præsentibus afficimur, quàm præteritis.

Quando infortunia sua Veneri narrat Æneas, quæ præterita iam fuerant, breuissimè narrat, interpositis etiam dactilis, quæ celeriter fluunt,

Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor,
Matre Dea monstrante viam, data fata sequutus.

Quæ verò præsentia sunt, aut recentia, lentissimè, multiplici interiecta synalephâ, & spondæo,

Vix septem conuulsæ vndis, Euroquè supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europâ atquè Asiâ pulsus.

112 Dei nutui actutum & sine mora obtemperádum est.

Poetæ ingenium notauit Donatus. *Ecce præterita strictim transijt, & in præsentibus immoratus est, propter maiorem misericordiam commouendam.*

Arguta illa Donati notula est in Emistichium illud, Dactilis fluens.

Data fata sequutus.

Actutum, sine morâ diuino nutui est obsequendum. Vel primam

voluntatis

voluntatis diuinæ significationem sequatur impletio. *Data fata secutus. Quàm breuiter! quoniàm fatalibus consentiendum magis est, quàm inefficaciter resistendum.*

Solidam famam laboribus parari, & exantlatis feliciter discriminibus nutriri, Æneas nobis documento est, qui de se, *Sum*, inquit, 113 Vera fama laboribus est, & periculis acquirenda.

famâ super æthera notus.

Solidâ vtique famâ, quæ meis parta laboribus est, ideo *super æthera notus*; Terrenæ namquè famellæ, quæ caducis pariuntur ex rebus, non latè patent, angustis terminis continentur. Sed quos ille labores tulit, vt esset *super æthera notus*, vbi hæc æra cuduntur & æstimantur? Supra,

Multum ille & terris iactatus, & alto.

Hìc, *Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,*
Europâ atquè Asiâ pulsus.

Vide quot, vide quales, vide quandiù, Rectè ergo *Super æthera notus* eâ famâ, quam sibi & parauit laboribus, & quæsiuit erroribus. Ingeniosè Donatus, *Laboribus meis notus sum, ys fama nominis mei sine fine decurrens, ad superos etiam & cælum venit.*

Non patitur Venus Æneæ, de suâ infelicitate, longiùs ire querelas. 114 Ad solis occasum domum fœminæ sese recipiant.

nec plura querentem.

Passa Venus.

Illum vlteriùs præ dolore audire non potuit; inquit Virgilius.

Medio sic interfata dolore est.

Interrupit dicentem. Aliam huius interruptionis causam aptissimam Donatus adiungit; *Venus autem sermonem interrumpit, quia maturandum, quando ante noctem via monstranda erat, & ipsa reditura erat ad superos.* Dedecet enim post solis occasum fœminam extrà domum vagari suam.

Præcesserat enumeratio discriminum, & recensio ærumnorum, 115 Ibi Deus, vbi labores & ærumnæ.

Ipse ignotus, egens, Libiæ deserta peragro.
Europâ atque Asiâ pulsus.

Ex his præmissis quid concludat Venus, attendite.

Quisquis es, haud credo inuisus cœlestibus auras
Vitales carpis.

Quasi dicat, Qui tot pressus laboribus es, tot vexatus ærumnis, fieri non potest, quin haud inuisus Dijs immortalibus sis. Eò Deorum amor fertur, quò labores; certa Deorum benevolentia est, vbi dominantur ærumnæ. Donatus. *Dijs, inquit propitijs constat te vitam ducere, quando infinita fers, & ingemiscis aduersa.* Ascensius, ex præteritâ narratione concludit, *Oportet equidem te Dijs charum esse.*

Summam putat infelicitatem Æneas, à materno pectore sensisse contraria, 116 Magna est infelicitas à materno pectore ex-

Quid natum toties, crudelis tu quoquè, falsis
Ludis imaginibus?

periti contraria. *Crudelis*, inquit, *Tu quoquè* Hanc enim ille crudelitatem comparat cum ijs crudelitatibus, quas à barbaris, ventis, mari, tempestatibus, hostibusquè sustinuit. Donatus. *Nunquid tam infelix sum, vt in me etiam materno pectore crudelitas orta sit.?* Huc infelicitatis se deductum esse conqueritur, vt matrem etiam crudelem experiretur,

Tu quoquè.

117 Diuino nos & nostra permittam' arbitrio. Quando eâ Æneas septus est nebulâ, quâ illum Mater Venus circumfuderat.

At Venus obscuro gradientes aëre sepsit.
Et multo nebula circum Dea fudit amictu.

Quamuis opportunam, suo iudicio nactus est occasionem, ingressus Carthaginem, vt disrumperet nubem, & prodiret in lucem, cum Regina, inscio Æneâ, Troianos naufragos liberaliter excepisset, & de Regis salute sollicita dixisset.

Atquè vtinam Rex ipse Noto compulsus eodem.
Afforet Æneas.

Quamuis deinde illum exhortaretur Achates,

Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides.

Noluit tamen inde discedere, vbi Dea illum collocauerat, sed

Nube cauâ speculantur amicti.

Illius significationem Numinis expectabat, vt se proderet, à quo inclusus est nebulâ. Oblatâ ille occasione non vtitur; audit Achatem, neque audit. Se enim & sua Numinis, quo ducebatur, permittebat arbitrio. Sapienter Landinus. *Ex sapientiâ erat Æneæ, cum se diuino, maternoquè fauore occultatū cerneret, Omnia Deæ matri integra relinquere, nec quidquam illius iniussu decernere.* Ita factum est, vt illius felicitas omnimodum consequuta sit incrementum; nam inde

Cumulata redduntur. prodijt penè diuinus,

Os, humerosquè Deo similis.

Quem Regina Dido suspexit, excepit, tractauit vt talem.

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

Nonne vides quàm cumulata nobis nostra reddantur, quæ diuino permittimus fidenter arbitrio?

118 Faciliùs nobiles animi cupiditates coërcent. Opportunè hic inserenda hæc loca sunt. Vbi Fortuna arridebat Æneæ cum nube tegebatur, incessit animum prodeundi cupiditas, restitit tamen regali cretus sanguine: Achates non ita, sed,

Prior Æneam compellat Achates.
Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides.

Prior Achates, (expendit Landinus) *quia animi cupiditatem non potuit ita comprimere, vt Æneas comprimebat.*

119 Superior Quare Achates cum appellat Æneam, non Æneam sed *Nate Dea* dixerit? rogat Donatus. Quia inferior, inquit, Achates, & proprio

proprio nomine superior appellandus non est. Eius verba sunt: *Nate Dea vocat, quia inferior non proprio nomine appellat Superiorem, sed honorifico.*

ab inferiori proprio nomine appellandus non est.

Animaduertit Donatus, Achatem neque præcipere, neque monere quid Æneas facturus sit, sed interrogare tantùm, quid consilij capiat. 120

Nate Deâ, quæ nunc animo sententia surgit.

Et debita cum honorificentiâ interrogare, *Nate Dea*; Inferior enim ille, Superior hic. *Quamuis prior loquatur Achates (nam prior Æneam compellat Achates) nihil iubet, aut consulit; sic enim Æneæ prudentia inferior fuisset, & ille arrogans; sed interrogat eum, qui & consilio & authoritate præstaret.*

Inferior superiori non imperet, aut illum sine honorificētia debitâ moneat.

Prætereundum non est, quòd obiter Donatus in Emistichium illud 121

Instant ardentes Tyrij.

Laudantur, inquit, *quia non inuiti laborant.* Inferior enim, qui libenter intentus est operi, dignus est laude. Seruius *Ardentes* interpretatur *Ingeniosos*, ex aliquorum sententiâ, qui è contrario *Segnem* idest, sine *igne*, ingenio carentem affirmant. Ingeniosus quisquè regio operi instabat, vt affabrè & pulchrè perficeretur.

Qui libenter laborat inferior, dignus est laude.

Ingeniosus operi publico præficiēdus est.

Stultorum est ilex alienæ felicitatis vmbra. Lustrat singulas Didonis glorias Æneas ex nube; & nequis putet prudentem hominē aliena felicitate moueri, & capi, hoc Poëta vtitur verbo, *Lustrat*, quasi ille per transitum viderit, quæ oculis obijciebantur; deinde causas adhibet, quibus excusetur; 122

Stultus ille, qui sub alienæ felicitatis vmbrâ conquiescit.

Namquè sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam operiens, dum quæ fortuna sit vrbi.
Artificumquè manus inter se; operumquè labores
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas.

Illam adhibet primam *Reginam operiens*; secundam, *ingenti in templo*; tertiam, *Miratur artificum manus inter se*; quartam, *Videt Iliacas pugnas*; res proprias contemplatur, Hectorem, Priamum, Atridas, Achillem. Audi Donatum. *Tuetur hic Æneam Virgilius, ne inanibus captus videatur remansisse, quem conuenerat reditum maturare ad socios suos, neque vlterius teneri illecebris felicitatis alienæ.*

In Emistichium illud *Hic primum Æneas sperare salutem Ausus*, Seruius appositè, *Benè Ausus, quia inter incerta fatis audacter salus speratur.* Audacia omnino fuit inter feros Afros externum hominem securitatem & vitam sperasse. 123

Audacia est inter pericula sperare securitatem.

Non timere Æneas certè non potuit efferam Afrorum naturam, cum Africam se appulisse cognouit. Sed cum in Carthaginensis templi valuis, (vbi vel sculptæ vel pictæ erant & pugnæ & victoriæ) præmium attribui Virtuti videret. 124

Sunt etiam sua præmia laudi.

Et commiserationem & lachrymas aduersitati,

Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.

Securè viuitur, vbi Virtus præmium, aduersitas cōmiserationē habet.

Statim abire timorem iussit, & spem est quietis, ac securitatis ingressus,

Noua res oblata timorem
Leniyt, Hic primùm Æneam sperare salutem
Ausus, & afflictis meliùs confidere rebus.

Quare se ipse infrà exhortatur confidentissimè,

Solue metus.

Pulchrè Seruius. *Vbi virtus præmia, aduersa miserationem merentur, rectè formido deponitur.*

125 Troiana bella, incendia, rapinæ, neces, vel sculpta in Templi valuis erant, vel picta. Artis, hæc dexteritate placebant, & intuentibus laxationi seruiebant, & fabulæ, quæ multo Troianis sanguine steterant. Hîc Æneas, Carthaginem ingressus,

Dolorem affert, meā calamitatē vel aliorum animi laxationi deseruire, vel fabulæ.

Videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaquè &c.
Atque animum picturâ pascit inani.

Sed hanc ipse infelicitatem deplorat, aliis nimirum esse recreationi, vel fabulæ, quod ipsi & suis dolori fuisset & ruinæ.

Constitit illachrymans

Expendit Donat. *Dolebat quippè de aduersis suis, imperiiquè Troiani, & suorum interitu factas esse fabulas, quas loquerentur homines, & per oblectationem suam pingerent.* Itaneverò vt nostra calamitas tot delectationi obseruiat? tot nostro dolore gaudeant? & nostri excidij picturâ lætentur? Et notare oportet adeò graui Æneam perculsum esse dolore, vt lachrymæ vocem præcesserint, quod in vehementi dolore solet accidere;

Constitit, & lachrymans, Quis iam locus, inquit, Acahe,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Hîc Donat. *Quando doloris fuit causa vel maxima, relationem eius, & vocem lachrymæ præcesserunt.*

126 Vbi suum Deus numen ostentat, suam mortales ostendant gratitudinem necesse est. Templum illud, quod Dido Iunoni Carthagine condidit, quia *Donis opulentum*, ideo & *Numine Diuæ*. Augebat illud Regina multiplici donorum incremento; augebat & Iuno sui potentiâ Numinis, vt Donatus exponit.

Mortalium gratitudini largitas diuina respōdeo

Donis opulentum & Numine Diuæ.

Sensit ita Donat. *Oportuit enim Deam in eo loco habere honestissimam sedem, in quo virtutem suæ maiestatis ostenderat.*

127 Dolet Æneas, quod Troiæ excidium & ruina oculorum oblectationi, & hominum fabellis inseruiant, in templi foribus picturis expressa. Qui dolor lachrymas etiam expressit,

In ipso sæpè dolore solatium allucet.

Constitit, & lachrymans, quis iam locus, inquit, Achate
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Sed in hoc dolore allucet etiam ratio solatij, quæ illum leniat,

Sunt

Sunt hic etiam sua præmia laudi.

Inuenio hîc,inquit Æneas,quæ dolorem afferant;sed & inuenio, quæ solatium. Nostrâ hîc virtus picta vel durabit insculpta, & lachrymas eliciet intuentium & commiserationem.

Sunt lachrymæ rerum & mentem mortalia tangunt.

Donatus. *Sic tamen dolenda protulit; vt partes etiam consolationis insereret. Est in ista pictura, quod dolorem moueat, est quod malorum solatium ferat. Hoc ipsum colligebat argumentis, non verò indicio.* Optima sanè ratio,sed cui assentiri ipse præ dolore non poterat.

Seruius in Carmen illud 128

Hàc fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus,

Troianam iuuentutem explicat,idest, *Hectorem*, qui vnus Troianæ instar totius iuuentutis Graios fugabat. *Definitio est*, inquit, *Hectoris*, Exemplum adducit, quo id probet; *Vt alibi,* Vnus magnanimus multorum est instar.

Catillusquè acerquè Coras, Argiua iuuentus.

Et reuerâ sic penè vbique Homerus ponit, vt Hectori tantùm, vel Achilli totus cedat exercitus. 129

Cum multa essent in foribus Carthaginensis templi depicta, mirum est, Æneæ oculis primo Græcorum fugam obiectam esse, non suorum fugam, neces, calamitatem, incendia &c. Oculi sequuntur affectum.

Namque videbat vti bellantes Pergama circum

Hàc fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus.

Sine dubio oculi sunt affectum sequuti. Suorum gloriam in Græcorum fugâ contemplatus est primò in templi aditu Æneas, reliqua deinde lustraturus. Acutè Donatus, illùc ait primò oculos coniecisse Troianum, *Faciebat enim pro gloriâ, cum Troiani Græcos insequebantur.* Alieni defectus in oculos nostros facilè incurrunt, non ita nostri.

Cum ad Palladis templum Iliades tristes passis crinibus irent, quare Dea ipsa 130

Solo fixos oculos auersa tenebat? Oculorum auersio cóceptam iram animo prænotat.

Quia sicut à diuinorum intentione oculorum beneuolentiæ signa petuntur,sic ab auersione,iracundiæ. Irata enim Pallas Troïanis fuit; quam igitur animo conceptam habuit iram; oculorum auersione ostendebat. Donat. *Quod faciunt irati, ne respiciant quod oderunt.* Vide infra ad Emistichium illud; 131

Aspice nos 132

Quantam Hector circum muros Iliacos adeptus est gloriam, cum Patriam multâ aduersariorum nece propugnabat! Corruit gloria hæc, & qui illum toties victorem, toties triumphantem viderant; iidem victum non ita multò post, triumphatúmque viderunt, nam Achilles Miserû est, eos esse tuæ spectatores infamiæ,qui: fuerát gloriæ.

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Non semel & iterum, sed Ter, quod miserum est. Præclarè Donat. *Gemuit ciuitas fortunam tanti viri, quem defensorem suum in eâ*

calamitate cernebat. Trahebatur extinctus ante eos muros, quos tantâ fortitudine & laude defenderat. De eo triumphus actus est,& quod peius erat, sub ipsis mœnibus, & toties circumducebatur,ne quis ab eâ cognitione subtraheretur. Vt ibi ad omnium notitiam eius perueniret infamia, vbi coruscauit & gloria.

133 Impius nec nominãdus quidem est. Cum de Hectoris calamitate loquitur Maro,Hectorem nominat, Achillem verò, qui illum circum Iliacos muros raptauerat crudelissimè, hîc silentio prætermittit. Quid causæ est?

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Quia crudelissimi hominis nomen dignum non est, quod vel solâ voce vsurpetur. Ingeniosè Landinus; *Est autem pro dolore in pronuntiando extollendum Hectoris nomen, & Achillis supprimendum; cuius tanta fuit immanitas,vt & tracti Hectoris patri orbitatem suam venderet.* Duplici ergo crudelitate tacendus.

134 Quod ab inferiori precibus emitur,magno emitur pretio. Qui supplex inferiorem precatur,magno emit pretio,quod petit; enim se inferiorem inferiori fatetur. Priamus ad Achillem Hectoris interfecti humandum corpus petiturus supplex accurrit, se inferiorem professus,

Tendentemquè manus Priamum conspexit inermes.

Sine regis insignibus, hoc enim est *inermes manus. O indignitas rerum!* Expendit Donatus, *Priamus, qui fuerat grauioris ætatis, potestatis regiæ; qui per infinita tempora cum omni felicitate floruerat, pater tot virtute præditorum liberorum,auus quoque multorum nepotum, ad hanc necessitatem redactus est, vt, post amissa omnia in causa durissima orbitatis hostem supplex rogare cogeretur. Et manibus, inquit, inermibus, hoc est, sine insignibus regni; quia qui rogatum venerat, in omnibus se inferiorem debuerat demonstrare.* Magno sanè emit pretio, qui Rex cum esset, inferiorem se Duci voluit ostendere.

135 Vera laus est, quæ sine fuco est. Sæpè Maronis admiror ingenium,qui cum summam laudem suis quærit Heroïbus, eam, quasi pertransitum, sine fuco, aliud agens impertit. Huiusmodi notæ illa laus est Æneæ, qui pictum se inter Achiuos Principes, qui in Carthaginensis templi foribus erant, agnouit interitum.

Se quoque Principibus permixtum agnouit Achiuis.

Magna,inquam,laus est Æneæ,cuius præclarè gesta adeò vulgata iam,vt exteræ etiam gentes vel picturâ vel sepulturâ ad immortalitatem commendarent. Donat. *Honorificum fuerat confertos hostes non timuisse.* Fusiùs & clariùs Seruius. *Virtutem eius vult ostendere; nimia enim fortitudinis est,inter hostium tela sine metu versari.*

136 Fœmina sine graui causâ in publicum prodire non debet. Fœmina,præsertim quæ pulchra est,sine graui causâ in publicum prodire non debet. Præclarè Donatus causas expendit, quibus pulcherrima Dido, *iuuenum comitata cateruâ* in publicum ierit. Religionis primam, nam ad templum,

Regina ad templum formâ pulcherrima Dido
Incessit.

Aliam;

Aliam; vt publico satisfaceret muneri, quod substinebat;

Instans operi, regnisquè futuris,
Iura dabat, lega viris, operumquè labores
Partibus equabat iustis.

Duplex procedendi Regina necessitas, ne si esset superflua (nam *ipsa vel maximè formosa erat, qua enim multis viris incederet) inueniretur inuerecunda, qua nullâ cogente causâ, facilè publicis sese offerret adspectibus. Incessit, inquit, ad templum; Ecce Religionis, & venerationis causa: processit Regina Instans operi &c. Ecce temperamis iustitiam causa demonstratur.* Sic Donat.

Ilioneus apud Afrorum Reginam sic de Afrorum crudelitate conqueritur; 137

Quod genus hoc hominum? hospitio prohibemur arena.

Vbi Donat. *Sub iure querelarum, occasione, & deformatione Tyriorum tenet & suam laudem; nam cui inhumanitas aliorum displicet, & ipse vtique humanus est; & qui alienos mores grauiter reprehendit, ab hisce se profitetur alienum. Vsque adeò displicebant, vt nomen illorum inuenire nequiuerit, Quod genus hoc hominum? inquit.*

Tuæ indiciū bonitatis est alienam odisse malitiam.

Troës ab Afris calamitatis leuamen suæ meritò desperauerant, qui naufragos crudeliter repulissent, & ab aquis littora iam iam tenentes arenæ hospitio prohibuissent, 138

Quod genus hoc hominum, quavè hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arena,

Ad Reginam conquestus ait Ilioneus. Sed in hac rerum desperatione totius spes felicitatis allucet; ad illos namque Regina,

Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo, vestra est.

In maiori rerum desperatione, maior interdum felicitas inuenitur.

Quibus nuper arenæ negatur hospitium, iam plena Vrbis & Regni potestas conceditur. Pulchrè Donat. *Ecce plenâ beneuolentia eos in societatem vocat regni, qui omnia desperauerant.*

Expendamus Donati verba in hunc sensum. Resarcire beneuolè, superior debet, quod inferiores peccauêre crudeliter. Illi Troianos à littoribus repulerunt, illa in vrbem inuitat; illi arenæ hospitio prohibent, illa in regni societatem vocat; illi neque hospitij lege permittunt, illa vrbis, quam statuit, dominos vocat,

Vrbem quam statuo, vestra est.

Quod ab inferioribus malè peccatur benè resarcire superior debet.

Beneuola Regina refecit, quod ad Afris suis crudeliter factum est. Ecce quam plena resarcio iniuriarum! *Ecce plena beneuolentiâ eos in societatem Vrbis & regni vocat, &c.* 139

Dixerat Ilioneus, apud Reginam de Afrorū crudelitate cōquestus,

Quod genus hoc hominum? &c.

Illa verò, quæ optimè Afrorum naturam nouerat, omninò crudelem, vultum præ pudore demisit.

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.

Optimi superioris est, ad publicas inferiorum suorum culpas pudefieri.

Vbi Donat. *Non solùm propter verecundiam muliebrem, verum etiam propter obiecta; & eò magis erubescebat, quod nec barbara fuit.*

Prudentissima illius comitas grauem est de suorum immanitate passa pudorem. Quare huic illa primùm occurrit,

Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.

Vitur arte plenissimâ (ait idem interpres) *vt gesta, non negando, quoniam manifesta erant, sed purgando, defendat.*

140 Vera illa est amicitiæ probatio, quę nec absentis amici laudibus parcit.

Illa veræ amicitiæ probatio est, quæ in absentis etiam amici profusa est. Ilioneum audi qui apud Didonem de absentis Æneæ laudibus, vt ipse putabat, (latebat pręsens tamē ipse sub nube) ita dixerit;

Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Tantæ fidei gratum se statim præbet Æneas; nam cūm primum

Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum,

Ilioneum petit, & inter reliquos vnum dextrâ petit; & quamuis multi ibi Troiani essent, qui ex vndis erepti Ilioneū sequebātur, hūc *amicum* appellat, vtpote cuius fidem amici absens esset expertus.

Sic fatus, amicum
Iliona petit dextrâ.

Sinistrâ crediderim exceptos esse cæteros, hunc, vt potiorem amicum, dextrâ. Donatus mihi videtur ita sensisse: *Prælatus certè, cui dextra porrecta est.* Pergat Donatus, & acumen exponat; *Rectè amicum dixit, & hunc cæteris anteposuit; tunc enim meliùs probantur amicitiæ sicut Ilioneus fecit, vt amicus præsens amici absentis causam sic tueatur, ac seruet, ac si assistente eo videatur esse completum.*

141 Superior nō tam nobilitate sanguinis, quam præstantia muneris est cōmendandus.

Ab potioribus in superiore partibus Ilioneus commendat Æneam; non illum à clarâ Deorum stirpe, à regio sanguine, à vetustate prosapiæ, sed à præstantia muneris, quod sustinebat; à iustitia, à pietate, à virtute, ab armis.

Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.

De fortunæ bonis (quæ vocant tacuit; Animi bona & corporis

142 Fœminæ apud viros, quæ necessaria sunt, loqui debent.

(quæ ad bonam muneris administrationem pertinent) protulit. Aduertit Donat. *In Duce suo bona animi laudauit & corporis: animi sunt iustitia & pietas; Virtus in exercitatione bellandi.* Ad hanc rem ingeniosum illud paradigma est Ægiptij Amasis

Post Ilionei orationem ad Didonem, ipsa

Breuiter Dido vultum demissa profatur.

143 Publici licet suorum defectus à superiore tegēdi sunt.

Breuiter, potest intelligi, inquit Donatus, *propter personam loquuturæ mulieris, & sermonem factura ad incognitos viros.*

Quis Sichæi necem Pygmalionis illatam manu, & crudelitate non nouerat? & tamen cum de illa mentio à Didone facienda est, *Rem duram* tantùm vocat,

Res

Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & late fines custode tueri.

Non Pigmalionis scelus, & mariti necem retegit, quia Superior illa, & de aliorum criminibus (quamuis ad omnium iam notitiam peruenerint) dicendum à superiore non est. Ascensius ex Donati pharetrâ, *Rem duram interitum mariti & metum fratris intelligit, sed non expressit, ne narrando vulnus antiquum refricaret, & scelus domus retegeret. Lo que en cassa sucedio, que de se en cassa.* Dolores refricandi nō sunt.

Æneæ pulchritudinem mirè Virgilius exaggerat, cum à Matre Venere Nato afflatam esse dicit. 144 Matris in filium amor semper est maximus.

Namquè ipsa decoram
Cæsariem Nato Genitrix, lumenquè iuuentæ.
Purpureum, & latos oculis afflarat honores.

Nato, inquit, Genitrix, (expendit Donatus) *Duo nomina posuit infiniti interse atquè inæstimabilis meriti. Quidquid enim possunt parentes libenter conferunt filijs suis.* A Matre, & pulchritudinismatre, in Filium illa fuit pulchritudo:quid vltrà addendum est? nihil.

Septus nebulâ tamdiu Æneas fuit, quàmdiu Dea ipsa, quæ illum incluserat, voluit includi. Erumpere ille discissâ nube potuit, cum Regina Dido ad socios Æneæ, 145 Ei, qui Deo fidit, rerum natura famulatur.

Vtinam Rex ipse Noto compulsus eodem.
Afforet Æneas.

Potuit, cum eos, quos omnino naufragos esse putabat, saluos incolumesquè appulisse Carthaginem gauisus est: potuit, cum ab Achate inuitatus est.

Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit.
Omnia tuta vides.

Noluit tamen nubem discindere, & in medium se dare; expectauit illius Numinis volũtatem, cuius se ipse arbitrio permiserat; tunc.

Scindit se nubes & in æthera purgat apertum.

Ipsa rerum natura famulata est ei, qui fiderat Deo, Ita Donatus apud Ascensium. *Sindit se nube, inquit; non ipsi ex nube progressi sunt, sed nubes ipsa discessit; vt ostendatur rerum natura commodis Æneæ inseruire. Ergo tamdiu fuit tectus, quamdiu opus fuit; deinde discessit nubes.*

Cum apud Didonem conquereretur Ilioneus de Afrorum crudelitate, qui eiectos iam ad littus, in fluctus reiecerant, ita infit. 146 Dolens animus illatã sibi iniuriã exaggerat.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma &c.

Paucos Troianos *genus humanum vocat, & mortalia arma.* Pontanus IESVITA hunc notauit dolentis affectum. *En quàm inuidiosè! genus humanum inquit & mortalia arma, cum paucos illos Troianos prohibuissent in littus descendere.* 147 Errans Mũdi opinio est Labores dedecêre pium.

Falsa illa mundi opinatio est, eos à laboribus longè futuros esse, quibus cælum fauet, quos superi fouent; quasi verò diuinæ dignitas

prosapiæ laborum tolerantiâ vitietur, non potiùs nobilitetur. In hac erat opinione Regina Dido, cum ita ad Æneam,

Quis te nate Deâ per tanta pericula casus
Insequitur?

Quasi dicat, Quî fieri possit, vt natum te Deâ, tot expositum periculis, tot discriminibus obiectum, terraque marique fortuna vexauerit? consequens, enim esse debuerat, vt nullis ille laboribus vrgeretur, qui diuini scintillam generis habet. Donatus. *Cum dixit Quis te casus insequitur natum ex Dea, miratur, quia debuit potentia numinis sui demonstrari, & tueri filium, contra omnia incommoda, nec tamen fecit.* Imò nusquam dignius Æneas meretur hoc nomen, quàm cum per pericula trahitur, fortunæ ludibrium.

Res mirabilis iterum ac tertiò audita delectat.

148 Pontanus Symbolarum author rogat hîc, quare Regina iterum voluit Troiæ excidium audire ab Ænea, cum illud iam ipsa à Teucro didicisset? Ita enim illa;

Atquè equidem Teucrum memini Sidona venire.
Finibus expulsum patrys, noua regna petentem.
Auxilio Beli. Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum &c.

Ex oculato teste cognouit Dido bellum illud Troianum, atquè adeò excidium; nihilominus in extremo huius libri ab Ænea audire concupiscit, quæ eodem illo Græco narrante cognouerat Reddit deinde causam. *Res enim magna, & ipsa nouitate mirabiles, etiam iterùm ac tertiò audita delectant.*

Illustris illa tua laus est, tui hostis expressa ore.

149 Illa sine dubio illustrissima laus est, quæ ab ipso proficiscitur hoste. Expendit Seruius huiusmodi notæ illam Troianorum fuisse, quam Græcus Teucer, acerrimus Troiani nominis hostis, ad Didonem præfatus expressit.

Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat.

Troianorum laudis exaggeratio est (inquit) *qui etiam ab hoste laudantur.* Fusiùs Pontanus IESVITA. *Teucri testimonium de Troianorum virtute ideò maiorem vim habet, quia hostis. Nam vt amici laus suspecta, reprehensio sincera; sic inimici vituperatio pro falsa, laudatio pro vera habetur. Nam si quid in te esset vitij, illi potissimum reprehenderent.*

Maximi loco beneficij est, quod, etiam non petitum, annuitur.

150 Cum ab vndis erepti Carthaginem appulere Troiani, illud supplices à Regina petierunt.

Quassatam ventis liceat subducere classem.
Et siluis aptare trabes, & stringere remos.

Vlteriùs Regius animus progressus est; illorum longe vltrà votum contigit: nam ad illos Dido.

Quare agite ô tectis iuuenes succedite nostris.

Non illi ausi sunt vel aptare id, quod illa vltrò concessit: ideoquè maximi loco beneficij habendum est. *Offert vltro hospitium,* (inquit

(inquit Donat.) *& tectis suis excipit : maiorem humanitatis suæ gratiam sperans , si huiusmodi beneficium non petita conferret.*

Olim Belus pater meus, (inquit Regina) Teucrum vestrum excepit hospitio . 151

Quare agite ô tectis iuuenes succedite nostris.

Optimam sanè & legitimam elicit consequentiam Regina , ait Donat. nam Pietas hæreditario ad posteros transfundenda est, *Cum dicit ; Quare agite , &c. hoc debet intelligi , Cum videatis morem esse familiæ meæ , vt venientes excipiat sicut Teucer vester à patre meo susceptus est , ipsa quoquè vos tectis excipiam.*

Pietas hereditariò ad posteros transfundi debet.

Regia sæpè via labores sunt ad coronam. Ad regalem , quâ Dido fulgebat , ipsa se fatetur multis laboribus arrepsisse. 152

Me quoquè per multos similis fortuna labores.

Iactatam , hac demum voluit consistere terrâ.

Me quoquè dixit , vt se miseris in calamitate componat , & vt ad melioris fortunæ spem erigat , addit.

hac demum voluit consistere terrâ.

Premunt sæpè labores, sed coronant tandem.

Nec pudeat inquit (verba Donati) *quòd tantum vos attriuerit aduersa fortuna. Cum enim interuenit maior vis , æquo animo sustinenda est. Atquè vt hoc persuaderet proponit exemplum suum , ait enim, Et me , quam videtis felicem, aliquando infelicitas pressit, quâ factum est , vt iactata per infinita incommoda , ad hæc loca , fortuna cogente , perducta sim.* Me coronæ , non mihi coronam aptauere labores. Similem vos experti causam, effectum similem sperate ; nam vestræ *Similis fortuna* mea fuit.

Post damna certiorem esse & securiorem gloriam ostendit hic locus. Ibi certior apparet & securior gloria , cum fessa iam fortuna Didonem. 153

Hac demum voluit consistere terra.

Quæ non soliditas est in verbo *consistere ?* Rectè hic quadrat Epigramma 25. lib. 3. Tarquini Gallutij mira suauitate , & ingenio Poëtæ. Et nonus Rouerij caracter de Fortuna. *fol.* 88.

Post damna certior est gloria , & securior.

Expendit Landinus vocem illam *Demùm* , in hunc sensum , vt videlicet sine fructu labor esse nullus possit. *Demum dixit, dat enim spem & illos inuenturos felicem sedem.* 154

Sine fructu labor esse non potest.

Aduertit Donatus ita huius carminis structuram esse debere, vbi Dido , *Non ignara mali miseris succurrere disco.* 155

Ignora mali non disco miseris succurrere ; sed iam didici. Non adhuc in Tyrocinio sum , iam ab ipso vsu euasit magistra tolerandi labores. Non disco , quæ prima sustinendi labores disciplina est, sed impendio iam pridem didici meo. *Non disco inquit, quantum laborem sustineant , quos aduersa fortuna persequitur ; didici enim malis meis, quemadmodum succurrere miseris debeam.* Donat. Ad magisterium me multorum laborum tolerantia prouexit.

Qui passus labores est facilè aliorum miseretur ærumnis.

Pro dignitate metiendi sunt luxus, metiendi sumptus. Landinus in illud.

156 Vniuscuiusquè expensæ pro dignitate esse debent.

At domus interior regali splendida luxu.
Instruitur.

Notat *Regali luxu* Reginæ domum instructam, idest *tanto quantum Reginam decebat*. Addit deinde; Luxus autem non vituperatur in ditissimis, quoniam id opes ferunt suæ; vituperatur in tenui censu. Quapropter rectè Iuuenalis in satyr.

Atticus eximiè si canat, lautus habetur.
Si Rutilus, demens; quid enim maiore cachinno.
Excipitur vulgi quàm miser miser Apicius? &c.

157 Parentibus summa filiorum cura esse debet.

Sollicitabat Æneam paternus amor luxu licet regali exceptum à Didone.

Nec enim consistere mentem
Passus amor,
Omnis in Ascanio chari stat cura Parentis.

Ad illum igitur mittit, qui dicat, quantâ se videant felicitate vadatos. Sed quem mittit? Achatem: nemo pulchriùs, nemo signantiùs mitti potuit; Achates enim *Cura* significat.

Rapidum ad naues præmittit Achatem.

Landinus allegoricè. *Achatem præmittit, nam si Curam significat, cura est, quæ pertingit filium.* Ipsa imitatur *Cura*, neque alteri, quàm *Cura* ipsi huiusmodi ad filium mandata credantur.

158 Munifico dapes non sapiunt, qui suam priùs munificentiam non ostendit.

Munifico gratior est cibus, post munificentiæ ostentationem suæ. Hinc est quòd Æneas non post conuiuium, quo exceptus est à Didonē, non post remotas mensas, sed dum pararetur conuiuium, ipse quoquè præparari munera iusserit & adduci, sic pransurus & ipse suauiùs.

Rapidum ad naues præmittit Achatem.
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis.
Ferre iubet.

Sic expendit Donatus. *Rapidum ergo Achatem præmisit, hoc est, mandatus instructum, vt antequam pranderetur, veniret.* (hoc est enim *Præ*, ante conuiuium) *& celeritate reditûs, prandio non præueniente, munera opportunè præferret. Gratior enim pransurus accumberet, oblatis traditisquè muneribus.* Voluit gustum capere ex cibo, quem certè non caperet, si gratum se priùs Didoni non præbuisset.

159 Quod plurimi stetit, plurimi facimus.

Prima illa munerum commendatio est, quod erepta ex medio Troianæ vrbis incendio, & patriæ ruinâ fuerint. *Munera* inquit; sed quæ munera?

Iliacis erepta ruinis.

Quæ multo ille discrimine, quæ inter & hostes, inter & arma sui sanguinis ac vitæ penè pretio redemerit. Sibi sumptosa omninò numera. Donatus; *Prima ergo ipsorum munerum laus est, quòd essent*

essent erepta de ruinis patriæ, cum hæc incendio superata concideret : de magnis inquam erepta & plurimis.

Seruius in illud, vbi Venus, 160

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem,

Amante nil est aut leuius, aut mutabilius.

Ideò Aligerum Amorem dixisse Poëtam ait, quia leuitas & mutabilitas summa in amantibus sit. *Alatus autem ideò, quia amantibus nec leuius aliquid, nec mutabilius inuenitur, vt in ipsa probatur Didone. Nam de eius interitu cogitat, cuius paulò ante amore deperibat. Vt*

Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere?

Audi Donatum in Carmen illud, vbi ad Cupidinem filium Mater Venus; 161

Filiorũ voluntas à patribus distrahi non debet.

Nate, mea vires, mea magna potentia solus.

Vendicat sibi (ait) necessitudo parentum, quidquid liberi possunt. Addit deinde, *Et docet inter filios & parentes tale debere esse volendi, & nolendi studium, vt in multis licet corporibus, voluntas vna, & necessitudinis vinculum indistinctum, integrúmque perduret.*

Nihil est, quod à potentia sit Amoris immune. In hunc sensum interpretatur Donatus illud Veneris ad Amorem. 162

Omnia vincit Amor.

Nate mea vires, mea magna potentia, solus
Nate Patris summi qui tela Typhoëa temnis.

Non ita coniungenda sunt verba, vt Mater dicat, *Nate, qui solus est mea vires, mea magna potentia*, sed cum sequenti carmine *solus* legatur; *Solus tu Nate, qui contemnis tela Typhoea summi Patris:* tu solus, præter te nemo. Nam vel Iouem ipsum vincis ac superas; quæ sæpè amoribus subiugasti. *Sunt*, inquit, *qui ita distinguendum putant, Nate solus mea magna potentia, sed tunc possent, cum melior ratio non occurreret. Idcirco enim positum est, Solus nate Patris summi qui tela Typhoea temnis, vt ostenderetur facilè esse quod Venus effici cupiebat. Qui enim potuit Iouis fulmen contemnere, & quibus Typhoëus exarsit, facilius potuit mentem fœminæ possidere.*

Quisquis humano tantùm ex affectu contrahitur amor, facilè vel mutatur, vel dissoluitur; qui verò diuino Numine conciliatur, indissolubilis est. Ideò Venus interuenire voluit Amoris Deum, inquit Donat. vt ita constans Didonis amor sit stabilisque in Æneam, vt nullam vnquam mutabilitatem patiatur. *Nate*, inquit, 163

Amor diuino Numine conciliatus, dissolui non potest.

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se Numine mutet :
Sed magno Ænea mecum teneatur amore.

Voluntarius quippe, (inquit Donatus) *amoris assensus, & humano arbitrio exortus, facilè potuit eâdem voluntate dissolui : etiamsi Iuno è diuerso non esset : sin verò diuinis ardoribus fuisset iniectus, hunc nec Didonis perfidia rumpere potuisset, nec Iunonis authoritas.*

164 In amoris affectu si vel rimulam statim non occludas, peruius es ruinæ. In oratione illa, quâ Venus Cupidinem hortatur, vt Didonem in Troiani amorem inflammet, illa potissima ratio est *A facili,*

Leuiâ rurpis amoris initia grauem minâtur ruinam.

Hunc Phanissa tenet Dido.

Ita Zerda. *A facili, inquit, poteris rem perficere, cum ipsamet Dido vltrò Æneæ blandiatur.* Quasi dicat, Non amantem ad amorem traducere, hoc opus hic labor esset; amori verò blandientem iam & accinentem facile erit impellere. Benè Donat. *Ostendit facilitatem petitionis, eum blandis iam illa fabulis moras procuret, ac teneatur animus eius affectu; ac per hoc non esse iam necessarium amoris initium, quod habere difficultatem posset, sed amoris augmentum.*

165 Ex Veneris meditatione in Didonem quid non timendum sit? Dea illa Amoris est, & præmeditatur dolos, præmeditatur flammas,

Amoris flãmæ Oceano extingui tõto non possunt.

Quocirca capere ante dolis, & cingere flammis
Reginam meditor. (inquit ipsa Venus)

Flammis inquam, quas vt primum Dido conceperit, nullius possint Numinis auxilio restingui. Ita enim intelligo quod sequitur emistichium

Ne quo se Numine mutet.

Cuiuscunquè Numinis opem excludit ad huius extinctionem incendij. Vnde malè Seruius ait, *Quo vacat.* Apage serui.

Melius est difficultatẽ præuidere, quàm me deri præsenti.

Vel donatum sequamur, qui in hoc carmen

Quocirca capere ante dolis &c.

Potiùs nobis remedia quærenda esse contrà imminentia mala, ait, quàm vt afflictis iam rebus subueniamus. *Tractat Virgilius* (Interpretis verba) *prauenienda remedio ma'a esse, qua metuimus ne accidant, quàm velle afflictis rebus & perditis subuenire.*

Prudẽtis est Superioris iniũcta suis præcepta consilio iuuare.

Venus Cupidinem ita instruit, vt facilius ille, quod iniungitur, præceptum exequatur.

Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu &c.

Vbi Donat. *Narratâ desiderorum summâ, quæstionibusquè omnibus diligenti examinatione discussis, vt super effectu desidery complendo instructum Cupidinem redderet, necessaria protulit; plurimum enim prodest in rebus gerendis iuuare consilio eum, quem in negocio expediendo prafecerit quisquam. Libenter quippe mandata suscipit, cum aduerterit impositum munus compendioso remedio releuatum,*

Erga nepotes, quàm erga filios maior est amor.

Cum de Iulio Nepote Venus loqueretur, ait,

Puer mea maxima cura.

Superlatiuo vtitur, vltra quem alius certè gradus non datur. *Benè,* (inquit Donat.) *quia vltra liberorum affectum nepotes haberi dicuntur.*

Faciles in Amorẽ fœminæ sunt.

Fœmina de nectendo fœminæ dolo cum Cupidine agens.

Noctem non amplius vnam, (ait)
Falle dolo.

Satis

Satis hoc esse temporis spatium putauit, vt expugnaretur Ælissa. Ingeniosè Donatus. *Ostendit non longi temporis operam necessariam: mulier quippè mandabat, quæ fœminarum mores optimè nosset.*

Quam illud Terentij verum est! 170

Sine Cerere & Baccho friget Venus. Intemperātiâ Venus accenditur.

Animaduerte quæso, quàm rerum opportunitatem eligendam Venus præcipiat ad Venerem.

Regales inter mensas, laticémque Liæum.

Vbi Seruius. *Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est, & facilis amoris occasio.* Quàm illa est sine morâ Cupidinis Obedientia! 171

Paret Amor dictis chara Genitricis Obedientia, quæ sine morâ est, & plenâ cum voluntate, laudatur.

Officiosi filij partes commendat; quippè quem maturis affectus hortabatur. Donat. Quàm etiam plenâ voluntate laudabilis!

Et gressu gaudens incedit Iuli.

Gaudentem inducit Cupidinem (ait idem interpres) *quòd plenâ voluntate iussa matris implebat. Hoc est enim præcipuum obsequentis studium, si libens agat, quæ præcepta sunt, nec inuitus compleat.*

Hortatur Amoris Deum sedula Venus, vt Ascanij mutatus in faciem Carthaginem adeat, *Notos pueri puer indue vultus,* 172 Illustrissima laus, quę sine fuco est.

Vt Reginam in amorem Æneæ facilè accendat,

Occultum inspires ignem, fallasquè veneno.

Non tergiuersatur præcepta Matris implere Cupido,

Paret Amor dictis chara Genitricis.

An vt Iulium Principem reddat ad viuum ipsiusmet Pulchritudinis Deus, (vltrà quam nulla maior ab Ethnicis fingitur) propriam temperauit? frontis honorem, oculorum radios, genarum purpuram, vultus dignitatem, Numinis splendorem dissimulauit? Nequaquam verò. Quid ergo? Solas alas deposuit,

Alas

Exuit.

Hæc sola Cupidini cura fuit, vt exprimeret Iulium. Adeò pulcher Ascanius fuit, vt sine alis Cupidinem omninò diceres, & Cupidinem, depositis alis, Iulium crederes. Nulla alia in re Iulius Cupidoque dissimiles, quàm alis; illas deponat Pulchritudinis Deus, & Ascanij pulchritudinem reddet ad viuum.

Paret Amor dictis chara Genitricis, & alas

Exuit.

Vide quàm effusa laus hæc, quámquè sine fuco illustrissima sit. Ingeniosè Seruius; *Laus magna Ascanij per transitum, si Cupido, alis tantùm depositis, Ascanius fuit.* 173

Aliud expendas velim in hac alarum depositione. Vix Matrem audit obediendi cupidus Filius, cum alas exuit. Nonne ad citum volatum aptissimæ alæ sunt? cur ergo illas abiicit? In alis propria libertas, & libera vagandi libido signatur; Vt autem apud Matrem Obedientia quasi absque libertate propriâ commendatur.

Cupido suam obedientiam commendet, propriam in alarum depositione abnegat libertatem. Quasi dicat, Iube Mater ad arbitrium tuum meum erit, quodcunquè iusseris, vlla absque tergiuersatione capessere. Quod ad Iunonem Æolus,

Tuus, ô Regina, quod optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere.

Cum alas exuit (inquit Donat.) *Se officiosum Matri praestat*, & eius se voluntati omninò expositum exhibet. *Sine exceptione paret, & alas exuit*, inter se conuertuntur. Neothericus quidam Maronis explanator ita subscribit. *Exuit alas, vt totum se Matris imperio, quocunque illa ire iubeat, exhibeat.* Vide lib. 4. num. 88.

174 In Iulij fanim mutatus Amor *duce latus Achate*, à nauibus pergebat in Regiam Ælisæ. Quæ verò dona portet, attende,

Amori nihil est graue.

Pallam signis, auróqué rigentem,
Et circum textum croceo velamen Acantho,
Praterea sceptrum, colloquè monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroquè coronam.

Grauia hæc omninò dona sunt, & supra pueri vires; & tamen ipse,

Dona Cupido
Regia portabat Tyriis.

Portabat, inquit, nec fatigabatur, Quare? Quia Amor, cui vel grauissima onera plumulæ instar leuissima sunt. Acutè æquè ac fusè Donat. *Portabat dona regia, & latus fuit, Non fatigabatur puer onere munerum, nec tadio ponderis aut itineris frangebatur Amor. Supra dixit qua portaret munera, vt ostenderet species, quas puer pro leui ferre non posset.* Quid enim puer tot dona, támquè grauia, in Regiam à nauibus ferre posset, nisi Amor esset illa puerilitate occultatus, aut puerilis illa ætas Amore? Amanti planè graue nihil est. Nulla imbecillitas talis est, si animetur & roboretur Amore.

175 Vixdum Cupidinem Dido benignè tuetur, cum illam Maro *Infelicem* appellat,

Praui amoris vel leuis morula, infelicitas est.

Pracipuè infelix pesti deuota futura.

Leuiusculæ tantùm moræ Regina damnatur, non leuiusculi tamen damni pœnam luit. Vixdum extremis, quod aiunt, digitis picem tetigit, cum labem contraxit *infelicem*, nullâ cretá eluendam. Donat. *Infelix, quia benignum animum exhibebat, quem exhibere deberet inimicum, cum ex eo pararetur sibi mors.* Ascensianum olet.

176 Notat Donatus verè illum esse diem nuncupandum, in quo per sacra societatem Dido, Tyriis cum Troianis initam, confirmabat. Nam illi verè sunt, & dicuntur dies, in quibus pium aliquid & religiosum exercetur.

Verè illi sūt & dicuntur dies, in quibus pia exercetur opera.

Hunc latum Tyriisquè diem Troiaque profectis
Esse velis. inquit ad Iouem Dido.

Constat

Constat tamen tunc temporis *noctem* esse, non *diem*. Nam

Dependent lychni laquearibus aureis

Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Non noctis meminit, sed diei, & quidem meritò, quo societatem per sacra confirmabat. Donat. Non *noctem* nominet, sed verè *diem* dicat, quo pietas exercetur.

Mirum illud est, quod Dido ad Iouem, in exceptione honorificâ, qua ipsa dignata Troianos est. 177 Moritur quisquis amat.

Hunc lætum Tyriisquè diem, Troiaquè profectis

Esse velis.

Tyrios tantùm Troianosquè nominat, de se verò tacet, quæ Sydonia erat. Non dixit *Lætus hic in posterum dies sit mihi, Sydoniis, Tiriis, Troianis.* Neque in communi cum Sydoniis, neque in particulari vllam sui mentionem fecit. Quid hoc? Rationem reddit acutissimè Donatus. Cognouit se Amantem esse,

(Præcipuè infelix pesti deuota futuræ

Expleri mentem nequit, ardescitquè tuendo

Phœnissa.)

Ideóque mortuam, iuxta illud Platonis, *Moritur quisquis amat.* Quare de se actum iam esse putat. Non inter viuos nominetur, nec die fruatur & luce quæ, amore præueniente, mortem admisit, posteà ferrum pectore admissura. Sit lætus dies hic Tyriis Troianisquè in posterùm superstitibus. *Cum autem ipsa esset Sydonia, quasi mortis suæ præsagio* (& amore & ferro) *Tyriorum & Troianorum fecit tantummodò mentionem.*

Tanta Amoris interdum vis est, vt vel primos cognatos fallat, illorum sensum mentémquè deludat, & transuertat in crimen. Huius sententiæ Donatus est, in illud, vbi Cupido in Ascanij faciem mutatus 178 Tãta Amoris vis est, & astutia, vt propinquiori etiã gradu cognatos fallat.

Complexu Æneæ, colloquè pependit.

Et magnum falsi impleuit genitoris amorem.

Scaliger eludit hîc quæpiam Seruiana. Donatum audi. *Falsi, patris, inquit, non quòd non esset pater eius, sed quod Æneam ipsum Ascanij patrem primò subtiliter Cupido fefellisset; quo Æneas in tantum errorem missus est, vt arbitraretur se filium amplecti, & osculari præsentem. Ergo non intelligente insidias patre, &c.* Insidias Amor parare solet etiam coniunctissimis. Caue Caue, quicunque coniunctissimus es, nam quos ille non fallit?

In verbo illo *Petit, Reginam petit,* Notat præclarè Nascimbenus violentiam Amoris. Neque enim tantùm Amor petit Didonem, hoc est, currit ad illius amplexus; sed *petit*, idest, illam amplexando insidiis aggreditur, dolo appetit. *Petit, quasi violenter aliquid facturus.* Verba sunt Nascimb. 179 Ea Amoris vis est, vt, penè dicã, extorqueat assensum.

Ne labores, qui à libidinis corruptione reseruant, (vt suprà diximus

180 ximus n.97.) infamaret Poëta; & castæ fœminæ existimationem minueret, subiecit Amoris vim, quâ Æneas, & Dido sunt expugnati. Cupido enim

Grauissima in Amore occasio est, quæ pressũ laboribus expugnat, & opprimit.

Vbi complexu Æneæ, colloquè pependit,
Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit.

Grauiter & acutè Donatus; *Sciendum est induci Didonem castam, diuitem, & pulchram, idcirco deceptam per Cupidinem, vt etiam in eo existimationem non tantùm ipsius Didonis, verùm etiam Æneæ Poëta conseruet; ne illum ignobilis fœmina proiecti pudoris spontè amasse, aut prouocata muneribus videatur; aut ille malis summersus innumeris de amoribus illicitis cogitasse.* Iniuriam laboribus imprudens irrogaret Poëta, quibus immersus tunc temporis erat Æneas, (nam hîc primò cœpit illi arridere Fortuna) nisi Amorem induceret, qui pressum malis in amorem induxerit, imò impulerit ferè inuitum.

181 Expendit Donatus, Amoris blanditias certissima esse mortis prænuntia; sibi inuicem Amor Didoquè blandiuntur, ille

Amoris blãditiæ mortis prænuntia sunt.

Reginam petit.

Illa *Interdum gremio fouet.*

O te miseram! nescis nescis quantus tibi insideat Deus! quàm certa tibi iactura paretur, vbi lucrum putas! quàm merum fel ex hoc melle! quàm inter has blanditias cruentus aculeus! quàm ex hâc putatâ vitâ mors certa! *Benè autem Miseram dixit* (ait Donatus) *quæ ignara gestorum benignum in omnibus animum repræsentabat, quæ esse potuit inimica, cum ex eo ipso pararetur ad mortem.* Et cum commiseratione *Miseram*, dicit, quasi elabi iam ex hac miseria Dido non possit, quæ Amoris blandimenta & tulit & reddidit.

Inscia Dido
Insideat quantus miseræ Deus!

182 Estò, in conuiuio stupitus sit, & atria vocibus personent,

Cum Deo laudes redduntur, aut grates, silẽtium interueniat necesse est.

Fit strepitus tectis, vocemquè per ampla volutant
Atria.

Vbi verò Regina in ipso conuiuio cum Ioue loquitur,

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc latum Tyriisquè diem, Troiaquè profectis
Esse velis

Tunc, inquam, summum consequutum silentium est,

Tunc facta silentia tectis.

183 Quod mirum omninò fuit inter aulicos, inter conuiuantes, inter ministrantes, totis tectis, tota domo. Donatus, *Res diuinas actura Didone, omnium vox, & strepitus conquieuit: suprà enim dixit, Fit strepitus tectis, vocemquè per ampla voluunt Atria.*

Mundus vel voces vitat, quibus mũdana possit gaudia quoquo modo lædi.

Nocte paratum conuiuium est Teucris à Regina Didone, nocte exhibita est munificentia & largitas regia, & tamen Dido *Diem* vocat hæc gaudia, quæ nocte celebrantur. *Hunc*

Hunc lætum Tyriisquè diem Troiaquè profectis &c.

Lucis lætitiam, diei claritatem illis attribuit, ne noctis omine aliquo modo læderentur, sed mentiretur potius noctis tristitiam nomen lucis. Donat. *Diem dixit, non noctem; nam triste fuisset tenebras nominare vel noctem.*

In conuiuio Regina Dido pateram summo prælibauit ore, non hausit, 184 Fœminæ lógè à vini potu esse debent.

Primaquè libato summo tenus attigit ore.

Vbi Seruius. *Et verecundiam Reginæ, & morem Romanum tangit. Nam apud antiquos nostros fœminæ non vtebantur vino, nisi sacrorum causâ certis diebus. Denique fœmina quæ sub Romulo vinum bibit, occisa est à marito; Mecennius autem maritus absolutus est.* Breuius Donatus. *Summis labris, vt religionis & non vini Cupidam demonstraret.*

Cum Musica inter honestas artes enumeretur, honestè adhibenda; turpis enim longe est à casta domo, à castis auribus ableganda. Regiam domum illa Iopæ maximè decuit, 185 Castam domum Musica Casta nō dedecet.

Cytharâ crinitus Iopas

Personat auratâ, docuit quæ maximus Athlas, &c.

Obiter nota Cantoris elegantiam, crinitus enim erat; Musicorum hæc facies, cincinnos, cyrrhos, comas nutrire, comere, pectere; *vtpotè qui Apollinis formam imitentur* (ait Seruius) *cuius sunt etiam artis imitatores* (lege Zerdam hîc notâ 12.) Redeo. Et Donatus & Seruius de hac Musica sic in hoc loco. Hic; *Rectè autem in conuiuio Reginæ adhuc castæ inducitur Carmē Philosophicum.* Ille apud Ascensium; *Ludi autem Didonis nihil turpe factu, nihil obscænum dictu habuerunt. Nam cythara artem inter honestas numerari constat. Hanc graues & prudentes amant. &c.* Comas nutrire Musicorum est proprium.

In illo Carmine, vbi Amans Dido 186 Cæca nox Amor est.

Nec non & noctem vario sermone trahebat,

Noctem Amorem interpretor. Trahebat illa, & amoris affectum fouebat sui vario sermone (nam blandis Amor nutritur vocibus) Quæ enim cæcior Nox quàm affectus hic qui cæcos reddit & eludit amantes? Hùc allusisse Donatum putauerim cum dixit, *Morarum causas requirebat, quibus ipsa in longùm vigilias duceret.* Vigilias, inquam, quas in sui Amoris nocte, Cupidinis castus iam militans, ex more seruabat.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER SECVNDVS.

1 Superiorum conspectus venerationem & silentium conciliat.

ASCENSIVS in prima Secundi verba,

Conticuere omnes.

Notat Superiorum præsentiam venerationem & silentium inducere. *Opportunè quidem post strepitum & cytharæ crepitum, indicat silentium factum; in quo vtriusque, & Reginæ & Æneæ demonstrat dignationem, & authoritatem. Nam, vt Reginæ, roganti; Multa super Priamo, super Hectore multa, morem gererent; & vt Æneæ, dignum quem audirent, se censere significarent, Conticuere.* Argutiùs Zerda. *Conticuêre, Æneâ narrante, nouo hospite, filio Veneris, Deo simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas silentium esset? Accedit silentij forma noua ad præsentiam Reginæ, quæ auidissimè audire cupiebat, & quâ audiente, nemo vel hiscere auderet.* Principum ergo, (illius dicentis, huius audientis) præsentium authoritas silentium & venerationem

Dicente vel audiente superiore, inferiores silentium agant.

rationem conciliauit.

2 Nouitas silentium & attentionem captat.

Aliam adducit causam Donatus, quare

Conticuêre omnes.

Tacuerunt inquit, *quia mens hominum nouis fabularum contextionibus delectatur,* Quales ex Troiani excidij narratione expectari fas erat.

3 Miraculo expositum quis non audit attentè?

Expende verba illa Zerdæ num. 1. *Æneâ narrante filio Veneris, Deo simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas silentium esset?* Expositus miraculo fuerat, quæ res illi non vulgarem omnium & attentionem, & amorem conciliauit.

4 Grauis est forti dolor se victum fateri.

Ideò Æneas *Infandum* dolorem dixit, ait Seruius, quem renouari Regina iussit, Infandum Regina iubes renouare dolorem, *Quia viro forti victum se dicere, & doloris est, & pudoris.*

Captauit Æneas & docilitatem & attentionem in carmine illo.

Et breuiter Troiæ supremum audi e laborem.

5 Qui actutũ obtẽperat, beneuolentiam & amorem cõciliat.

Quid enim aptius ad docilitatem, quàm breuiter se dicturum rem integro decennio gestam? Quid grandius ad attentionem, quam labor Troiæ? Amorem verò & beneuolentiam conciliat in verbo illo *Incipiam.* quia celeritatem obtemperantis ostendit. *Tu iubes*, inquit, *Ego incipiam.* Landinus. *Captat beneuolentiam ex eo, quod se inferiorem ostendit. Dixit enim Iubes: quasi inferat, quod omnis superioris postulatio pro iussis apud inferiorem haberi debet.* Zerda expendit obedientiæ exhibitæ celeritatem in dactilici pedis celeritate qua fertur *Incipiam.* *Aduertè*, inquit, *in verbo Incipiam, celeritatem pedis dactylici ad indicandum celeritatem obtemperantis.*

6 Specie religionis crimẽ obtegere, insidiæ maximæ sunt.

In illud

Instar montis equum diuinâ Palladis arte

Ædificant.

Arte Palladis, inquit Donatus, *quò possent ab insidiarum suspicione abduci. Sed maxima insidia! nam quod abscondere non potuerunt speciè religionis contexerunt.* Sub prætextu religionis dolos moliri, insidiæ maximæ sunt.

7 Bonorum societas etiã impio ad indemnitatẽ deseruit.

Conatur Sinon, vt se Troiani beneuole accipiant, quòd Palamedis socius fuerit & comes, qui à græcis interfectus est, quia iniri cum Troianis bella vetuisset.

Quem falsa sub proditione Pelasgi.

Insontem, infando iudicio, quià bella vetabat.

Demisere neci.

Iure putauit se apud Troianos misericordiam inuenturum, qui comes fuerat Palamedis, cui erepta vita est, quòd faceret Troianis. Pulchrè Donat. *Commendat etiam Palamedis memoriam dicendo Quia bella vetabat; vt amico viuenti præstarent, quod illi iam defuncto non poterant.*

8 Bonorum mors, mors dicenda non est.

Ingeniosè Donatus notat Bonorum mortem, non mortis nomine efferendam esse, in illud carmen, vbi Sinon de Palamede optimo viro.

Postquam superis concessit ab oris

Non dixit, (verba Donati) *mortuus est, ne eius memoria, digna post hominum finem viuere, minoraretur.* Ex vita in vitam transitus fuit mors illius; ab ijs ille superis oris concessit ad Elysias; vitam hanc meliori vita commutauit. Mors ergò dicenda non est.

9 In graui illo discrimine, quod subibat Sinon; quando Deos testes adducit, non se veritatem fateri dixit, cuius testes Dij essent; sed Veritatis illos testes affirmat non huius, quæ fraudulenta omnino commentatio erat. Extimuit Ethnicus in fictionis & fraudis testimonium illos adducere.

Testes Deos in mendaciũ adducere, ipsis etiam Ethnicis horrendum.

Quod te per superos & conscia numina veri,
Per (si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides) oro.

Vidit hanc iurandi calliditatem Donatus. *Verba ipsius adhibentis ad testimonium Deos, dubia sunt, & incerta, & quæ premere non possent mentientem* (expende *premere mentientem*) *Per superos te, inquit, rogo, qui sciunt veritatem. Quis nesciat scire omnia superos? Nunquid dixit; Per superos te rogo, qui sciunt me nulla in parte mentiri?*

10 Existimabat Perfidus Sinon omnes ex sua perfidia metiendos cum ait.

Improbus omnes ex sua improbitate metitur.

Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides.

Sciebat (ex Donati Paraphrasi) *apud se non esse fidem, vnde arbitrabatur apud nullos esse.*

11 Quando Sinon à Rege Priamo laborum suorum commiseratione precatur, præsentia ostentat vincula, quibus captiuus erat adstrictus.

Cõmiseracionem mouent efficaciùs præsẽtes ærũnæ.

Oro, miserere laborum
Tantum, miserere animi non digna ferentis.

Quæ tunc temporis maximè patiebatur, ostentat; *Ferentis* inquit, quæ videbantur, non quæ audiebantur solùm, ad misericordiam promerendam proponit, vt pote quæ efficaciùs moueant Benè Donat. *Vinctus crudeliter fuit, vt captiuus; idcirco ait Miserere laborum Tantorum; vtiquè offerebat vincula sua, & captiuitatis miserias testabatur.*

12 Cum turbatum Sinonem videret Priamus, nam

Turbatus, inermis,
Constitit.

Ad inferioris solatium aliquid superior de sua authoritate & grauitate deponat.

Vt quietè & loqueretur & ageret, aliquid ipse de regia dignitate deposuit; non vt hostem, sed vt amicum est alloquutus.

Dictisquè ita fatur amicis.

Expendit Donat. *Deposuit priamus authoritatem Regis, & cum captiuo & hoste amicis loquutus est verbis; aliter enim non putabat solui animos eius, nisi in eum multimoda beneuolentia præcessisset.* Ita sanè est, vt prudenti superiorum humanitate inferiorum animi mentesquè conquiescant.

Quàm

Quàm certum illud est, dulcem omnibus esse Patriæ, parentum, & suorum amorem! Ingeniosè Donatus notat, Regem Priamum, cum ad Sinonem 13

Dulcis amor patriæ, & suorum est vnicuiquè.

Amissos hinc iam obliuiscere Graios;
Noster eris.

Graios tantùm illum obliuisci iussisse non patriam, non patres, non suos; quamuis ipse Sinon paulo ante dixisset.

Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumquè parentem.

Noluit enim Rex impossibilia, aut certè ardua iubere. *Mirum hîc Poëta consilium! Cum enim ad singula Sinonis dicta responderet ex persona Priami, credentis, quod ille vera narrauisset, suppressit, Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi, Nec dulces natos, exoptatũquè parentẽ. Ne Priamus hæc cõmemorando, quæ affectũ maximũ retinebant, exulceraret animum narraturi, qui debuerat esse compositus: solos Graios, dixit, obliuiscere, quod facile fieri poterat; extiterant enim Sinonis inimici. Cæterùm Patriam, filios, & patrem in obliuionem ducere non poterat. Addit deinde. Sed & ille durus & impius posset iudicari, si hæc putaret esse suadenda.* Sic Donatus.

Ab ijs superior abstineat, quod molestiã aut dolorem est inferioribus allaturum.

Dura impietas est aliquid contra patriam & patres suadere.

Cum de his rebus agitur, quæ ad publicum conducunt bonum, fieri moræ non debent, quæ importare interdum detrimenta solent haud facile resarcienda. Suspectus equus ille Troianus erat, qui contra Troiam est fabricatus; quare cum Priamus Sinonem rogat. 14

In rebus pro statu publico cognoscendis mora innecti non debet.

Quo molem hanc immanis equi struxere? quis author?
Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?

Breuissimè rogat, vt quàm citissimè impendenti periculo Reip. medeatur. Donat. *Breuiter proponit, quæ cupiebat audire; non enim adhibenda fuerat mora rebus pro statu publico cognoscendis.*

Quamuis multa Sinon mendacia finxerit, illud tamen est ab ipsa veritate mutuatus; 14

Stat regnũ dum stat religio, hac labante labat & illud.

Omnis spes Danaũm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit.

Spreuere postea Donati religionem, & sacram Palladis effigiem impiè corripuerunt. Ex illo ergo tempore fractæ illorum sunt vires, & spes & res lapsæ sunt in deteriùs.

Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri
Spes Danaum, fracta vires, auersa Deæ mens.

Spes, inquit, Græcorum (Donati Paraphrasis) *stabat, propitio Palladis Numine; sed spes fluebat, & stabilitate perditâ retrorsum labebatur, læsâ tot sceleribus Deâ.* Aptissima illa paraphrasis est, *Spes fluebat, & stabilitate perdita retrorsum labebatur*; vt intelligamus Rerumpub. firmitatem & stabilitatem in inuiolata religione consistere, & earum prouenire ruinam ex violatione cælestium; vnde pulchrè addit Poëta,

Auersa Deæ mens.

16 Moras trahit Deus,& descendit in vltionem inuitus.

Ex diuina auersione quid non ruinosum & miserum timẽdum sit? Vel Ethnicorum Dijs in vindictâ moras attribuit Antiquitas. Languentes illos in vltionem, imò cõniuentes vltionis segeti & materiæ prudẽs affingit. Vide quàm illa in vindictam morosa Dea! quàm multis lacessita! & tamen quàm in vltionẽ lenta! Expende carmina hæc.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusquè cruentis
Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.

Vbi præclare Nascimbenus. *Vlyssis & Diomedis temeritatem in ipsa criminis amplificatione triplici ratione detestatur. Quòd rem fatalem, numinis, diuinitatisquè plenam; quod de loco sacro; quod confidenter surripuerunt. Ergo in singulis singula sunt sacrilegij genera. Auellere autem pro violenter surripere positum est; vt ostenderet Poëta, simulachrum inuita Deâ fuisse sublatum.* Ex hac Nascimbeni ponderatione lentissimam in vltione moram collige *Aggressi*, Conatus omnino impij sunt! sustinet Deus. *Auellere*, iam in opera violenta bacchantur; adhuc vindicta nulla Numinis. *Palladium sacram effigiem*, sacrilega impietas! nec dum districta pœna est. *Cæsis custodibus*, ad homicidia conniuet Deus. *Summæ arcis*, proiecta nondum damnatur audacia. *Manibusquè cruentis, Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.* Sibi ipsi sceleratas inferri manus Numen iam tandem ferre non potuit. Quid tunc? Ab impijs, toties læsa & violata Diuinitas, oculos auertit & mentem. *Auersa Deæ mens.* Hâc illos grauissimâ pœnâ damnauit. Vnde quid non calamitatis emanet necesse est? Sequitur

Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri
Spes Danaûm fracta vires.

Vbi Pontanus. *Pœnam ex peccato describit.* Donatus addit. *Cum esset tot sceleribus tandem commotum Numen.* Quasi descenderit ad vltionem inuitum.

17 Malus Princeps in causa est, cur mala Deus in Remp. inuehat.

Magna & grauia in Reip. corpus mala invehũtur propter improbũ Principẽ. Duces duo Tydides & Vlisses in Mineruã cælũquè peccarũt.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, &c.

Quid ergo De⁹? in Græcos omnes, quorũ illi Ductores, animaduertit

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires auersa Deæ mens.

Benè Donatus. *Propter duorum sceleratorum Ducum impiè nefariéquè commissum, ab omnibus Græcis Numinis fauor abscessit.*

18 Inuentores scelerum Deo odibiles.

Scelerati õnes Deo odibiles sũt, sed illi præcipuè, qui scelerũ inuẽtores habẽtur. Multa Vlisses crimina perpetrauerat (de quibus supra) nõ tamẽ in illũ tam videtur Numẽ invehi propter scelerum immanitatẽ & multitudinem, quàm quod inuentorẽ se scelerum profiteretur.

Sed,

Sed enim scelerumquè inuentor Vlisses.

Ideò *Auersa Dea mens est*, quod noua ille excogitasset crimina, noua & inuisitata scelera induxisset. Acutè Donat. *Auersa Dea mens est ab inuentore scelerum; prior enim est inuentor scelerum sceleratis, quia ipse inuenit, vnde ex innocentibus scelerati reddantur.* Pulchra sane ratio!

Cum inferenda mortalibus supplicia sunt, quàm non sine misericordia inferuntur à Deo! Impios illos Græcorum Duces Diomedem & Vlissem, reliquosquè Græcorum, non repentè hiscens absorbuit terra, fulmen absumpsit, obruère vndæ, aut cœlum subità tabe confecit; paulatim in illos animaduersum est, lentàquè scuticâ perculsi sunt impij, vt ab ipso pœnæ sensu sensati fierent, & agnoscentibus culpam relaxaretur & pœna. 19

Nescit Deus sine misericordia inferre supplicia.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires

In ipso supplicio misericordia fuit. Præsentibus vtitur *fluunt, retrò labuntur*; (id enim sonant illa infinita) non dixit, *abscissa illis spes est, periere vires &c.* Adhuc in præsenti lentissima illorum pœna est, Vt *fugiant à facie arcus*, quod ait Propheta, vt morosis huiusmodi calamitatibus docti resipiscant.

Etiam in luntissima pœna & leuissima, quam infligit Deus, ipse quasi faciem & mentem à suppliciis auertit. Vel ethnico Numini hanc Virgilius notam attribuit; nam cum impios hos Minerua Dea paulatim flagellaret, & sensim, illa mentem auertit, 20

Cum pœnas mortalibus infligit Deus quasi vultum & faciē à suppliciis auertit.

Auersa Dea mens.

A pœnarum & suppliciorum conspectu se subtrahit, ne dicatur mortalium pœnis delectari Numina, quibus est misereri proprium & parcere. Amplexus illos, quibus Laocoon filiiquè impliciti à serpentibus sunt, expendit Donatus. Amplexus blandi esse solent, amici, ex amore; quid ergo Poëta hoc vsurpat nomen *Amplexus*, cum tam crudeles sortiuntur effectus? 21

Osculum Iudæ.

Et primùm parua Duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterquè
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.

Amplexus dixit (ait Donat.) *Serpentum, cum pueri, & Laocoon necarentur; vt ostenderet Virgilius, blandos esse aliquando perniciosos amplexus.*

Depastis Serpentium morsu innocentium artubus & Laocoontis patris, ad arcem Tritonidis Serpentes confugiunt; ad illius pedes, & clypeum accurrunt. Tunc Poëta *Sæuam* appellat Deam, quæ aggressores excepit; 22

Sæuitia superioris est, innocentiū offensores, aut oppressores tegere.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sacraquè petunt Tritonidis arcem.
Sub pedibusquè Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

Quicunquè sit ille Superior, qui publicis innocentiæ oppressoribus patrocinatur, *Sauus* omninò est. Seruius hîc. *Saua, idest, fortis, nobilis.* Malè. Ingeniosè Donatus. *Sacram* sæuam interpretatur. *Impietatem hîc Minerua vehementer expressit, quòd dracones, qui sacerdotem in ipsa adhuc sacrorum solemnitate constitutum, & insontes eius filios paruulos, qui in illa ætate nihil audere, aut committere potuissent, dilacerauerant, ad ipsius Deæ templum contendentes, non solùm parietibus templi, sed ipsâ quoque arâ, vbi Deæ simulachrum stabat, vestigiisquè eius, & clypeo contecti sint.* Rectè igitur *Sauam* appellat.

23 Culpæ reos ipsa facit culpa fugitiuos.

Vide, dracones illi, post innocentibus necem illatam, quàm celeri sese fugâ proripiant! *Effugiunt*, inquit Poëta; fugitiui statim latebras quærunt,

Sub pedibusquè Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

Atque vt celeritatem in fuga melius exprimeret, dactylis vsus est concitata velocitate fluentibus, Suspedi busquè De æ clype iquè sub orbe te Hic illud Arunte post Camillæ necem fugienti; & Lupi comparatio post occisum Pastorem, libro 11.

24 Quò propius culpa cognoscitur, eo acriùs irritatur & vltor.

Expendit Donat. hos vltores iniuriæ Palladi illatæ, cum per vndas feruntur ad littus *Angues* esse, qui innoxij esse solent, vtpotè qui à longè non satis culpam dignoscerent Laocoontis: cum propiùs accedunt, euasisse *Serpentes*, qui violatorem Palladis, & natos eius spiris amplexi sunt: cum verò crimen ipsum, scelusquè contingunt, *Dracones* esse, qui miseros morsu depasti sunt artus. Primò Angues sunt,

Immensis orbibus Angues
Incumbunt pelago.

Deinde Serpentes, *Serpens amplexus vterquè*
Implicat.

Demum Dracones, *gemini delubra ad summa Dracones*
Effugiunt.

Quid ita? Quia quò propiùs culpam cognoscunt, irritantur & acriùs. Donat. *Vulgatum autem constat, & omnibus manifestum est, hos vltores in mari Angues esse, in terrâ serpentes,* qui venena diffundunt, *in templo Dracones,* qui immanissimi sunt, *Poëtam dixisse.* Ad propiorem culpæ vicinitatem augetur & vltio.

25 Supplicium cum prodigiis coniũctum horrorem incutit.

Cum vltores illi Dracones ad Palladem, cuius iniuriam vindicauerant, confugerunt,

Sub pedibusque Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

Ad hæc prodigia quis non est pauore correptus?

Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor.

Paulo antè multi timuerant, *Tum verò* maximè pauorem omnes concipiunt. Donat. *Tum verò, perfecto scilicet Laocoontis & filiorum exitio, & Draconibus conditis sub scuto, & pedibus Deæ, magis ac magis cunctis creuerat pauor.* Cum

Cum Draconum prodigia, qui & patrem & paruulos depasti sunt, videre Troiani, 26

Innocentiæ pœnam vel miracula honestare non possũt.

Scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.

Laocoontem pœnas dedisse ferunt, quas merebatur; de Innocentibus paruulis tacent, quamuis vnà cum patre perierint. Nam innocentiæ oppressionem nulla vel miracula possunt cohonestare. Quod acutè Donat. *Omnes quippe arbitrabantur Laocoontem meritò pœnas dedisse, vtpotè eum, qui donum Mineruæ violasset. De pœna filiorum Laocoontis, qui insontes necati sunt, qui nec quidquam admiserant, nihil hoc loco dixit.* Quis enim in innocentes pœnam probaret?

Et filios illa pœna oppressit & patrem, & tamen solus dicitur Pater pœnas expendisse; quia mala filiorum redundant in patrem; 27

Quæ bona vel mala filiorum sũt, bona sunt vel mala parentum.

Scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt.

Præclarè Donat. *Natorum durum interitum, quem ante suam mortem Laocoon viderat, inter paterna supplicia numerauit.* Duplex ergo supplicium luit pater, & quod sibi irrogatum est, & quod filiis: in miserum patrem redundat vtrumque. Satis est huius pœnam exprimere, qui pater est, cuius vel mala sunt, vel bona filiorum.

Nec finitum bellum Troianum fuerat, neque hostes victi, & tamen ita securè Troiani agunt, vt muros diuidant, quasi diuturnâ iam pace fruerentur. 28

Amentia est inter hostes securè agere.

Diuidimus muros, & mœnia pandimus Vrbis.

Pleno ore Donatus *Amentiam* appellat huiusmodi consilium. *Plena describitur Troianorum amentia; nam eo tempore, quo nec finitum bellum fuerat, nec positum, nec aliqua coniunctione Sopitum, muniri magis, quam patefieri ciuitas debuit.* Sic mysticè capias, plena nucleo admonitio est,

Ad culpæ patrandæ vicinitatem quàm certa trepidatio esse solet! Vel in illa fatali machina, Troiano, inquam, equo, culpæ hic inuenitur effectus; qui cum in vrbem induceretur, proximam iam Troianis ruinam allaturus, minans *Illabebatur, Subsistebat* interdum; quò magis sceleri proximus, trepidans magis ac tremens; 29

Culpæ grauiotis executio trepidationem & tremorem inducit.

Illa subit, mediaquè minans illabitur Vrbi.

Mouebatur quippe cum minaretur, nam Zerda, *Motum, quo equus agebatur, Minas vocat; quasi non tam moueri, quam minari videretur.*

——— *Quater ipso in limine portæ*
Substitit.

Ibi exitium minans mouebatur; eàdem voce minas & trepidationem, motúmquè significat summus Poëta: hîc in ipso iam limine & vestibulo sceleris hærebat, consistebat: ad criminis vicinitatem

H 2 tardaba

tardabatur. Donatus pulchrè. *Mira admodum descriptio ingredientis equi; cum enim traheretur tanta magnitudo cum quodam Tremore mouebatur. Hunc Tremorem Virgilius, ratione temporis dictante, vertit in comminationem, vt non tam moueri videretur magnitudine suâ, quàm minari.* Tremores hi erant, & trepidationes legitimi culpæ grauioris effectus. Quales illi Myrrhæ apud Ouid. lib. 10. cum infandum aggrederetur scelus;

At illi
Poplite succiduo genua intremuere, fugitque
Et color, & sanguis, animusquè reliquit euntem.
Quoque suo propior sceleri est, magis horret.

30 In Reip. causa optimus quisque suam debet salutem contẽnere.

Et merita, & munera, & dignitates eorum, qui inclusi equo Troiano fuerant, Virgilius exponit, vt ostendat in Reip. causa, & publici commodi, optimum quemque suam debere salutem contemnere.

Tysandrus Sthenelusquè duces, & dirus Vlisses,
Demissum lapsi per funem, Athamasquè, Troasquè,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaüs, & ipse doli fabricator Epeus.

Quod aduertit Donat. *Incipiunt enumerari, qui fuerant clausi, vt specialiter eorum nominibus, & meritis expressis, ostendatur hoc; In causa Reip. & publici commodi optimum quemquè salutem suam debere contemnere.*

31 Sæpè in nostra sumus damna diligentissimi.

Quàm in sua damna diligentes Troiani fuerint, hinc licet videas, quòd cum Troianum equum in Vrbem inducunt, rotarum lapsus equo subiiciunt, vt funesta celerius clades inueheretur, & ruina.

Pedibúsquè rotarum
Subijciunt lapsus.

Quærebat illorum celeritas (inquit Donat.) *vt quam primùm immitteretur.* Imprudentes erant in sua damna diligentissimi.

32 Vnius pessimi magisterio deprauantur multi.

Cum ardens Laocoon abnegaret equum in mœnia ducendum, ait

Sic notus Vlisses?

Quasi omnes tales essent, (Donati verba) *quos etiam si constaret esse dissimiles, fieri potuisset, vt magisterio eius pessima semper & noxia cogitarent.*

33 Grauia solet damna importare curiositas.

Quo tempore de summi ponderis re deliberabatur in Troia, Vtrum scilicet equus ille inueheretur in Vrbem, aut flammis donaretur. Tunc temporis

Ecce m[illegible]us iuuenem intereà post terga [illegible]
Pastores, magno ad Regem clamore trahebant
Dardanidæ.

Quare curiositate permoti ad captiuum statim accurrunt,

Vndiquè visendi studio Troiana iuuentus

Circum

Circumfusa ruit, certántque illudere capto.

En Pastores Troiani (ait præclarè Donat.) *veniebant ad Regem trahentes iuuenem, manibus post terga innexis, propter quod factum dimissus est equus, & omnes, captiui illius curiositate traducti, dum nouitate incertum nosse contendunt, manifestas insidias dimiserunt.* Carò stetit illis curiositas.

Suum Æneas somnum excusat tunc cum tota Troia conflagraret incendio. Dormiebam, inquit, eo tempore, quo dono Diuûm gratissima mortalibus serpit quies: quare in me dormientem tunc temporis culpa conferenda non est. 34 Ex Dei voluntate dormire culpa non est.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris
Incipit, & dono Diuûm gratissima serpit.

Pulchrè Donat. *Ne crimen esset ipsius Æneæ, quo ipso dormiente ciuitas interiisset, iusta prætenditur excusatio; quòd, cum somnus diuinum munus sit, & ad refectionem hominum Dijs volentibus datum, crimen non sit, si concesso tempore dormiatur.*

Vt primùm in somnis ab Ænea visus est Hector, 35 Exteriora interiorem indicant animi sensum.

Squalentem barbam, & concretos sanguine crines,
Vulneraquè illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios.

Ex funesta illa specie funestum nuntiantis animi sensum facili cõiectura collegit, vt sentit Donat. *Talis, vt etiam si nihil verbis nuntiasset, coniectura colligeretur, funesta portendere, vtpote qua essent victi, occisi, tristis, ac sordidi.*

Pretiosa planè res tempus est; ne illud vanè conteramus: est enim hic dormientium error. Ingeniosè Donatus expendit longissimam illam quæsitorum seriem, quam ad Hectorem instituit Æneas, non à Vigilante, sed à dormiente fuisse; nam si à vigilante fuisset, stulta, nedum vana prorsus haberetur, cum inuectis Troiam hostibus, illa conflagraret. Quid ille dormiens? 36 Dormientium error est, vanè tempus cõterere.

Quæ tantæ tenuere moræ, quibus Hector ab oris
Expectare venis? vt te post multa tuorum
Funera, post varios hominúmque vrbísquè labores
Defessi aspicimus? quæ causa indigna serenos
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

Cui Hector, quòd eo tempore vana rogaret, respondet nihil,

Ille nihil, nec me quærentem vana moratur.

Ista excusationem Vanitas habet; dormientis enim error fuit. *Errorem dormientis voluit Poeta describere*, inquit Donat. *Vt quod optimè notas, quasi nesciens interrogaret; deinde eo tempore, quo manifesto discrimine tenebatur; eo tempore, quo non ad inanes fabulas, sed ad insinuandum interitum Troiæ, & ad excitandum dormientem fuerat ventum.* Quàm longè latéquè serpit hic error inter mortales, qui cum vndiquè periculi cincti teneantur, dormientium ritu vana

180 ximus n.97.) infamaret Poëta; & castæ fœminæ existimationem minueret, subiecit Amoris vim, quâ Æneas, & Dido sunt expugnati. Cupido enim

Grauissima in Amore occasio est, quæ pressũ laboribus expugnat, & opprimit.

Vbi complexu Æneæ, colloquè pependit,
Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit.

Grauiter & acutè Donatus; *Sciendum est induci Didonem castam, diuitem, & pulchram, idcirco deceptam per Cupidinem, vt etiam in eo existimationem non tantùm ipsius Didonis, verùm etiam Æneæ Poëta conseruet; ne illum ignobilis fœmina proiecti pudoris sponte amasse, aut prouocata muneribus videatur; aut ille malis summersus innumeris de amoribus illicitis cogitasse.* Iniuriam laboribus imprudens irrogaret Poëta, quibus immersus tunc temporis erat Æneas, (nam hìc primò cœpit illi arridere Fortuna) nisi Amorem induceret, qui pressum malis in amorem induxerit, imò impulerit ferè inuitum.

181 Expendit Donatus, Amoris blanditias certissima esse mortis prænuntia; sibi inuicem Amor Didoquè blandiuntur, ille

Amoris blãditiæ mortis prænuntia sunt.

Reginam petit.

Illa *Interdum gremio fouet.*

O te miseram! nescis nescis quantus tibi insideat Deus! quàm certa tibi iactura paretur, vbi lucrum putas! quàm merum fel ex hoc melle! quàm inter has blanditias cruentus aculeus! quàm ex hâc putatâ vitâ mors certa! *Benè autem Miseram dixit* (ait Donatus) *quæ ignara gestorum benignum in omnibus animum repræsentabat, quæ esse potuit inimica, cum ex eo ipso pararetur ad mortem.* Et cum commiseratione *Miseram*, dicit, quasi elabi iam ex hac miseria Dido non possit, quæ Amoris blandimenta & tulit & reddidit.

Insciа Dido
Insideat quantus miseræ Deus!

182 Estò, in conuiuio stupitus sit, & atria vocibus personent,

Cum Deo laudes redduntur, aut grates, silẽtium interueniat necesse est.

Fit strepitus tectis, vocemquè per ampla volutant
Atria.

Vbi verò Regina in ipso conuiuio cum Ioue loquitur,

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisquè diem, Troiaquè profectis
Esse velis

Tunc, inquam, summum consequutum silentium est,

Tunc facta silentia tectis.

183 Quod mirum omninò fuit inter aulicos, inter conuiuantes, inter ministrantes, totis tectis, tota domo. Donatus, *Res diuinas actura Didone, omnium vox, & strepitus conquieuit: suprà enim dixit, Fit strepitus tectis, vocemquè per ampla volutant Atria.*

Mundus vel voces viciat, ministrantes quibus mũdana possũt gaudia quoquo modo lædi.

Nocte paratum conuiuium est Teucris à Regina Didone, nocte exhibita est munificentia & largitas regia, & tamen Dido *Diem* vocat hæc gaudia, quæ nocte celebrantur, *Hunc*

Hunc lætum Tyriisquè diem Troiaquè profectis &c.

Lucis lætitiam, diei claritatem illis attribuit,ne noctis omine aliquo modo læderentur,sed mentiretur potius noctis tristitiam nomen lucis. Donat. *Diem dixit, non noctem; nam triste fuisset tenebras nominare vel noctem.*

In conuiuio Regina Dido pateram summo prælibauit ore, non hausit, 184 Fœminæ lõgè à vini potu esse debent.

Primaquè libato summo tenus attigit ore.

Vbi Seruius. *Et verecundiam Reginæ, & morem Romanum tangit. Nam apud antiquos nostros fœminæ non vtebantur vino, nisi sacrorum causa certis diebus. Denique fœmina quæ sub Romulo vinum bibit, occisa est à marito; Mecennius autem maritus absolutus est.* Breuius Donatus. *Summis labris, vt religionis & non vini Cupidam demonstraret.*

Cum Musica inter honestas artes enumeretũr, honestè adhibenda; turpis enim longe est à casta domo, à castis auribus ableganda. Regiam domum illa Iopæ maximè decuit, 185 Castam domum Musica Casta nõ dedecet.

Cytharâ crinitus Iopas

Personat auratâ, docuit quæ maximus Athlas, &c.

Obiter nota Cantoris elegantiam, crinitus enim erat; Musicorum hæc facies, cincinnos, cyrrhos, comas nutrire, comere, pectere;*vtpotè qui Apollinis formam imitentur* (ait Seruius)*cuius sunt etiam artis imitatores* (lege Zerdam hîc notâ 12.) Redeo. Et Donatus & Seruius de hac Musica sic in hoc loco. Hic; *Rectè autem in conuiuio Reginæ adhuc castæ inducitur Carmẽ Philosophicum.* Ille apud Ascensium; *Ludi autem Didonis nihil turpe factu, nihil obscænum dictu habuerunt. Nam cythara artem inter honestas numerari constat. Hanc graues & prudentes amant. &c.* Comas nutrire Musicorum est proprium.

In illo Carmine, vbi Amans Dido 186 Cæca nox Amor est.

Nec non & noctem vario sermone trahebat,

Noctem Amorem interpretor. Trahebat illa, & amoris affectum fouebat sui vario sermone (nam blandis Amor nutritur vocibus) Quæ enim cæcior Nox quàm affectus hic qui cæcos reddit & eludit amantes? Hùc allusisse Donatum putauerim cum dixit, *Morarum causas requirebat, quibus ipsa in longùm vigilias duceret.* Vigilias, inquam, quas in sui Amoris nocte, Cupidinis castus iam militans, ex more seruabat.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER SECVNDVS.

1 Superiorum conſpectus venerationem & ſilentium conciliat.

ASCENSIVS in prima Secundi verba,

Conticuêre omnes.

Notat Superiorum præſentiam venerationem & ſilentium inducere. *Opportunè quidem poſt ſtrepitum & cytharæ crepitum, indicat ſilentium factum; in quo vtriuſque, & Reginæ & Æneæ demonſtrat dignationem, & authoritatem. Nam, vt Reginæ, roganti; Multa ſuper Priamo, ſuper Hectore multa, morem gererent; & vt Æneæ, dignum quem audirent, ſe cenſere ſignificarent, Conticuêre.* Argutiùs Zerda. *Conticuêre, Æneâ narrante, nouo hoſpite, filio Veneris, Deo ſimili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas ſilentium eſſet? Accedit ſilentij forma noua ad præſentiam Reginæ, quæ auidiſſimè audire cupiebat, & quâ audiente, nemo vel hiſcere auderet.* Principum ergo, (illius dicentis, huius audientis) præſentium authoritas ſilentium & venerationem

Dicente vel audiente ſuperiore, inferiores ſilentium agant.

rationem conciliauit.

Aliam adducit causam Donatus, quare 2

Conticuêre omnes.

Tacuerunt inquit, *quia mens hominum nouis fabularum contextionibus delectatur*, Quales ex Troiani excidij narratione expectari fas erat.

Nouitas silentium & attentionem captat.

Expende verba illa Zerdæ num. 1. *Æneâ narrante filio Veneris, Deo simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas silentium esset?* Expositus miraculo fuerat, quæ res illi non vulgarem omnium & attentionem, & amorem conciliauit. 3

Miraculo expositum quis non audit attẽtè?

Ideò Æneas *Infandum* dolorem dixit, ait Seruius, quem renouari Regina iussit, Infandum Regina iubes renouare dolorem, *Quia viro forti victum se dicere, & doloris est, & pudoris.* 4

Grauis est forti dolor se victum fateri.

Captauit Æneas & docilitatem & attentionem in carmine illo.

Et breuiter Troiæ supremum audi e laborem.

Quid enim aptius ad docilitatem, quàm breuiter se dicturum rem integro decennio gestam? Quid grandius ad attentionem, quam labor Troiæ? Amorem verò & beneuolentiam conciliat in verbo illo *Incipiam*, quia celeritatem obtemperantis ostendit. *Tu iubes*, inquit, *Ego incipiam.* Landinus. *Captat beneuolentiam ex eo, quod se inferiorem ostendit. Dixit enim Iubes: quasi inferat, quod omnis superioris postulatio pro iu[illegible]s apud inferiorem haberi debet.* Zerda expendit obedientiæ exhibitæ celeritatem in dactilici pedis celeritate qua fertur *Incipiam. Aduerte*, inquit, *in verbo Incipiam, celeritatem pedis dactyli ad indicandum celeritatem obtemperantis.* 5

Qui actutũ obtẽperat, beneuolentiam & amorem cõciliat.

In illud 6

Instar montis equum diuinâ Palladis arte
Ædificant.

Arte Palladis, inquit Donatus, *quò possent ab insidiarum suspicione abduci. Sed maxima insidia! nam quod abscondere non potuerunt specie religionis contexerunt.* Sub prætextu religionis dolos moliri, insidiæ maximæ sunt.

Specie religionis crimẽ obtegente, insidiæ maximæ sunt.

Conatur Sinon, vt se Troiani beneuole accipiant, quòd Palamedis socius fuerit & comes, qui à græcis interfectus est, quia iniri cum Troianis bella vetuisset. 7

Quem falsa sub proditione Pelasgi.
Insontem, infando indicio, quià bella vetabat.
Demisere neci.

Bonorum societas etiã impio ad indemnitatẽ deseruit.

Iure putauit se apud Troianos misericordiam inuenturum, qui comes fuerat Palamedis, cui erepta vita est, quòd faceret Troianis. Pulchrè Donat. *Commendat etiam Palamedis memoriam dicendo Quia bella vetabat; vt amico viuenti præstarent, quod illi iam defuncto non poterant.* 8

Ingeniosè Donatus notat Bonorum mortem, non mortis nomine efferendam esse, in illud carmen, vbi Sinon de Palamede optimo viro.

Bonorum mors, mors dicenda non est.

Postquam superis concessit ab oris

Non dixit,(verba Donati) *mortuus est, ne eius memoria, digna post hominum finem viuere, minoraretur.* Ex vita in vitam transitus fuit mors illius; ab ijs ille superis oris concessit ad Elysias; vitam hanc meliori vita commutauit. Mors ergò dicenda non est.

9 Testes Deos in mẽdaciũ adducere, ipsis etiam Ethnicis horrendum.

In graui illo discrimine, quod subibat Sinon; quando Deos testes adducit, non se veritatem fateri dixit, cuius testes Dij essent; sed Veritatis illos testes affirmat non huius, quæ fraudulenta omnino commentatio erat. Extimuit Ethnicus in fictionis & fraudis testimonium illos adducere.

Quod te per superos & conscia numina veri,
Per (si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides) oro.

Vidit hanc iurandi calliditatem Donatus. *Verba ipsius adhibentis ad testimonium Deos, dubia sunt, & incerta, & quæ premere non possent mentientem* (expende *premere mentientem*) *Per superos te, inquit, rogo, qui sciunt veritatem. Quis nesciat scire omnia superos? Nunquid dixit; Per superos te rogo, qui sciunt me nulla in parte mentiri?*

10 Improbus omnes ex sua improbitate metitur.

Existimabat Perfidus Sinon omnes ex sua perfidia metiendos cum ait.

Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides.

Sciebat (ex Donati Paraphrasi) *apud se non esse fidem, vnde arbitrabatur apud nullos esse.*

11 Cõmiserationem mouent efficaciùs præsẽtes ærũnæ.

Quando Sinon à Rege Priamo laborum suorum commiseratione͂ precatur, præsentia ostentat vincula, quibus captiuus erat adstrictus.

Oro, miserere laborum
Tantum, miserere animi non digna ferentis.

Quæ tunc temporis maximè patiebatur, ostentat; *Ferentis* inquit, quæ videbantur, non quæ audiebantur solùm, ad misericordiam promerendam proponit, vt pote quæ efficaciùs moueant Benè Donat. *Vinctus crudeliter fuit, vt captiuus; idcirco ait Miserere laborum Tantorum*; *vtique offerebat vincula sua, & captiuitatis miserias testabatur.*

12 Ad inferioris solatium aliquid superior de sua authoritate & grauitate deponat.

Cum turbatum Sinonem videret Priamus, nam

Turbatus, inermis,
Constitit.

Vt quietè & loqueretur & ageret, aliquid ipse de regia dignitate deposuit; non vt hostem, sed vt amicum est alloqutus.

Dictisquè ita fatur amicis.

Expendit Donat. *Deposuit priamus authoritatem Regis, & cum captiuo & hoste amicis loquutus est verbis; aliter enim non putabat solui animos eius, nisi in eum multimoda beneuolentia præcessisset.* Ita sanè est, vt prudenti superiorum humanitate inferiorum animi mentesquè conquiescant.

Quàm

Quàm certum illud est, dulcem omnibus esse Patriæ, parentum, & suorum amorem! Ingeniosè Donatus notat, Regem Priamum, cum ad Sinonem 13

Amissos hinc iam obliuiscere Graios;

Noster eris.

Graios tantùm illum obliuisci iussisse non patriam, non patres, non suos; quamuis ipse Sinon paulo ante dixisset.

Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,

Nec dulces natos, exoptatumquè parentem.

Noluit enim Rex impossibilia, aut certè ardua iubere. *Mirum hic Poëta consilium! Cum enim ad singula Sinonis dicta responderet ex persona Priami, credentis, quod ille vera narrauisset, suppressit, Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi, Nec dulces natos, exoptatūquè parentē. Ne Priamus hæc cōmemorando, quæ affectū maximū retinebant, exulceraret animum narraturi, qui debuerat esse compositus: solos Graios, dixit, obliuiscere, quod facile fieri poterat; extiterant enim Sinonis inimici. Ceterùm Patriam, filios, & patrem in obliuionem ducere non poterat. Addit deinde. Sed & ille durus & impius posset iudicari, si hæc putaret esse suadenda.* Sic Donatus.

Cum de his rebus agitur, quæ ad publicum conducunt bonum, fieri moræ non debent, quæ importare interdum detrimenta solent haud facile resarcienda. Suspectus equus ille Troianus erat, qui contra Troiam est fabricatus; quare cum Priamus Sinonem rogat. 14

Quo molem hanc immanis equi struxere? quis author?

Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?

Breuissimè rogat, vt quàmcitissimè impendenti periculo Reip. medeatur. Donat. *Breuiter proponit, quæ cupiebat audire; non enim adhibenda fuerat mora rebus pro statu publico cognoscendis.*

Quamuis multa Sinon mendacia finxerit, illud tamen est ab ipsa veritate mutuatus; 14

Omnis spes Danaūm, & capti fiducia belli

Palladis auxiliis semper stetit.

Spreuere postea Donati religionem, & sacram Palladis effigiem impiè corripuerunt. Ex illo ergo tempore fractæ illorum sunt vires, & spes & res lapsæ sunt in deteriùs.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri

Spes Danaum, fracta vires, auersa Deæ mens.

Spes, inquit, Græcorum (Donati Paraphrasis) *stabat, propitio Palladis Numine; sed spes fluebat, & stabilitate perditâ retrorsum labebatur, læsâ tot sceleribus Deâ.* Aptissima illa paraphrasis est, *Spes fluebat, & stabilitate perdita retrorsum labebatur*; vt intelligamus Rerumpub. firmitatem & stabilitatem in inuiolata religione consistere, & earum prouenire ruinam ex violatione cælestium; vnde pulchrè addit Poëta,

Dulcis amor patriæ, & suorum est vnicuiquè.

Ab ijs superior abstineat, quod molestiā aut dolorem est inferioribus allaturum.

Dura impietas est aliquid contra patriam & patres suadere.

In rebus pro statu publico cognoscendis mora innecti non debet.

Stat regnū dum stat religio, hac labante labat & illud.

Auersa Deæ mens.

16 Moras trahit Deus,& descendit in vltionem inuitus.

Ex diuina auersione quid non ruinosum & miserum timẽdum sit? Vel Ethnicorum Dijs in vindictâ moras attribuit Antiquitas. Languentes illos in vltionem, imò cõniuentes vltionis segeti & materiæ prudẽs affingit. Vide quàm illa in vindictam morosa Dea! quàm multis lacessita! & tamen quàm in vltionẽ lenta! Expende carmina hæc.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusquè cruentis
Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.

Vbi præclare Nascimbenus. *Vlissis & Diomedis temeritatem in ipsa criminis amplificatione triplici ratione detestatur. Quòd rem fatalem, numinis, diuinitatisquè plenam; quod de loco sacro; quod confidenter surripuerunt. Ergo in singulis singula sunt sacrilegij genera. Auellere autem pro violenter surripere positum est; vt ostenderet Poëta, simulachrum inuita Deâ fuisse sublatum.* Ex hac Nascimbeni ponderatione lentissimam in vltione moram collige *Aggressi*, Conatus omnino impij sunt! sustinet Deus. *Auellere*, iam in opera violenta bacchantur; adhuc vindicta nulla Numinis. *Palladium sacram effigiem*, sacrilega impietas! nec dum districta pœna est. *Cæsis custodibus*, ad homicidia conniuet Deus. *Summæ arcis*, proiecta nondum damnatur audacia. *Manibusquè cruentis, Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.* Sibi ipsi sceleratas inferri manus Numen iam tandem ferre non potuit. Quid tunc? Ab impijs, toties læsa & violata Diuinitas, oculos auertit & mentem. *Auersa Deæ mens.* Hâc illos grauissimâ pœnâ damnauit. Vnde quid non calamitatis emanet necesse est? Sequitur

Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri
Spes Danaûm fractæ vires.

Vbi Pontanus. *Pœnam ex peccato describit.* Donatus addit. *Cum esset tot sceleribus tandem commotum Numen.* Quasi descenderit ad vltionem inuitum.

17 Malus Princeps in causa est, cur mala Deus in Remp. inuehat.

Magna & grauia in Reip. corpus mala invehũtur propter improbũ Principẽ. Duces duo Tydides & Vlisses in Mineruã cœlũquè peccarũt.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, &c.

Quid ergo De⁹ in Græcos omnes, quorũ illi Ductores, animaduertit

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires auersa Deæ mens.

Benè Donatus. *Propter duorum sceleratorum Ducum impiè nefariéquè commissum, ab omnibus Græcis Numinis fauor abscessit.*

18 Inuentores scelerum Deo odibiles.

Scelerati õnes Deo odibiles sũt, sed illi præcipuè, qui scelerũ inuẽtores habẽtur. Multa Vlisses crimina perpetrauerat (de quibus supra) nõ tamẽ in illũ tam videtur Numẽ invehi propter scelerum immanitatẽ & multitudinem, quàm quod inuentorẽ se scelerum profiteretur.

Sed,

Sed enim scelerumquè inuentor Vlisses.

Ideò *Auersa Deæ mens est*, quod noua ille excogitasset crimina, noua & inuisitata scelera induxisset. Acutè Donat. *Auersa Deæ mens est ab inuentore scelerum; prior enim est inuentor scelerum sceleratis, quia ipse inuenit, vnde ex innocentibus scelerati reddantur.* Pulchra sane ratio!

Cum inferenda mortalibus supplicia sunt, quàm non sine misericordia inferuntur à Deo! Impios illos Græcorum Duces Diomedem & Vlissem, reliquosquè Græcorum, non repentè hiscens absorbuit terra, fulmen absumpsit, obruêre vndæ, aut cœlum subitâ tabe confecit; paulatim in illos animaduersum est, lentâquè scuticâ perculsi sunt impij, vt ab ipso pœnæ sensu sensati fierent, & agnoscentibus culpam relaxaretur & pœna. 19 Nescit Deus sine misericordia inferre supplicia.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires

In ipso supplicio misericordia fuit. Præsentibus vtitur *fluunt, retro labuntur*; (id enim sonant illa infinita) non dixit, *abscissa illis spes est, periere vires &c.* Adhuc in præsenti lentissima illorum pœna est, Vt *fugiant à facie arcus*, quod ait Propheta, vt morosis huiusmodi calamitatibus docti resipiscant.

Etiam in luntissima pœna & leuissima, quam infligit Deus, ipse quasi faciem & mentem à suppliciis auertit. Vel ethnico Numini hanc Virgilius notam attribuit; nam cum impios hos Minerua Dea paulatim flagellaret, & sensim, illa mentem auertit, 20 Cum pœnas mortalibus infligit Deus quasi vultum & faciē à suppliciis auertit.

Auersa Deæ mens.

A pœnarum & suppliciorum conspectu se subtrahit, ne dicatur mortalium pœnis delectari Numina, quibus est misereri proprium & parcere. Amplexus illos, quibus Laocoon filiiquè impliciti à serpentibus sunt, expendit Donatus. Amplexus blandi esse solent, amici, ex amore; quid ergo Poëta hoc vsurpat nomen *Amplexus*, cum tam crudeles sortiuntur effectus? 21 Osculum Iudæ.

Et primùm parua Duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterquè
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.

Amplexus dixit (ait Donat.) *Serpentum, cum pueri, & Laocoon necarentur; vt ostenderet Virgilius, blandos esse aliquando perniciosos amplexus.*

Depastis Serpentium morsu innocentium artubus & Laocoontis patris, ad arcem Tritonidis Serpentes confugiunt; ad illius pedes, & clypeum accurrunt. Tunc Poëta *Sæuam* appellat Deam, quæ aggressores excepit; 22 Sæuitia superiorū est, innocentiū offensores, aut oppressores tegere.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuæquè petunt Tritonidis arcem.
Sub pedibusquè Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

164 In amoris affectu si vel rimulam statim non occludas, peruius es ruinæ. In oratione illa, quâ Venus Cupidinem hortatur, vt Didonem in Troiani amorem inflammet, illa potissima ratio est *A facili,*

Leuiâ turpis amoris initia grauem minãtur ruinam.

Hunc Phænissa tenet Dido.

Ita Zerda. *A facili, inquit, poteris rem perficere, cum ipsamet Dido vltrò Æneæ blandiatur.* Quasi dicat, Non amantem ad amorem traducere, hoc opus hic labor esset; amori verò blandientem iam & accinentem facile erit impellere. Benè Donat. *Ostendit facilitatem petitionis, cum blandis iam illa fabulis moras procuret, ac teneatur animus eius affectu; ac per hoc non esse iam necessarium amoris initium, quod habere difficultatem posset, sed amoris augmentum.*

165 Ex Veneris meditatione in Didonem quid non timendum sit? Dea illa Amoris est, & præmeditatur dolos, præmeditatur flammas,

Amoris flãmæ Oceano extingui tòto non possunt.

Quocirca capere ante dolis, & cingere flammis
Reginam meditor. (inquit ipsa Venus)

Flammis inquam, quas vt primum Dido conceperit, nullius possint Numinis auxilio restingui. Ita enim intelligo quod sequitur emistichium

Ne quo se Numine mutet.

Cuiuscunquè Numinis opem excludit ad huius extinctionem incendij. Vnde malè Seruius ait, *Quo vacat.* Apagè serui.

Melius est difficultatẽ prævidere, quàm mederi præsenti.

Vel donatum sequamur, qui in hoc carmen

Quocirca capere ante dolis &c.

Potiùs nobis remedia quærenda esse contrà imminentia mala, ait, quàm vt afflictis iam rebus subueniamus. *Tractat Virgilius* (Interpretis verba) *præuenienda remedio mala esse, quæ metuimus ne accidant, quàm velle afflictis rebus & perditis subuenire.*

Prudẽtis est Superioris iniũcta suis præcepta consilio iuuare.

Venus Cupidinem ita instruit, vt facilius ille, quod iniungitur, præceptum exequatur.

Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu &c.

Vbi Donat. *Narratâ desiderorum summâ, quæstionibusquè omnibus diligenti examinatione discussis, vt super effectu desiderij complendo instructum Cupidinem redderet, necessaria protulit; plurimum enim prodest in rebus gerendis iuuare consilio eum, quem in negocio expediendo præfecerit quisquam. Libenter quippe mandata suscipit, cum aduerterit impositum munus compendioso remedio releuatum,*

Erga nepotes, quàm erga filios maior est amor.

Cum de Iulio Nepote Venus loqueretur, ait,

Puer mea maxima cura.

Superlatiuo vtitur, vltra quem alius certè gradus non datur. Benè, (inquit Donat.) *quia vltra liberorum affectum nepotes haberi dicuntur.*

Faciles in Amorẽ fœminæ sunt.

Fœmina de nectendo fœminæ dolo cum Cupidine agens.

Noctem non amplius vnam, (ait)
Falle dolo.

Satis

Satis hoc esse temporis spatium putauit, vt expugnaretur Ælissa. Ingeniosè Donatus. *Ostendit non longi temporis operam necessariam: mulier quippè mandabat, quæ fœminarum mores optimè nosset.*

Quam illud Terentij verum est! 170

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Animaduerte quæso, quàm rerum opportunitatem eligendam Venus præcipiat ad Venerem.

Intemperãtiâ Venus accenditur.

Regales inter mensas, laticémquè Liæum.

Vbi Seruius. *Epulas intemperantes, in quibus castitas rara est, & facilis amoris occasio.* Quàm illa est sine morâ Cupidinis Obedientia! 171

Paret Amor dictis charæ Genitricis

Officiosi filij partes commendat; quippè quem maturis affectus hortabatur. Donat. Quàm etiam plenâ voluntate laudabilis!

Et gressu gaudens incedit Iüli.

Gaudentem inducit Cupidinem (ait idem interpres) *quòd plenâ voluntate iussa matris implebat. Hoc est enim præcipuum obsequentis studium, si libens agat, quæ præcepta sunt, nec inuitus compleat.*

Obediẽtia, quæ sine morâ est, & plenâ cum voluntate, laudatur.

Hortatur Amoris Deum sedula Venus, vt Ascanij mutatus in faciem Carthaginem adeat, *Notos pueri puer indue vultus,* 172

Vt Reginam in amorem Æneæ facilè accendat,

Occultum inspires ignem, fallasquè veneno.

Non tergiuersatur præcepta Matris implere Cupido,

Paret Amor dictis charæ Genitricis.

Illustrissima laus, quę sine fuco est.

An vt Iulium Principem reddat ad viuum ipsiusmet Pulchritudinis Deus, (vltrà quam nulla maior ab Ethnicis fingitur) propriam temperauit? frontis honorem, oculorum radios, genarum purpuram, vultus dignitatem, Numinis splendorem dissimulauit? Nequaquam verò. Quid ergo? Solas alas deposuit,

Alas

Exuit.

Hæc sola Cupidini cura fuit, vt exprimeret Iulium. Adeò pulcher Ascanius fuit, vt sine alis Cupidinem omninò diceres, & Cupidinem, depositis alis, Iulium crederes. Nulla alia in re Iulius Cupidoquè dissimiles, quàm alis; illas deponat Pulchritudinis Deus, & Ascanij pulchritudinem reddet ad viuum.

Paret Amor dictis charæ Genitricis, & alas

Exuit.

Vide quàm effusa laus hæc, quámquè sine fuco illustrissima sit. Ingeniosè Seruius; *Laus magna Ascanij per transitum, si Cupido, alis tantùm depositis, Ascanius fuit.* 173

Aliud expendas velim in hac alarum depositione. Vix Matrem audit obediendi cupidus Filius, cum alas exuit. Nonne ad citum volatum aptissimæ alæ sunt? cur ergo illas abiicit? In alis propria libertas, & libera vagandi libido signatur; Vt autem apud Matrem

Obedientia quasi absque libertate propriâ commendatur.

Cupido suam obedientiam commendet, propriam in alarum depositione abnegat libertatem. Quasi dicat, Iube Mater ad arbitrium tuum meum erit, quodcunquè iusseris, vlla absque tergiuersatione capessere. Quod ad Iunonem Æolus,

Tuus, ô Regina, quod optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere.

Cum alas exuit (inquit Donat.) *Se officiosum Matri praestat*, & eius se voluntati omninò expositum exhibet. *Sine exceptione paret, & alas exuit*, inter se conuertuntur. Neothericus quidam Maronis explanator ita subscribit. *Exuit alas, vt totum se Matris imperio, quocunque illa ire iubeat, exhibeat.* Vide lib. 4. num. 88.

174 Amori nihil est graue. In Iulij fauim mutatus Amor *duce latus Achate*, à nauibus pergebat in Regiam Ælisæ. Quæ verò dona portet, attende,

Pallam signis, auróqué rigentem,
Et circum textum croceo velamen Acantho,
Praterea sceptrum, colloquè monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroquè coronam.

Grauia hæc omninò dona sunt, & supra pueri vires; & tamen ipse,

Dona Cupido
Regia portabat Tyriis.

Portabat, inquit, nec fatigabatur, Quare? Quia Amor, cui vel grauissima onera plumulæ instar leuissima sunt. Acutè æquè ac fusè Donat. *Portabat dona regia, & latus fuit, Non fatigabatur puer onere munerum, nec tadio ponderis aut itineris frangebatur Amor. Supra dixit qua portaret munera, vt ostenderet species, quas puer pro leui ferre non posset.* Quid enim puer tot dona, támquè grauia, in Regiam à nauibus ferre posset, nisi Amor esset illa puerilitate occultatus, aut puerilis illa ætas Amore? Amanti planè graue nihil est. Nulla imbecillitas talis est, si animetur & roboretur Amore.

175 Praui amoris vel leuis morula, infelicitas est. Vixdum Cupidinem Dido benignè tuetur, cum illam Maro *Infelicem* appellat,

Præcipuè infelix pesti deuota futura.

Leuiusculæ tantùm moræ Regina damnatur, non leuiusculi tamen damni pœnam luit. Vixdum extremis, quod aiunt, digitis picem tetigit, cum labem contraxit *infelicem*, nullâ cretá eluendam. Donat. *Infelix, quia benignum animum exhibebat, quem exhibere deberet inimicum, cum ex eo pararetur sibi mors.* Ascensianum olet.

176 Verè illi sūt & dicuntur dies, in quibus pia exercetur opera. Notat Donatus verè illum esse diem nuncupandum, in quo per sacta societatem Dido, Tyriis cum Troianis initam, confirmabat. Nam illi verè sunt, & dicuntur dies, in quibus pium aliquid & religiosum exercetur.

Hunc latum Tyriisquè diem Troiaque profectis
Esse velis. inquit ad Iouem Dido.

Constat

Constat tamen tunc temporis *noctem* esse, non *diem*. Nam

> *Dependent lychni laquearibus aureis*
> *Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.*

Non noctis meminit, sed diei, & quidem meritò, quo societatem per sacra confirmabat. Donat. Non *noctem* nominet, sed verè *diem* dicat, quo pietas exercetur.

Mirum illud est, quod Dido ad Iouem, in exceptione honorificâ, qua ipsa dignata Troianos est. 177

Moritur quisquis amat.

> *Hunc lætum Tyriisquè diem, Troiaquè profectis*
> *Esse velis.*

Tyrios tantùm Troianosquè nominat, de se verò tacet, quæ Sydonia erat. Non dixit *Lætus hic in posterum dies sit mihi, Sydoniis, Tiriis, Troianis.* Neque in communi cum Sydoniis, neque in particulari vllam sui mentionem fecit. Quid hoc? Rationem reddit acutissimè Donatus. Cognouit se Amantem esse,

> *(Præcipuè infelix pesti deuota futuræ*
> *Expleri mentem nequit, ardescitquè tuendo*
> *Phœnissa.)*

Ideóque mortuam, iuxta illud Platonis, *Moritur quisquis amat.* Quare de se actum iam esse putat. Non inter viuos nominetur, nec die fruatur & luce quæ, amore præueniente, mortem admisit, posteà ferrum pectore admissura. Sit lætus dies hic Tyriis Troianisquè in posterùm superstitibus. *Cum autem ipsa esset Sydonia, quasi mortis suæ præsagio* (& amore & ferro) *Tyriorum & Troianorum fecit tantummodò mentionem.*

Tanta Amoris interdum vis est, vt vel primos cognatos fallat, illorum sensum mentémquè deludat, & transuertat in crimen. Huius sententiæ Donatus est, in illud, vbi Cupido in Ascanij faciem mutatus 178

Tāta Amoris vis est, & astutia, vt propinquiori etiã gradu cognatos fallat.

> *Complexu Æneæ, colloquè pependit.*
> *Et magnum falsi impleuit genitoris amorem.*

Scaliger eludit hìc quæpiam Seruiana. Donatum audi. *Falsi, patris, inquit, non quòd non esset pater eius, sed quod Æneam ipsum Ascanij patrem primò subtiliter Cupido fefellisset; quo Æneas in tantum errorem missus est, vt arbitraretur se filium amplecti, & osculari præsentem. Ergo non intelligente insidias patre, &c.* Insidias Amor parare solet etiam coniunctissimis. Caue Caue, quicunque coniunctissimus es, nam quos ille non fallit?

In verbo illo *Petit, Reginam petit,* Notat præclarè Nascimbenus violentiam Amoris. Neque enim tantùm Amor petit Didonem, hoc est, currit ad illius amplexus; sed *petit*, idest, illam amplexando insidiis aggreditur, dolo appetit. *Petit, quasi violenter aliquid facturus.* Verba sunt Nascimb. 179

Ea Amoris vis est, vt, perè dicã, extorqueat assensum.

Ne labores, qui à libidinis corruptione reseruant, (vt suprà dixi-

180 ximus n. 97.) infamaret Poëta; & castæ fœminæ existimationem minueret, subiecit Amoris vim, quâ Æneas, & Dido sunt expugnati. Cupido enim

Grauissima in Amore occasio est, quæ pressū laboribus expugnat, & opprimit.

Vbi complexu Æneæ, colloquè pependit,
Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit.

Grauiter & acutè Donatus; *Sciendum est induci Didonem castam, diuitem, & pulchram, idcirco deceptam per Cupidinem, vt etiam in eo existimationem non tantùm ipsius Didonis, verùm etiam Æneæ Poëta conseruet; ne illum ignobilis fœmina proiecti pudoris spontè amasse, aut prouocata muneribus videatur; aut ille malis summersus innumeris de amoribus illicitis cogitasse.* Iniuriam laboribus imprudens irrogaret Poëta, quibus immersus tunc temporis erat Æneas, (nam hîc primò cœpit illi arridere Fortuna) nisi Amorem induceret, qui pressum malis in amorem induxerit, imò impulerit ferè inuitum.

181 Expendit Donatus, Amoris blanditias certissima esse mortis prænuntia; sibi inuicem Amor Didoquè blandiuntur, ille

Amoris blā ditiæ mortis prænuntia sunt.

Reginam petit.

Illa *Interdum gremio fouet.*

O te miseram! nescis nescis quantus tibi insideat Deus! quàm certa tibi iactura paretur, vbi lucrum putas! quàm merum fel ex hoc melle! quàm inter has blanditias cruentus aculeus! quàm ex hâc putatâ vitâ mors certa! *Benè autem Miseram dixit* (ait Donatus) *quæ ignara gestorum benignum in omnibus animum repræsentabat, quæ esse potuit inimica, cum ex eo ipso pararetur ad mortem.* Et cum commiseratione *Miseram*, dicit, quasi elabi iam ex hac miseria Dido non possit, quæ Amoris blandimenta & tulit & reddidit.

Inscia Dido
Insideat quantus miseræ Deus!

182 Estò, in conuiuio stupitus sit, & atria vocibus personent,

Cum Deo laudes redduntur, aut gratæs, silētium interueniat necesse est.

Fit strepitus tectis, vocemquè per ampla volutant
Atria.

Vbi verò Regina in ipso conuiuio cum Ioue loquitur,

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisquè diem, Troiaquè profectis
Esse velis

Tunc, inquam, summum consequutum silentium est,

Tunc facta silentia tectis.

183 Quod mirum omninò fuit inter aulicos, inter conuiuantes, inter ministrantes, totis tectis, tota domo. Donatus, *Res diuinas actura Didone, omnium vox, & strepitus conquieuit: suprà enim dixit, Fit strepitus tectis, vocemquè per ampla volutant Atria.*

Mundus vel voces vitat, quibus mū dana possūt gaudia quoquo modo lædi.

Nocte paratum conuiuium est Teucris à Regina Didone, nocte exhibita est munificentia & largitas regia, & tamen Dido *Diem* vocat hæc gaudia, quæ nocte celebrantur. *Hunc*

Hunc lætum Tyriisquè diem Troiaquè profectis &c.

Lucis lætitiam, diei claritatem illis attribuit, ne noctis omine aliquo modo læderentur, sed mentiretur potius noctis tristitiam nomen lucis. Donat. *Diem dixit, non noctem; nam triste fuisset tenebras nominare vel noctem.*

In conuiuio Regina Dido pateram summo prælibauit ore, non hausit, 184

Fœminæ lógè à vini potu esse debent.

Primaquè libato summo tenus attigit ore.

Vbi Seruius. *Et verecundiam Reginæ, & morem Romanum tangit. Nam apud antiquos nostros fœminæ non vtebantur vino, nisi sacrorum causâ certis diebus. Denique fœmina quæ sub Romulo vinum bibit, occisa est à marito; Mecennius autem maritus absolutus est.* Breuius Donatus. *Summis labris, vt religionis & non vini Cupidam demonstraret.*

Cum Musica inter honestas artes enumeretur, honestè adhibenda; turpis enim longe est à casta domo, à castis auribus ableganda. Regiam domum illa Iopæ maximè decuit, 185

Castam domum Musica Casta nó dedecet.

Cytharâ crinitus Iopas

Personat auratâ, docuit quæ maximus Athlas, &c.

Obiter nota Cantoris elegantiam, crinitus enim erat; Musicorum hæc facies, cincinnos, cyrrhos, comas nutrire, comere, pectere; *vtpotè qui Apollinis formam imitentur* (ait Seruius) *cuius sunt etiam artis imitatores* (lege Zerdam hîc notâ 12.) Redeo. Et Donatus & Seruius de hac Musica sic in hoc loco. Hic; *Rectè autem in conuiuio Reginæ adhuc castæ inducitur Carmẽ Philosophicum.* Ille apud Ascensium; *Ludi autem Didonis nihil turpe factu, nibil obscænum dictu habuerunt. Nam cythara artem inter honestas numerari constat. Hanc graues & prudentes amant. &c.*

Comas nutrire Musicorum est proprium.

In illo Carmine, vbi Amans Dido 186

Cæca nox Amor est.

Nec non & noctem vario sermone trahebat,

Noctem Amorem interpretor. Trahebat illa, & amoris affectum fouebat sui vario sermone (nam blandis Amor nutritur vocibus) Quæ enim cæcior Nox quàm affectus hic qui cæcos reddit & eludit amantes? Hùc allusisse Donatum putauerim cum dixit, *Morarum causas requirebat, quibus ipsa in longùm vigilias duceret.* Vigilias, inquam, quas in sui Amoris nocte, Cupidinis castus iam militans, ex more seruabat.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER SECVNDVS.

1 Superiorum conspectus venerationem & silentium conciliat.

ASCENSIVS in prima Secundi verba,

Conticuêre omnes.

Notat Superiorum præsentiam venerationem & silentium inducere. *Opportunè quidem post strepitum & cytharæ crepitum, indicat silentium factum; in quo vtriusque, & Reginæ & Æneæ demonstrat dignationem, & authoritatem. Nam, vt Reginæ, roganti; Multa super Priamo, super Hectore multa, morem gererent; & vt Æneæ, dignum quem audirent, se censere significarent, Conticuere.* Argutiùs Zerda. *Conticuêre, Æneâ narrante, nouo hospite, filio Veneris, Deo simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas silentium esset? Accedit silentij forma noua ad præsentiam Reginæ, quæ auidissimè audire cupiebat, & quâ audiente, nemo vel hiscere auderet.* Principum ergo, (illius dicentis, huius audientis) præsentium authoritas silentium & venerationem

Dicente vel audiente Superiore, inferiores silentium agant.

rationem conciliauit.

Aliam adducit causam Donatus, quare 2 Nouitas silentium & attentionem captat.

Conticuêre omnes.

Tacuerunt inquit, *quia mens hominum nouis fabularum contextionibus delectatur*, Quales ex Troiani excidij narratione expectari fas erat.

Expende verba illa Zerdæ num. 1. *Æneâ narrante filio Veneris, Deo simili, qui miraculo nubis adductus fuerat Carthaginem, quale putas silentium esset?* Expositus miraculo fuerat, quæ res illi non vulgarem omnium & attentionem, & amorem conciliauit. 3 Miraculo expositum quis non audit attentè?

Ideò Æneas *Infandum* dolorem dixit, ait Seruius, quem renouari Regina iussit, Infandum Regina iubes renouare dolorem, *Quia viro forti victum se dicere, & doloris est, & pudoris.* 4 Grauis est forti dolor se victum fateri.

Captauit Æneas & docilitatem & attentionem in carmine illo.

Et breuiter Troiæ supremum audire laborem.

Quid enim aptius ad docilitatem, quàm breuiter se dicturum rem integro decennio gestam? Quid grandius ad attentionem, quam labor Troiæ? Amorem verò & beneuolentiam conciliat in verbo illo *Incipiam*. quia celeritatem obtemperantis ostendit. *Tu iubes*, inquit, *Ego incipiam*. Landinus. *Captat beneuolentiam ex eo, quod se inferiorem ostendit. Dixit enim Iubes: quasi inferat, quod omnis superioris postulatio pro iussis apud inferiorem haberi debet.* Zerda expendit obedientiæ exhibitæ celeritatem in dactilici pedis celeritate qua fertur *Incipiam*. *Aduerte*, inquit, *in verbo Incipiam, celeritatem pedis dactylici ad indicandam celeritatem obtemperantis.* 5 Qui actutū obtemperat, beneuolentiam & amorem cōciliat.

In illud 6 Specie religionis etiā obtegere, insidiæ maximæ sunt.

Instar montis equum diuinâ Palladis arte
Ædificant.

Arte Palladis, inquit Donatus, *quò possent ab insidiarum suspicione abduci. Sed maximæ insidiæ! nam quod abscondere non potuerunt speciè relligionis contexerunt.* Sub prætextu religionis dolos moliri, insidiæ maximæ sunt.

Conatur Sinon, vt se Troiani beneuole accipiant, quòd Palamedis socius fuerit & comes, qui à græcis interfectus est, quia iniri cum Troianis bella vetuisset. 7 Bonorum societas etiā impio ad indemnitatē deseruit.

Quem falsa sub proditione Pelasgi.
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat.
Demisere neci.

Iure putauit se apud Troianos misericordiam inuenturum, qui comes fuerat Palamedis, cui erepta vita est, quòd faceret Troianis. Pulchrè Donat. *Commendat etiam Palamedis memoriam dicendo Quia bella vetabat; vt amico viuenti præstarent, quod illi iam defuncto non poterant.* 8 Bonorum mors, mors dicenda non est.

Ingeniosè Donatus notat Bonorum mortem, non mortis nomine efferendam esse, in illud carmen, vbi Sinon de Palamede optimo viro.

G. 3. *Postquam.*

Postquam superis concessit ab oris.

Non dixit, (verba Donati) *mortuus est, ne eius memoria, digna post hominum finem viuere, minoraretur.* Ex vita in vitam transitus fuit mors illius; ab ijs ille superis oris concessit ad Elysias; vitam hanc meliori vita commutauit. Mors ergò dicenda non est.

9 In graui illo discrimine, quod subibat Sinon; quando Deos testes adducit, non se veritatem fateri dixit, cuius testes Dij essent; sed Veritatis illos testes affirmat non huius, quæ fraudulenta omnino commentatio erat. Extimuit Ethnicus in fictionis & fraudis testimonium illos adducere.

Testes Deos in mēdaciū adducere, ipsis etiam Ethnicis horrendum.

Quod te per superos & conscia numina veri,
Per (si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides) oro.

Vidit hanc iurandi calliditatem Donatus. *Verba ipsius adhibentis ad testimonium Deos, dubia sunt, & incerta, & quæ premere non possent mentientem* (expende *premere mentientem*) *Per superos te, inquit, rogo, qui sciunt veritatem. Quis nesciat scire omnia superos? Nunquid dixit; Per superos te rogo, qui sciunt me nulla in parte mentiri?*

10 Existimabat Perfidus Sinon omnes ex sua perfidia metiendos cum ait.

Improbus omnes ex sua improbitate metitur.

Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides.

Sciebat (ex Donati Paraphrasi) *apud se non esse fidem, vnde arbitrabatur apud nullos esse.*

11 Quando Sinon à Rege Priamo laborum suorum commiserationē precatur, præsentia ostentat vincula, quibus captiuus erat adstrictus.

Cōmiseracionem mouent efficaciùs præsētes ærūnæ.

Oro, miserere laborum
Tantum, miserere animi non digna ferentis.

Quæ tunc temporis maximè patiebatur, ostentat; *Ferentis* inquit, quæ videbantur, non quæ audiebantur solùm, ad misericordiam promerendam proponit, vt pote quæ efficaciùs moueant Benè Donat. *Vinctus crudeliter fuit, vt captiuus; idcirco ait Miserere laborum Tantorum; vtiquè offerebat vincula sua, & captiuitatis miserias testabatur.*

12 Cum turbatum Sinonem videret Priamus, nam

Ad inferioris solatium aliquid superior de sua authoritate & grauitate deponat.

Turbatus, inermis,
Constitit.

Vt quietè & loqueretur & ageret, aliquid ipse de regia dignitate deposuit; non vt hostem, sed vt amicum est alloquutus.

Dictisquè ita fatur amicis.

Expendit Donat. *Deposuit priamus authoritatem Regis, & cum captiuo & hoste amicis loquutus est verbis; aliter enim non putabat solui animos eius, nisi in eum multimoda beneuolentia præcessisset.* Ita sanè est, vt prudenti superiorum humanitate inferiorum animi mentesquè conquiescant. Quàm

Quàm certum illud est, dulcem omnibus esse Patriæ, parentum, & suorum amorem! Ingeniosè Donatus notat, Regem Priamum, cum ad Sinonem 13 Dulcis amor patriæ, & suorum est vnicuiquè.

Amissos hinc iam obliuiscere Graios;

Noster eris.

Graios tantùm illum obliuisci iussisse non patriam, non patres, non suos; quamuis ipse Sinon paulo ante dixisset.

Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,

Nec dulces natos, exoptatumquè parentem.

Noluit enim Rex impossibilia, aut certè ardua iubere. *Mirum hic Poëta consi lium! Cum enim ad singula Sinonis dicta responderet ex persona Priami, credentis, quod ille vera narrauisset, suppressit, Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi, Nec dulces natos, exoptatumquè parentē. Ne Priamus hæc cōmemora ndo, quæ affectū maximū retinebant, exulceraret animum narraturi, qui debuerat esse compositus: solos Graios, dixit, obliuiscere, quod facile fieri potuit; extiterant enim Sinonis inimici. Ceterùm Patriam, filios, & patrem in obliuionem ducere non poterat. Addit deinde. Sed & ille durus & impius posset iudicari, si hæc putaret esse suadenda.* Sic Donatus. Ab ijs superior abstineat, quod molestiā aut dolorem est inferioribus allaturum. Dura impietas est aliquid contra patriam & patres suadere.

Cum de his rebus agitur, quæ ad publicum conducunt bonum, fieri moræ non debent, quæ importare interdum detrimenta solent haud facile resarcienda. Suspectus equus ille Troianus erat, qui contra Troiam est fabricatus; quare cum Priamus Sinonem rogat. 14 In rebus pro statu publico cognoscendis mora innecti non debet.

Quo molem hanc immanis equi struxere? quis author?

Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?

Breuissimè rogat, vt quàm citissimè impendenti periculo Reip. medeatur. Donat. *Breuiter proponit, quæ cupiebat audire; non enim adhibenda fuerat mora rebus pro statu publico cognoscendis.*

Quamuis multa Sinon mendacia finxerit, illud tamen est ab ipsa veritate mutuatus; 14 Stat regnū dum stat religio, hac labante labat & illud.

Omnis spes Danaüm, & cæpti fiducia belli

Palladis auxiliis semper stetit.

Spreuere postea Donati religionem, & sacram Palladis effigiem impiè corripuerunt. Ex illo ergo tempore fractæ illorum sunt vires, & spes & res lapsæ sunt in deteriùs.

Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri

Spes Danaum, fractæ vires, auersa Deæ mens.

Spes, inquit, Græcorum (Donati Paraphrasis) *stabat, propitio Palladis Numine; sed spes fluebat, & stabilitate perditâ retrorsum labebatur, læsâ tot sceleribus Deâ.* Aptissima illa paraphrasis est, *Spes fluebat, & stabilitate perdita retrorsum labebatur*; vt intelligamus Rerumpub. firmitatem & stabilitatem in inuiolata religione consistere, & earum prouenire ruinam ex violatione cælestium; vnde pulchrè addit Poëta,

16 *Auersa Dea mens.*

Moras trahit Deus, & descendit in vltionem inuitus.

Ex diuina auersione quid non ruinosum & miserum timēdum sit? Vel Ethnicorum Dijs in vindictâ moras attribuit Antiquitas. Languentes illos in vltionem, imò cōniuentes vltionis segeti & materiæ prudēs affingit. Vide quàm illa in vindictam morosa Dea! quàm multis lacessita! & tamen quàm in vltionē lenta! Expende carmina hæc.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusquè cruentis
Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.

Vbi præclare Nascimbenus. *Vlyssis & Diomedis temeritatem in ipsa criminis amplificatione triplici ratione detestatur. Quòd rem fatalem, numinis, diuinitatisquè plenam; quod de loco sacro; quod confidenter surripuerunt. Ergo in singulis singula sunt sacrilegij genera. Auellere autem pro violenter surripere positum est; vt ostenderet Poëta, simulachrum inuita Deâ fuisse sublatum.* Ex hac Nascimbeni ponderatione lentissimam in vltione moram collige *Aggressi*, Conatus omnino impij sunt! sustinet Deus. *Aueller e*, iam in opera violenta bacchantur; adhuc vindicta nulla Numinis. *Palladium sacram effigiem*, sacrilega impietas! nec dum districta pœna est. *Cæsis custodibus*, ad homicidia conniuet Deus. *Summæ arcis*, proiecta nondum damnatur audacia. *Manibusquè cruentis, Virgineas ausi Diuæ contingere vittas.* Sibi ipsi sceleratas inferri manus Numen iam tandem ferre non potuit. Quid tunc? Ab impijs, toties læsa & violata Diuinitas, oculos auertit & mentem. *Auersa Deæ mens.* Hâc illos grauissimâ pœnâ damnauit. Vnde quid non calamitatis emanet necesse est? Sequitur

Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri
Spes Danaum fractæ vires.

Vbi Pontanus. *Pœnam ex peccato describit.* Donatus addit. *Cum esset tot sceleribus tandem commotum Numen.* Quasi descenderit ad vltionem inuitum.

17 Malus Princeps in causa est, cur mala Deus in Remp. inuehat.

Magna & grauia in Reip. corpus mala invehūtur propter improbū Principē. Duces duo Tydides & Vlisses in Mineruā cælūquè peccarūt.

Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, &c.

Quid ergo De⁹ in Græcos omnes, quorū illi Ductores, animaduertit

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaūm, fractæ vires auersa Deæ mens.

Benè Donatus. *Propter duorum sceleratorum Ducum impiè nefariéquè commissum, ab omnibus Græcis Numinis fauor abscessit.*

18 Inuentores scelerum Deo odibiles.

Scelerati ōnes Deo odibiles sūt, sed illi præcipuè, qui scelerū inuētores habētur. Multa Vlisses crimina perpetrauerat (de quibus supra) nō tamē in illū tam videtur Numē invehi propter scelerum immanitatē & multitudinem, quàm quod inuentorē se scelerum profiteretur.

Sed,

Sed enim scelerumquè inuentor Vlisses.

Ideò *Auersa Dea mens est*, quod noua ille excog itasset crimina, noua & inuisitata scelera induxisset. Acutè Donat. *Auersa Dea mens est ab inuentore scelerum; prior enim est inuentor scelerum sceleratis, quia ipse inuenit, vnde ex innocentibus scelerati reddantur.* Pulchra sane ratio!

Cum inferenda mortalibus supplicia sunt, quàm non sine misericordia inferuntur à Deo! Impios illos Græcorum Duces Diomedem & Vlissem, reliquosquè Græcorum, non repentè hiscens absorbuit terra, fulmen absumpsit, obruêre vndæ, aut cœlum subitâ tabe confecit; paulatim in illos animaduersum est, lentâquè scuticâ perculsi sunt impij, vt ab ipso pœnæ sensu sensati fierent, & agnoscentibus culpam relaxaretur & pœna. 19 Nescit Deus sine misericordia inferre supplicia.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fracta vires

In ipso supplicio misericordia fuit. Præsentibus vtitur *fluunt, retrò labuntur*; (id enim sonant illa infinita) non dixit, *abscissa illis spes est, periere vires &c.* Adhuc in præsenti lentissima illorum pœna est, Vt *fugiant à facie arcus*, quod ait Propheta, vt morosis huiusmodi calamitatibus docti resipiscant.

Etiam in luntissima pœna & leuissima, quam infligit Deus, ipse quasi faciem & mentem à suppliciis auertit. Vel ethnico Numini hanc Virgilius notam attribuit; nam cum impios hos Minerua Dea paulatim flagellaret, & sensim, illa mentem auertit, 20 Cum pœnas mortalibus infligit Deus quasi vultum & faciē à suppliciis auertit.

Auersa Dea mens.

A pœnarum & suppliciorum conspectu se subtrahit, ne dicatur mortalium pœnis delectari Numina, quibus est misereri proprium & parcere. Amplexus illos, quibus Laocoon filiiquè impliciti à serpentibus sunt, expendit Donatus. Amplexus blandi esse solent, amici, ex amore; quid ergo Poëta hoc vsurpat nomen *Amplexus*, cum tam crudeles sortiuntur effectus? 21 Osculum Iudæ.

Et primùm parua Duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterquè
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.

Amplexus dixit (ait Donat.) *Serpentum, cum pueri, & Laocoon necarentur; vt ostenderet Virgilius, blandos esse aliquando perniciosos amplexus.*

Depastis Serpentium morsu innocentium artubus & Laocoontis patris, ad arcem Tritonidis Serpentes confugiunt; ad illius pedes, & clypeum accurrunt. Tunc Poëta *Sæuam* appellat Deam, quæ aggressores excepit; 22 Sæuitia superiorū est, innocentiū offensores, aut oppressores tegere.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sacraquè petunt Tritonidis arcem.
Sub pedibusquè Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

Quicunquè sit ille Superior, qui publicis innocentiæ oppressoribus patrocinatur, *Sæuus* omninò est. Seruius hîc. *Sæua, idest, fortis, nobilis.* Malè. Ingeniosè Donatus. *Sacram* sænam interpretatur. *Impietatem hîc Mineruæ vehementer expressit, quòd dracones, qui sacerdotem in ipsa adhuc sacrorum solemnitate constitutum, & insontes eius filios paruulos, qui in illa ætate nihil audere, aut committere potuissent, dilacerauerant, ad ipsius Deæ templum contendentes, non solùm parietibus templi, sed ipsâ quoque arâ, vbi Deæ simulachrum stabat, vestigiisquè eius, & clypeo contecti sint.* Rectè igitur *Sæuam* appellat.

23 Culpæ reos ipsa facit culpa fugitiuos.

Vide, dracones illi, post innocentibus necem illatam, quàm celeri sese fugâ proripiant! *Effugiunt*, inquit Poëta; fugitiui statim latebras quærunt,

Sub pedibusquè Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

Atque vt celeritatem in fuga melius exprimeret, dactylis vsus est concitata velocitate fluentibus, Suspedi bnsquè De æ clype iquè sub orbe te Hic illud Arunte post Camillæ necem fugienti; & Lupi comparatio post occisum Pastorem, libro 11.

24 Quò propius culpa cognoscitur, eo acrius irritatur & vltor.

Expendit Donat. hos vltores iniuriæ Palladi illatæ, cum per vndas feruntur ad littus *Angues* esse, qui innoxij esse solent, vtpotè qui à longè non satis culpam dignoscerent Laocoontis: cum propiùs accedunt, euasisse *Serpentes*, qui violatorem Palladis, & natos eius spiris amplexi sunt: cum verò crimen ipsum, scelusquè contingunt, *Dracones* esse, qui miseros morsu depasti sunt artus. Primò Angues sunt,

Immensis orbibus Angues
Incumbunt pelago.

Deinde Serpentes, *Serpens amplexus vterquè*
Implicat.

Demum Dracones, *gemini delubra ad summa Dracones*
Effugiunt.

Quid ita? Quia quò propiùs culpam cognoscunt, irritantur & acriùs. Donat. *Vulgatum autem constat, & omnibus manifestum est, hos vltores in mari Angues esse, in terrâ serpentes,* qui venena diffundunt, *in templo Dracones*, qui immanissimi sunt, *Poetam dixisse.* Ad propiorem culpæ vicinitatem augetur & vltio.

25 Supplicium cum prodigiis coniunctum horrorem incutit.

Cum vltores illi Dracones ad Palladem, cuius iniuriam vindicauerant, confugerunt,

Sub pedibusque Deæ, clypeiquè sub orbe teguntur.

Ad hæc prodigia quis non est pauore correptus?

Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor.

Paulo antè multi timuerant, *Tum verò* maximè pauorem omnes concipiunt. Donat. *Tum verò, perfecto scilicet Laocoontis & filiorum exitio, & Draconibus conditis sub scuto, & pedibus Deæ, magis ac magis cunctis creuerat pauor.*

Cum

Cum Draconum prodigia, qui & patrem & paruulos depasti sunt, videre Troiani, 26

Innocentiũ pœnam vel miracula honestare non possũt.

Scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.

Laocoontem pœnas dedisse ferunt, quas merebatur; de Innocentibus paruulis tacent, quamuis vnà cum patre perierint. Nam innocentiæ oppressionem nulla vel miracula possunt cohonestare. Quod acutè Donat. *Omnes quippe arbitrabantur Laocoontem meritò pœnas dedisse, vtpotè eum, qui donum Mineruæ violasset. De pœna filiorum Laocoontis, qui insontes necati sunt, qui nec quidquam admiserant, nihil hoc loco dixit.* Quis enim in innocentes pœnam probaret?

Et filios illa pœna oppressit & patrem, & tamen solus dicitur Pater pœnas expendisse; quia mala filiorum redundant in patrem; 27

Quæ bona vel mala filiorum sũt, bona sunt vel mala parentum.

Scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt.

Præclarè Donat. *Natorum durum interitum, quem ante suam mortem Laocoon viderat, inter paterna supplicia numerauit.* Duplex ergo supplicium luit pater, & quod sibi irrogatum est, & quod filiis: in miserum patrem redundat vtrumque. Satis est huius pœnam exprimere, qui pater est, cuius vel mala sunt, vel bona filiorum.

Nec finitum bellum Troianum fuerat, neque hostes victi, & tamen ita securè Troiani agunt, vt muros diuidant, quasi diuturnâ iam pace fruerentur. 28

Amentia est inter hostes securè agere.

Diuidimus muros, & mœnia pandimus Vrbis.

Pleno ore Donatus *Amentiam* appellat huiusmodi consilium. *Plena describitur Troianorum amentia; nam eo tempore, quo nec finitum bellum fuerat, nec positum, nec aliqua coniunctione Sopitum, muniri magis, quam patefieri ciuitas debuit.* Sic mysticè capias, plena nucleo admonitio est,

Ad culpæ patrandæ vicinitatem quàm certa trepidatio esse solet! Vel in illa fatali machina, Troiano, inquam, equo, culpæ hic inuenitur effectus; qui cum in vrbem induceretur, proximam iam Troianis ruinam allaturus, minans *Illabebatur, Subsistebat* interdum; quò magis sceleri proximus, trepidans magis ac tremens; 29

Culpæ grauioris executio trepidationem & tremorem inducit.

Illa subit, mediaquè minans illabitur Vrbi.

Mouebatur quippe cum minaretur, nam Zerda, *Motum, quo equus agebatur, Minas vocat; quasi non tam moueri, quam minari videretur.*

——— *Quater ipso in limine portæ*
Substitit.

Ibi exitium minans mouebatur; eàdem voce minas & trepidationem, motúmquè significat summus Poëta: hîc in ipso iam limine & vestibulo sceleris hærebat, consistebat: ad criminis vicinitatem

tardabatur. Donatus pulchrè. *Mira admodum descriptio ingredientis equi; cum enim traheretur tanta magnitudo cum quodam Tremore mouebatur. Hunc Tremorem Virgilius, ratione temporis dictante, vertit in comminationem, vt non tam moueri videretur magnitudine suâ, quàm minari.* Tremores hi erant, & trepidationes legitimi culpæ grauioris effectus. Quales illi Myrrhæ apud Ouid. lib. 10. cum infandum aggrederetur scelus;

At illi
Poplite succiduo genua intremuere, fugitquè
Et color, & sanguis, animusquè reliquit euntem.
Quoque suo propior sceleri est, magis horret.

30 Et merita, & munera, & dignitates eorum, qui inclusi equo Troiano fuerant, Virgilius exponit, vt ostendat in Reip. causa, & publici commodi, optimum quemque suam debere salutem contemnere.

In Reip. causa optimus quisque suam debet salutem contēnere.

Tysandrus Sthenelusquè duces, & dirus Vlisses,
Demissum lapsi per funem, Athamasquè, Troasquè,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaüs, & ipse doli fabricator Epeus.

Quod aduertit Donat. *Incipiunt enumerari, qui fuerant clausi, vt specialiter eorum nominibus, & meritis expressis, ostendatur hoc; In causa Reip. & publici commodi optimum quemquè salutem suam debere contemnere.*

31 Quàm in sua damna diligentes Troiani fuerint, hinc licet videas, quòd cum Troianum equum in Vrbem inducunt, rotarum lapsus equo subiiciunt, vt funesta celerius clades inueheretur, & ruina.

Sæpè in nostra sumus damna diligentissimi.

Pedibúsquè rotarum
Subijciunt lapsus.

Quærebat illorum celeritas (inquit Donat.) *vt quam primùm immitteretur.* Imprudentes erant in sua damna diligentissimi.

32 Cum ardens Laocoon abnegaret equum in mœnia ducendum, ait

Vnius pessimi magisterio deprauantur multi.

Sic notus Vlisses?

Quasi omnes tales essent, (Donati verba) *quos etiam si constaret esse dissimiles, fieri potuisset, vt magisterio eius pessima semper & noxia cogitarent.*

33 Quo tempore de summi ponderis re deliberabatur in Troia, Vtrum scilicet equus ille inueheretur in Vrbem, aut flammis donaretur. Tunc temporis

Grauia solet damna importare curiositas.

Ecce manus iuuenem intereà post terga reuinctum
Pastores, magno ad Regem clamore trahebant
Dardanidæ.

Quare curiositate permoti ad captiuum statim accurrunt,
Vndiquè visendi studio Troiana iuuentus

Circum

Circumfusa ruit, certántque illudere capto.

En Pastores Troiani (ait præclarè Donat.) *veniebant ad Regem trahentes iuuenem, manibus post terga innexis, propter quod factum dimissus est equus, & omnes, captiui illius curiositate traducti, dum nouitate incertum nosse contendunt, manifestas insidias dimiserunt.* Carò stetit illis curiositas.

Suum Æneas somnum excusat tunc cum tota Troia conflagraret incendio. Dormiebam, inquit, eo tempore, quo dono Diuûm gratissima mortalibus serpit quies: quare in me dormientem tunc temporis culpa conferenda non est. 34 Ex Dei voluntate dormire culpa non est.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Diuûm gratissima serpit.

Pulchrè Donat. *Ne crimen esset ipsius Æneæ, quo ipso dormiente ciuitas interiisset, iusta prætenditur excusatio; quòd, cùm somnus diuinum munus sit, & ad refectionem hominum Dijs volentibus datum, crimen non sit, si concesso tempore dormiatur.*

Vt primùm in somnis ab Ænea visus est Hector, 35 Exteriora interiorem indicant animi sensum.

Squalentem barbam, & concretos sanguine crines,
Vulneraquè illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios.

Ex funesta illa specie funestum nuntiantis animi sensum facili cõiectura collegit, vt sentit Donat. *Talis, vt etiam si nihil verbis nuntiasset, coniectura colligeretur, funesta portendere, vtpote quæ essent victi, occisi, tristis, ac sordidi.*

Pretiosa planè res tempus est; ne illud vanè conteramus: est enim hic dormientium error. Ingeniosè Donatus expendit longissimam illam quæsitorum seriem, quam ad Hectorem instituit Æneas, non à Vigilante, sed à dormiente fuisse; nam si à vigilante fuisset, stulta, nedum vana prorsus haberetur, cum inuectis Troiam hostibus, illa conflagraret. Quid ille dormiens? 36 Dormientium error est, vanè tempus cõterere.

Quæ tantæ tenuere moræ, quibus Hector ab oris
Expectare venis? vt te post multa tuorum
Funera, post varios hominúmquè vrbísquè labores
Defessi aspicimus? quæ causa indigna serenes
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

Cui Hector, quòd eo tempore vana rogaret, respondet nihil,

Ille nihil, nec me quærentem vana moratur.

Ista excusationem Vanitas habet; dormientis enim error fuit. *Errorem dormientis voluit Poeta describere*, inquit Donat. *Vt quod optimè notat, quasi nescius interrogaret; deinde eo tempore, quo manifesto discrimine tenebatur; eo tempore, quo non ad inanes fabulas, sed ad insinuandum interitum Troiæ, & ad excitandum dormientem fuerat ventum.* Quàm longè latéquè serpit hic error inter mortales, qui cum vndiquè periculi cincti teneantur, dormientium ritu vana

tamen sectantur; qui defunctorum etiam moniti vocibus vix resipiscunt.

37 Assuetus Hector erat, dum viueret, & patrare grandia, & suadere. Quare cum Æneam monet, vt fugiat, imo ex corde dolorem ostendit; vel tunc enim vellet ante actæ tenorem vitæ seruare, neque ad inertem fugam, sed ad constantiam virtutis impellere.

Magna est consuetudinis vis.

Heu! fuge, Nate Deâ.

Vim sibi non vulgarem intulit, vt ab inolitâ consuetudine deuiaret, *Heu!* inquit. Benè Ascensius. *Grauiter gemit; quia eadem affectio manet etiam defunctis, qua fuerat viuis. Hasta alta dura. Vnde illud lib. 6.*

Quæ gratia currûm
Armorúmquè fuit viuis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

38 In hoc idem emistichium, *Heu! fuge Nate Dea,* pulchrè Donatus. *Viro forti,* inquit, *fugam suadet, quam non suaderet, si superesset aliquid cui posset subueniri. Incipit rectè à doloris signo; dolebat enim, quòd qui debebat hortari ad auxilium, fugam suaderet viro forti:* Pulcherrimè Zerda. *Præclarè autem præcedit particula, Heu! quasi doleat fugam consuli filio Dea, heroï, & ab heroë.*

Virtute præstantes vel inertiæ vmbram vehementer exhorrent.

39 Quàm difficilis obedientiæ præceptum illud, quo fortissimum ducem fortissimus Imperator compellit in fugam!

Heu fuge Nate Dea.

Fugam iubet: graue sane præceptum! Sed vt leuius efficiat, vide quâ verborum concitate proponat; *Nate Dea* dixit, honorifico Æneam nomine appellat: Interiectionem *Heu* præposuit, quæ iubentis animi dolorem indicaret; inter honorifica, & doloris plena verba *Fuge* interposuit, *Heu fuge Nate Dea* sicquè ita leniuit præcepti rigorem, in re adeò graui, vt capessere illud Æneas non renuerit. Audi illum ad calcem huius libri,

Superioris comitas vel grauia leuat obedientiæ præcepta.

Cessi, & sublato montem Genitore petiui.

Fugæ se tandem præceptæ subiecit. Landinus. *Vt leuet fugam, illum Dea natum appellat, & cum gemitu iubet.* Superioris comitas calcar est subdito. A Superiori defuncto comitas hæc, & honorificentia verborum; à viuis vtinam talis.

Ab hoc defuncto viuus addidicit; quisnam? Æneas ipse; qui cum lib. 12. grauem vellet & periculo plenam suis obedientiam imponere, vt priùs se in eorum animos insinuaret, & præcepto calcar admoueret,

Celso mediùs stans aggere fatur.

Stans illos est alloquutus; quæ corporis positio, vt expendit Donatus, in Principe humanissima fuit. *Stans dixit, quia decuit honorificum esse Principē, qui stantibus vniuersis, etiam ipse staret.* Non aliter atque omnes stare voluit, vt omnes lucri faceret. Quid tum milites?

Animis

Animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densaquè ad muros mole feruntur.

Vbi grauissimè Donat. *Ecce quantum valuit iubentis humanitas, & fiebant iussa consensu omnium, & celeriter gerebantur.* In verbo illo *Feruntur* ingeniosa ad rem meam emphasis est. Ait Poëta illos ad difficilem vrbis oppugnationem, nullâ interpositâ morâ pariter ferri; & iussionem Principis, & præliantium obsequia eodem tempore fuisse significat. Item, *Feruntur*, quia præceptum graue non est, neque difficilis illius executio vbi Superioris interuenit comitas, & iubet humanitas,

Densaque ad muros mole feruntur.

Non ibant, sed ferebantur: non onus præcepti ferebant ipsi; sed exonerati obedientiæ humanissimæ quasi pennis prouehebantur. Ex eiusdem interpretis pharetrâ, qui *Feruntur, inquit, vt vltrà modum properantes, quos exagitabat tactu Regis támque humani præceptum.* Alleuatum onus est, imo omninò sublatum Principis comitate; & qui citissimo mouebantur pede; celerrimis iam feruntur & alis.

Illud mysticè notandum est in hoc Carmine, 40

Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

Ab hoste capti sunt muri? aggeres? propugnacula? actum est de vrbe. Caue ne consilia contemnas, qui inuiolata tibi præcepta desideras. Si minorum legum muri expugnantur, maiorum ruinam merito extimescas necesse est.

Minoribus contemptis legibus, propè est, vt maiores soluantur.

Ruet alto à culmine Troia.

Expendamus dicendi formulam, qua vsus Poëta est, ait enim 41

Ruit alto à culmine Troia.

Ibi pœna vbi culpa.

Quare non dixit, *Funditus euersa heu! Troia est*, vel *Troia ruit* vel *Terro & flammâ bacchatur Erynnis*, vel quid simile; quod facilè posset, quin metri legibus contrairet? Suum inest Emistichio pondus. Significare voluit ingeniosus Poëta, ibi Troiam pœnam sensisse, vbi cæpit & culpa. Superba Troia fuerat, (sic enim illud capio, & interpretor)

Ceciditquè superbum
Ilium

Et nescio quis alius Poëta non ignobilis,

Tumida ceruice rebellat
Ilium

Ibi ergo supplicium sit, vbi crimen: elatâ tumuit ceruice Troia? depressâ eâdem ceruice puniatur: culmina appetiit? à culmine ruat.

Ruit alto à culmine Troia.

Rectè à culmine ruit (inquit Turnebus) *vt inde incipiat Troia dissolui, vnde potuit efferri.*

Idem pulchrè Donatus expendit in Darete illo lib. 5.. qui cæstibus luctaturus superbiam præse tulit,

Prima Dares caput altum in prælia tollit,

Nimium sibi arrogans, tumidum concutiens caput, cæteros despuit. Init cum Entello certamen, & arrogantis animi pœnam tulit; nam

Densis ictibus Heros

Creber vtrâquè manu pulsat, versâtquè Dareta,

Donec Æneæ voce diremptum & prælium. Victum socij ad naues deducunt, qualem vero?

Genua ægra trahentem,

Iactantémquè vtrinque caput.

Caput hùc illúcquè iactabat, quod priùs superbus extulerat: in eam corporis partem inflicta pœna est, vbi præcessit & culpa. Audi Donatum. *Mirè Poëta dixit, Iactantémquè vtrinque caput. quòd deiectis nunc hùc, nunc in alteram partem ceruicibus esset, quas in cælum paulò ante superbia ferebat & fastus.* Vide quàm sibi elatum caput, læsumquè respondeat!

42 Vide quàm imis hæreat medullis militantibus gloria! Insomnis Hector apparet Æneæ, cui cum fugam suaderet, addit

Imis hæret sensibus militibus gloria.

Si pergama dextrâ

Defendi possent etiam, hac defensa fuissent.

Inolita ab animo consuetudo auelli vix potest.

Mortuus etiam de sua militari virtute gloriatur. Si adhuc, inquit, pergama alicuius dextrâ defendi possent, hâc meâ defensa fuissent. Propugnationis consortem nullum admittit: Solum se iactat, qui possit opem patriæ, & medelam afferre. Ita Donatus interpretatur, *Si possent, inquit pergama humano auxilio communiri, etiam, hoc est, adhuc, & meâ possunt dextrâ defendi. Si, ergo pronuntiandum est, vt dicamus, Si pergama dextra defendi possent etiam; sic enim & alio loco positum legimus. Placidone etiam pugnabis amori, hoc est, adhuc. Ipso verbo hîc quoque vsus est, scilicet potuisse suâ dextrâ defendi patriam, si ei adhuc incolumitas relinqueretur.* Alia est aliorum interpretatio, quæ ne hoc quidem omninò caret affectu *Etiam hac defensa fuissent.* Consortes, & huius laudis participes alios admittit, præcipuè Æneam ex sententiâ Ascensij, qui ita subdit, *Etiam hac, id est, meâ; non solùm tuâ; & ita participem gloriæ facit Æneam; quod Æneas ab alio prolatum citra arrogantiam recitat.* Sibi temperat in hac laude, & virtutis bellicæ gloria; quippe qui mortuus iam necdum didicerat omnino non gloriari. Temperatè loquitur ergo, dum *Etiam hâc*, dicit, & communem multis, non sibi propriam omninò præripit laudem.

43 Si futura nobis alluceat felicitas, labores subire non formidabimus. Ad labores Hector inuitat Æneam, sed futuræ etiam spe felicitatis attollit.

Futura felicitas nos ad labores subeundos erigit.

Sacra suósque tibi commendat Troia Penates,

Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,

Magna pererrato statues quæ deniquè ponto.

Vbi

Vbi Donat. *Hæc cum dicit, spem maximam futuri temporis pollicetur; vt calamitatis præsentis incommodum ventura prosperitatis vtilitate pensetur.*

Qui omnimodam sibi felicitatem pollicetur in terris, planè mentitur: nulla enim datur, quæ solida sit, & sine amari mixtura. Quando Hector Æneæ fœlicitatem futuram pollicetur, in his versibus num. præcedentis, non eam solidam, sed variam, & mixtam laboribus pollicetur. Quare? vt ijs, quæ loquebatur, fides præstaretur. Si felicia omnia nunciaret, & sine lapsu, mentiri Hectorem putaret Æneas, cum pura felicitas apud mortales dari nō posset: vt ergo facilè credat Æneas verosimilia narret Hector, & fellis & mellis mixturā proponat. Acutè Donatus. *Vt ostenderet vera se insinuare, prædixit prospera, & his laboriosa coniunxit.* Laboret alioquin fides, & Hectoris præmonitio, mendacium crederetur. 44

Mentitur ille egregiè qui felicitatem in terris solidam pollicetur.

Leuioris somni Æneas fuit, cum ad Hectoris speciem sibi obuersantis in somnis, facile quies est dormientis abrupta; 45

Excutior somno inquit.

Vbi bene Donat. *Non dixit, Expergiscor, quod esset aut ex satietate somni, aut ex nimia animi tranquillitate. Quies ergo dormientis abrupta est.* Decet enim Ducem, aut Superiorem in vtramquè (quod aiunt,) aurem non dormire.

Sōniculosi duces, & superiores esse non debent.

In ijs, quæ consilium, & rationem facta præcedunt, cuiusquè natura se prodit. Suam prodidit satis Æneas, cum à somno recens, semisopitâ mente, Virtus tamen aliquâ ex parte sopita non fuit, sed arma arma, Martem Martem sequutus est. Ipse de se? *Excutior somno*, deinde, 46

Arma amens capio, nec sat rationis in armis.

Vbi pulchrè Donatus. *Quantus autem fuit affectus Æneæ, qui mente turbatâ, non in fugam, sed in arma conuertitur.*

In subitis cuiusquam probatur ingenium.

Vel sacerdos, Arcis ac Phœbi, Panthus in funesta illa Troiæ calamitate, non superis, Iouivè pepercit; sic enim ille ad Æneam, 47

Ferus omnia Iuppiter Argos

Transtulit.

Ferum Iouem appellat, quam blasphemiam dolor expressit. Zerda; *Ferus Cum stomacho*, inquit. Seruius; *Summæ necessitatis est, cum etiam sacerdos in conuitia ruit Deorum.* Donatus; *Ferus Iuppiter moraliter positum. In aduersis enim nimio malo, vel certè, vt putamus, iniustâ ex causa commoti, etiam Deos malè tractamus.*

In aduersis dolor sæpè exprimit blasphemiā in Superos.

Iam Troianus equus vtero inclusos Græcos effuderat, cum 48

Telis Panthus elapsus Achiuum.

Cursu amens tendebat ad littus; Et tamen præsenti vtitur *Fundit*, cum vrbis excidium narrat Æneæ,

Arduus armatos medijs in mœnibus adstans

Fundit equus

Cum graue periculum euasimus, vix nos illud euasisse credimus.

Non dixit *Fudit*,quod re vera erat, sed *Fundit*,vix enim præ timore credebat sibi cessasse periculum. Vbi pulchra omnino Donati paraphrasis. *Magna perturbati hominis, & metuentis prosecutio, cum enim iam equus fudisset armatos, omissis rebus perfectis, quasi adhuc gererentur, quæ transierant, Fundit, inquit non Fudit; modus enim imperfectus maiorem terrorem facit.*

Timori pericula omnia præsentia objiciuntur.

49 Constans humanarum vicissitudo rerum notatur.

Eodem ferè Die, quo Troiani captiuo Sinoni illudebant,

Certantquè illudere capto,

Ille Troianis *Victorquè Sinon incendia miscet*

Insultans

Ideo crediderim vsum esse Virgilium his verbis, quæ sibi respondent; illi *illudunt capto*, hic *victor insultat*. Quam cito captiuus victor est, & illusus insultat! Donatus expendit. *Cum teneretur inter initia Sinon insultabant captiuo Troiani, vni omnes; nunc ipse vniuersis.*

50 Timor omnia nobis pericula maiora proponit.

Ad Æneneam Panthus ita de hostium numero narrat,

Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.

Vbi Landinus. *Plures putabat esse, quàm omnes, qui à principio è Gracia venerant: nam timor & nocturnum tempus omnia pericula maiora proponit.*

51 Veteres gloriæ breui temporis spatio euanescunt.

Ex his duobus carminibus,

Quis cladem illius noctis?

Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

Concludit Donatus, Quam breui antiquæ gloriæ, multosquè per annos illustrissimæ collabuntur & pereunt! Vrbs antiqua, tamdiu dominata, vnius spatio noctis excisa omnino est. *Comparat ergo tempus*, (inquit) *quo felicitas tot annorum vnius noctis spatio absumpta est.*

52 Pulchra gradatio.

Notat Landinus pulcherrimam gradationem in crimine,

Plurima perquè vias sternuntur inertia passim
Corpora; perquè domos; & religiosa domorum
Limina.

Indignum est (inquit) *aliquem occidi in vijs publicis; indignius domi suæ; indignissimum in templo Deorum* Huc illud Ciceronis aduocandum est. *Facinus est vincire ciuem Rom. scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?* in Verrem. Et Pyrrhi scelus in Priamum expenditur ex hoc loco, qui Regem

Altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati:
Ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

Regem,& præ senio trementem Regem, quem vtcunquè nefas, traxit,indignum hoc; illud indignius, lapsantem traxit in sanguine nati Polytis; indignissimum tandem, quòd ad altaria ipsa trementis ac lapsantis lateri capulo tenus ensem abdiderit.

Publicam potius recusabat lucem Virgo Cassandra, quàm vincula: 53 Virginum est publicā lucem recusare.

Ecce trahebatur passis Priameia Virgo, &c.

In verbo *trahebatur*, vis recusantis, & vis impellentium ostenditur: vbi virginis pudor, & hostium significatur impietas. *Trahebatur per publicum,* inquit Donatus, *quam paterno merito, ac suo Virginis, ne cum honestis quidem offi.ijs decuit multorum obtutibus offerri.*

54 Grauissimus Virgini dolor est, si virorum manibus vel leuiter attrectetur.

Expendit Donatus grauiori affectam dolore fuisse Cassandram, quòd virorum manibus Virgo traheretur, quàm quod vinculis esset adstricta. *Trahebatur Virgo virorum plurimorum manibus, quod fuit virginali verecundia satis inimicum; & quo grauius nihil forsasse accidit Virgini.*

55 Virginitas in veneratione quondam.

Inuiolabilis quondam apud antiquos & in veneratione Virginitas fuit. (ideo Eucliæ, Herculis filiæ, in Virginitate defunctæ posita ara est, erectum simulacrum apud Bæotios & Locros, vt author est Plutarch. in Aristide.) Cum ergo nunc Poëta virginem videat non depectam solum, sed & indignè vexatam, *Ecce* præmittit, vt rei nouitatem, & monstro similem notet.

Ecce trahebatur passis Priameia Virgo.
Crinibus. &c

Criminis nouitatem attentionis, & considerationis conciliatrici particulâ *Ecce* sugillauit. Ita dixerim sensisse Donatum ibi. *Collige ergo summum crimen admissum esse in Cassandram, quòd Virgo trahebatur.* Vlterius ille, sed hæc ad rem meam.

56 Repentè felicitas solet infelicitate mutari.

Vix felicitas cæpit, cum irruit infelicitas. Concurrerant cum Græcis feliciſsimè Æneas & socij; Sic enim Æneas ait,

Multos Danaum demittimus Orco.

Ecce tibi repentè occurrit huic felicitati infelicitas, nam

Ecce trahebatur passis Priameia Virgo
Crinibus à templo Cassandra, adytisquè Mineruæ,
Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

Quam rei indignitatem ita Nascimbænus expendit. *Singula huius descriptionis verba, ex varijs circunstantijs singula, habent tum commiserationis, tum indignationis affectus; præsertim à genere, à sexu, ab ætate, à loco, à modo.* Quæ singillatim pulchrè ab eodem interprete declarantur. Notat hanc rerum viciſsitudinem, & felicitatis cùm infelicitate cōmercium Donatus. *Ecce, hoc est, dum benè ac prosperè certamina nostra ferrentur, repentè apparuit, quod multiplici indignitate, & scelere actuum nostrorum (ait Æneas) cursus & gesta turbaret.*

57 Clades à tuis tibi miserrima.

Quæ tibi à tuis calamitas obuenit, verè miserrima. Talis illa quam Troiani à Troianis patiebantur; ideò superlatiuo vsus Poëta est.

Oriturquè miserrima cædes.

Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.

Quamuis per errorem illata, miserrima tamen clades appelletur, quod eam ciues ciuibus, Troiani Troianis intulissent. Donatus *Miserrima omnino, inquit cades, quam ciues ciuibus inferebant.*

58 Dolent vehementer hostes suis armis superari.

Incredibili exarserunt irâ contra Troianos Græci, cum deprehenderunt ipsis Græcorum armis (quæ Troiani, suis exuti, dolo mutauerant) carnificinam exercuisse.

Primi clypeos, mentitaquè tela
Agnoscunt, atquè ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur. inquit Æneas.

In verbo, *Obruimur*, effusa Græcorum ira cognoscitur, quæ congesto agmine in Teucros incubuit. Pulchra hic Donati paraphrasis. *Non immeritò acriùs mouebantur, quàm moueri hostis in hostem debuit. Dolebant enim fraudem se passos eiusmodi, vt sub cæsorum armis latitantes euaderemus hostes, & alios quoque niteremur occidere.* Fraudem dolebat hostis, quâ Troiani Græcos mentiebantur, vt spoliarent, & occiderent Græcos.

59 Ab aris sibi caueat impurus.

Quid ita Chorœbus ad Palladis aras occiditur, eo maximè tempore, cum acri studio Cassandram Antistitem templi, & vatem ex hostiũ manibus nitebatur eripere? Quare patiuntur Superi iuueni necem inferri, qui ipsorum cultum in Ministræ defensione tueri videbatur?

Primusquè Chorœbus
Penelei dextrâ diuæ armipotentis ad aram
Procumbit.

Illud in causa fuisse crediderim, quòd insano amore Cassandræ incensus progredi ad aras vsquè ausus sit, Cassandram ex hostium manibus erepturus. Non religionis, aut pietatis zelo, sed amantis affectu motus impuri. Sic enim habes suprà.

Iuuenisquè Chorœbus
Mygdonides, illis qui ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore.

Illo ergo rapiebatur igne ad Palladis aras, vbi occisus est, *quo cæco carpebatur*; vnde præmium tulit impuritas. Donati paraphrasi verbulum adde (quod deest fortassè) & acutè concludes. *Primus ante ipsius Mineruæ aras occubuit, neque amatorculo prodesse Numinis præsentia potuit, propter cuius sacerdotem defendendam videbamur, inquit Æneas esse collecti.*

60 Sæpè in suũ authoris recidit caput, quod in aliorũ perniciem insidiosè molitur.

Quod in Græcorum perniciem insidiosè molitus est Chorœbus, in ipsius statim authoris caput recidit. Primus ille fuerat, qui Troianis suaserat, vt ex insidijs ferro exciperent Græcos, mutuatis clypeis, insignibusquè Græcorum.

Mutemus clypeos, Danaûmquè insignia nobis
Aptemus dolus an virtus quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi.

Primus ad Palladis aram dextrâ Penelei miserè occubuit, & quas primus Græcis parauit insidias, ipse primus est læthales expertus, nam

Primusquè Chorebus
Penelei dextrâ, Diuæ armipotentis ad aras
Procumbit.

Donati nota est. *Qui primus inuentor insidiarum fuit, primus Choribæus occisus est, & primus ante ipsius Mineruæ aras occubuit.* Ergo vox illa *Primus* in Oculatissimo Poëta non vacat.

In iuramentum illud, (quo Æneas testatur, se nulli perpecisse occasioni aut pugnandi, aut moriendi pro patria) 61 Firmius est testimoniũ oblata quã extorta purgatio.

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro, nec tela nec vllas
Vitauisse vices Danaûm

Præclarè Donatus. *Quia videbat vel crimini, vel esse posse dedecori, quòd tot tantisquè cadentibus euaserit, iurandi religionem vltrò, ante obiectum quod metuebat, opposuit. Habet enim maiorem fidem, quod, antè quàm exigatur, offertur. Habet & bonæ constantiæ firmum testimonium non extorta, sed oblata purgatio.*

Fatigatus Æneas erat multiplici nocturno congressu; vt autem Regiam oppugnari acriter, expugnari crudeliter vidit, instauratis & renouatis animis ad nouam Regiæ domus defensionem se comparat, 62 Grauis necessitas animos addit, vires subministrat.

Instaurati animi Regis succurrere tectis.

Pulcherrimè Donat. *Licet vires ex præcedentibus defecissent, res tamen ipsa fouebat animi affectum, & nouitatem quandam virium suggerebat.* Grauis illi necessitas nouas vires subministrabat.

Vide quàm diligens, Hectore amisso coniuge, Andromache fuerit, in seruanda honestate, vt non solùm non domo pedem extulerit, sed nec publicum regiæ domus visere ausa fuerit. 63 Iuuenis vidua diligentissimè debet honestati consulere.

Limen erat, cæcaquè fores, & peruius vsus
Tectorum inter se Priami, portesquè relicti
A tergo; infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpiùs Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & auo puerum Astianacta trahebat.

Vbi grauiter Donat. *Consideranda sunt interea singillatim verba, quæ tantam habent virtutem, vt exprimant re vera remotum fuisse locum illum ab hominum accessu. Illac Andromacha infelix facta ex mariti sui Hectoris morte ire sæpiùs solebat ad soceros.* Addit deinde. *Matronam & nurum Regis decuit, vt vel ad soceros iret sine pudoris ac verecundiæ detrimento; vt potè quæ iret per secretum locum ad personas religione satis, ac necessitudinis ratione coniunctas.* Vidua præcipuè nobilis.

Adeò in miserorum clamores proni sunt Superi, vt illis quasi feriri dicantur. Ad stragem Regiæ domus, 64 Miserorum clamore feritur cœlũ.

Caua plangoribus ades
Famineis vlulant.

Tunc ſydera clamore feriuntur, & doloris ſenſu miſerorum voces finguntur audire.

Ferit aurea ſydera clamor.

Vbi Interpres non ignobilis. *Verè ferîtur cælum, dum miſerorum clamor adurget.*

65 Vbi Priamus vrbis captæ caſum, & conuulſa tectorum limina vidit,

Nobilitas ignaua non eſt.

Arma diu ſenior deſueta trementibus æuo
Circumdat nequicquam humeris

Trementibus humeris ad vrbis defenſionem, fruſtrà progreſſus eſſe deſcribitur. Sed animaduertit Seruius *tremorem* illum non ignauiæ indicem fuiſſe ſed æui. *Trementibus inquit æuo, non timore.* Et Pontanus addit. *Occultè Priamum Poëta laudat à prudentia, & magnitudine animi, qui ruere in hoſtem, & ſtrenuè mori, quàm ſeruitutis iugum, Regibus grauiſſimum perpeti malit.*

66 Auaritiæ crimen maximum incurrit Achilles, qui pro Hectoris cadauere à patre Priamo pretium extorſit. Quam rem Priamus cum Achillis filio Pyrrho, cui ſæuitiam exprobat, narrat, de accepto pretio tacet, de redditione cadaueris ſolùm loquitur,

Ingenui hominis eſt aliorũ ſubticere peccata.

Corpuſquè exangue ſepulchro
Reddidit Hectoreum.

Tacuit Rex (inquit Donatus) *ſcelerati hominis funus, percepto auri ingenti pondere.* Regius illum ſanguis ab alieni peccati relatione deterruit.

Vlteriùs expendo, non ſolum non retuliſſe Priamum crimen Achillis, ſui etiam hoſtis; ſed, ſaluâ veritate, auariſſimo Duci adſcripſiſſe virtutem; Quam virtutem? quòd Hectoris cadauer inferendum tumulo tradidiſſet.

Optimi hęc nota ſuperioris, & Principis.

Corpuſquè exangue ſepulchro
Reddidit Hectoreum.

Achillis laus, *quòd Hectoris corpus ad ſepulturam dimiſerit, Quamuis iuſtus ille non humanitate, ſed præmio:* inquit Donat. Humanitatem pro inhumanitate repoſuit; iuſtum illum fuiſſe ſignificat, quamuis nouerat Priamus, non motum Achillem fuiſſe humanitate, ſed præmio ſic vtinam, qui ſuperiores ſunt, in ſuos, quod Rex hoſtis in hoſtem!

67 Acutè Donatus verbum illud expendit *Reddidit*. Contrà humanitatis leges Hectoris cadauer retinebat Achilles, cum in cæſorum corpora ius victori non ſit, *Reddidit* ergo quod vſurpabat alienum. *Cum autem* (Donati verba) *de conceſſo Hectoris corpore loqueretur, bene poſuit Poëta Reddidit; hoſtibus enim ſola anima debetur hoſtilis. Corpus autem, quoniam in nullius eſt poteſtate, dimittitur ſepultura.*

Reſtitutioni obnoxij ſunt victores, qui in cæſorũ corpora ſæuiũt.

Reddidit

Reddidit ergo, quoniam hoc contra humanitatis leges illicitè tenebatur.

Adeo efferuescere iracundiæ vis solet, vt & diuina iura contemnat, & pessundet humana. Hoc expendit perpulchrè Donatus in Priami nece ab iracundo illata Pyrrho, qui illum 68

Iracundiæ vis iura diuina & humana pessundat.

> *Altaria ad ipsa trementem*
> *Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati.*

Ecce animus (inquit Donatus) *vehementer irati! traxit senem, traxit tremulum, traxit ad ipsas aras Deorum, traxit labsantem in filij sanguine. Tantum potuit vis iracundiæ, vt non consideraret Pyrrhus in Priami nece piaculum infandum, & impietatem plenissimam profiteri.*

Coronata, quod aiunt, stultitia illa Pyrrhi est. Volebat enim Priamum impium, sacrilegúmque fore, qui suo sanguine aras fædaret, & filij sanguine suum quoquè misceret; se verò pium & religiosum, qui Regis sanguinem funderet; cum in ipso crimen sit voluntarium, in Priamo verò violentum; atque ideò ipse noxius, ille haberi debeat innoxius. Quod expendit Donatus in illa carmina numero præcedenti laudata. *Fecit irati mente, existimans se nec sacrilegum hominem, nec impium fore, sed ipsum Priamum reatum incursurum, si aras fædaret sanguine suo, quas hostiarum sanguine promereri consueuerat, & filij sanguine suum quoque misceret.* In hanc illum stultissimam cogitationem auida vltionis compulit ira. 69

Ira vindictę auida in stultissimas sæpè rationes impellitur.

Cum Pyrrhus Priamo necem inferret, vide quàm multus ille hostis & vltor! 70

Vltionis auidus animus nulla excogitata vindictæ ratione satiatur.

> *Implicuitquè comam læuâ, dextraquè coruscum*
> *Extulit, & lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Non contentus Regi caput amputasse, nihil sentientis iam, aut dolentis latus ferro transuerberat. Ita Donatus. *Ipsas scilicet comas proculdubio cum capite abscidit: quasi abscissio capitis non sufficeisset ad perficiendam hominis necem; quoniam vehementer irati personam induxerat, & lateri, inquit, abdidit ensem vsque ad capulum. Abstulit hominis caput, & quia hâc tantum pœnâ satiari non potuit, corporis latus iam nihil sentientis, impresso ei vsque ad capulum gladio, perforauit.* O bene!

Grauiori Æneas in periculo desertus à sociis est, cum in Troia, pro Troia depugnaret. Sic ille 71

Maiori Deus periculo maiori subuenit ope.

> *Desuêre omnes defessi, & corpora saltu*
> *Ad terram misêre, aut ignibus ægra dedêre.*

Horum imitari miseram sortem in mentem venit fortissimo duci (tantum valet prauum aliorum exemplum, vt virtute præditum virum in eandem ferè traxerit foueam) Sed non defuit Numen in tam graui periculo, non iam alieno habitu, vt anteà sæpè (quod ipse conquestus est, lib. 1.

Praui exempli vis.

Quid natum toties, crudelis tu quoquè, falsis
Ludis imaginibus)

Sed purà in luce Venus, & confessa Deam præsens tulit auxilium,

Cum mihi se non ante oculis tam clara videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa Deam, qualisquè videri
Cœlicolis, & quanta solet, dextráque prehensum
Continuit, roseoquè hac insuper addidit ore.

Vix illum in summum honoris & vitæ periculum compulsum videt, cum salutari comprehensum dextrâ discrimine liberat. (Donati hæc interpretatio est, qui duos & viginti de Helenâ versus ascititios existimet) vbi sic ille pulcherrimè. *Dixit omnes deseruisse quod agebant, cum defenderent domum Priami, & id frustrà facerent. Ipse, quomodo discesserit, dicit, ne videatur etiam ipse, operis labore fatigatus, recessisse. Omnes, inquit, laborando fessi, & sine aliqua vtilitate certando debiles redditi, tadio aduersarum rerum mori maluerunt, & duplicem voluntaria mortis occasionem nacti, cum altitudo non deesset, & incendia dominarentur, aut pracipites dederant sese, aut petierant flammas: ne & ipse alterutrum facerem, inquit Æneas, aut, quod supererat tertium, hostis occideret remanentem, mater mea, non, facere solebat, dubia, aut incerta, sed manifestior veniens, me ab ipsis inefficacissimis actibus reuocauit. Quando enim alicui crederem, nisi eadem se meis optatibus sine fraude obtulisset? talem scilicet, qualis re verâ fuit, cum Deorum numero, & catibus misceretur.*

72. Deus iniuriam, quam suis facis, quasi propriam conqueritur.

Expendit acutè Donatus verba illa, quæ Venus ad Æneam;

Quónam nostri tibi cura recessit?

Poterat ne Veneri opitulari Æneas, & ab imminenti aliquo periculo virtute, armisquè vindicare, cum ipsa Dea esset, mortalis Æneas? Nequaquàm sanè. Cur igitur queritur, quod se deseruerit, nec sui curam egerit? Liquerat Patrem Æneas, liquerat filium, & coniugem periculo expositos, & qui suorum, abiicit curam, quibus diuina & humanâ lege tenetur prouidere, curam abiicit Dei, factam illis iniuriam, suam reputat Deus, & se desertum queritur, quòd Pater, filius, & coniux deserantur. Audi vlterius Venerem, ex sententia, & lectione Donati.

Tui obliuio muneris Dei obliuio est.

Non priùs aspicies vbi fessum atate Parentem
Liqueris Anchisen? superet coniúxne Creusa,
Ascaniusquè puer?

Addidis etiam personam suam (verba Donati) *personis mortalibus, non quò ipsa quoquè aliquid pati posset, sed quia ipsa feriebatur in omnibus.* Optimè planè.

73 Defectus Numen te docet, vel qui à naturâ defectus sunt, nemini esse obiiciendos, nec publicè, graui sine causa, reuelandos, etiam ei, qui illos

illos nouerit. Nouerat filius claudum esse Parentem, & tamen cum Æneam de patris habendâ curâ monet Venus, non ait, *Aspice vbi claudum parentem liqueris, sed vbi fessum ætate:* defectum tacet, quamuis tunc maximè temporis defectus hic claudicantis, nec potentis aufugere, meminisse conduceret, ipsemet infrà testatur, quòd Iouis fulmine afflatus claudicauerit.

nulli sunt, etiam naturales, publicè reuelādi.

Ex quo me Diuûm Pater, atquè hominum Rex
Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.

Quod de turpi cum Venere congressu gloriaretur) Notâuit ingeniosè Donat. *Ecce dixit Senem, de corporis autem vitio tacuit; nec dixit ei, qui patrem nosset; cum sufficeret ætas, ex quâ senectus semper est debilis, etiamsi nullo vitio extrinsecus prægrauetur.*

Fortassè ex amantium more amati quondam Anchisis occulit corporis vitium; *Fessum ætate* vocat, non claudum; restabant adhuc in Venere amantis igniculi. Ex hoc affectu Donatiana paraphrasis. *Ecce dixit senem, de corporis autem vitio tacuit.* Quod si diceret, & sibi, quæ illum amauerat, & nocebat amato. 74

Amans vitium occultat amati.

In quauis Rep. vel religiosa, vel sæculari rectus ordo confundi non debet. Vnusquisquè suum studeat munus implere, neque sese ingerat aut intrudat in alienum. In confusione illa *Troianæ Noctis,* qua Dij Troianorum scelera punita esse voluerunt (vt ait Herodotus lib. 2. *Disponente Numine, vt funditùs euersi Troiani planum facerent hominibus magnarum iniuriarum magnas à Dijs esse vltiones*) vnusquisque Deorum, quas susceperat partes, implebat. 75

Vnusquisquè suo attendat muneri.

Neptunus muros, magnoquè emota tridenti
Fundamenta quatit, totamquè à sedibus vrbem
Eruit; hic Iuno Scæas sæuissima portas
Prima tenet, sociúmquè furens à nauibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas
Insedit, nimbo effulgens, & Gorgone sæuâ.
Ipse Pater Danais animos, viresquè secundas
Sufficit; ipse Deos in Dardana suscitat arma.

Horum nemo in alterius se munus ingessit; quò factum est, vt facilè Vrbs tanta breui corruerit, & nihil de eâ restiterit, præter
Campos, vbi Troia fuit.

Eruditè & acutè Seruius. *Notandum, quòd Deos facit opera sua euertere;* (sua, non aliena) *Vt portas Iunonem, quarum Dea est; nam & portam luminis nascentibus præbet. Arces Mineruam, legimus enim Pallas, quas condidit arces, Ipsa colat. Neptunus muros, ipsi enim fundamenta sunt consecrata, cuius & mouentur arbitrio.* Vbi expende Iouem non se inferiorum Deorum muneribus inseruisse, sed attendisse, vt suo vnusquisque muneri intentus esset, & sic omnes rem ad exitum pro voto perducerent. Prudentis

Suorum officiis se superior non inserat.

hæc superioris nota est. Vtinam omnium!

76 Pontanus Iesuita in Emistichium illud, vbi Iuno

Nihil turpius ignauiâ.

Ferro accincta vocat.

Ita ex Pyerio lib. 42. *Deos, Deasquè omnes cum Lanceis figurare solitos illos veteres, notat Pyerius; quod illos ita redderent honestiores. Nihil enim apud eos ignauiâ turpius habebatur.* Quare Palladi scutum lanceamquè attribuerunt; tridentem Neptuno; fulmina Ioui; & vel *Veneris armatæ* Pausanias meminit, & Statius lib. 5. Thebaid.

Illâ, qua rara silentia, porta
Stat funesta Venus, ferroquè accincta

Otio fouetur amores.

Cum nullis amorum illecebris implicatur; nam amantem illam, otiantem & inermem voluerunt. Ideò crediderim oculatissimum Poëtarum lib. 1. Æneid. *armatæ* Veneri, & arcum, pharetramquè gerenti, Virginis os, habitúmquè tribuisse;

Virginis os, habitúmquè gerens, & Virginis arma
Spartanæ
Namquè humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix.

Facilè Venerem mentiebatur impuram, quæ tunc *armata* Venationi insudare videretur, non otio diffluere. Fortassè Donatus in hunc scopum. *Quod generaliter dixit, Virginis os habitúmque gerens; specialiter nunc enumerat quid sit Virginis habitus; nam arma ferre venatricis, & arcum suspendere Virginum est species.* Labori coniuncta puritas est, otio libido.

77 Inter eos, qui immeritò ruinam intulere Troianis Pallas, Iuno, Neptunus, & Iuppiter enumerantur à Venere. Notat ibi ingeniosè Seruius non proprio Iouem nomine appellari, sed *Patrem* dici,

Superior malè affectus Patris nomine dignus nō est.

Ipse Pater Danais &c.

Quasi dicat; Qui, vtpotè Superior & Pater *omnibus idem* esse deberet, nam

Iuppiter omnibus idem.

Malè erga Troianos & Troiam affectus, & illos & illam acriter insectatur. Præclarùm sanè Patrem! Ironicè illi attribuit hoc nomen. Donatus. *Cum dicit, Ipse Pater, Iouem magis onerat inuidiâ; Qui contrà malum aliorum studium maiori potestatis authoritate pro nobis certare debuit, ipse non tantùm Græcorum fautor est, verùm etiam cæteros Deos in odium Troianæ vtilitatis accendit.*

78 Vel in ipsâ Dea æmulationis inuidæ notam Virgilius affingit. Diis immortalibus, Iunoni nimirùm, Palladi, Neptuno, & Ioui Venus victoriam adscribit, quam re verâ ipsi consequuti sunt Græci, quibus hanc inuida gloriam intercipit. Lege carmina num. 77. Laudata. Et audi Donat. *Græcis virtutis meritum tollit, cum Deos dicit fecisse contra imperium Troiæ, qui obluctationibus humanis superari non possent.*

Optimum quæque, sæpè alienæ virtutis adurit inuidia.

Malè

Malè affecta erga Iouem Venus, quòd faueret Græcis, Troianos odisset, à debita tamen Parenti obseruantiâ non abest. *Pater*, dixit, non *Iuppiter*, iam Deos alios proprio nomine præmisisset iratior, 79 Obseruantiam in parẽtes nullus vnquã contrarius minuat affectus.

Ipse Pater Danais animos, viresque ministrat.

Sibi in ira temperat & Patrem appellat. Præclarè Donat. *Non nomen eius dixit, sed quo ipsa eum appellare debuit, quæ fuerat filia.*

Prudentissimè sanè Poëta maximus obsequentem Numini Æneam, (nam Venus, 80 Suis stat promissis Deus, si tu steteris tuis.

Eripe Nate fugam, finemque impone labori.)

Et obsequens fingit Numen Æneæ. Ardua quidem res, nimirùm fuga, duci imperatur, & forti, & nobili, & strenuo. Actutùm ille, quamuis Martium illius repugnabat ingenium, iussis obtemperat,

Descendo, abducente Deà.

(Sic enim Donatus legit) Promiserat Numen, si iussa, hoc est, fugam, exequeretur Æneas, illi præstò vbique futurum,

Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Vide verò quàm suis stet sine mora promissis: nam fugienti Æneæ recedunt flammæ, dant tela locum, Numinis beneficio;

Flammam inter & hostes

Expedior, dant tela locum, flammæquè recedunt.

Donatus ibi. *Descendo abducente Deà; vt voluntate matris abductus, & persuasione receptus. Flammam inter & hostes Expedior, dant tela locum flammæquè recedunt. Quid enim Dea, vel maximè propter filium complere non posset, quæ dixerat, Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam?*

Felicissimi exitus Superioris in præcipiendo suauitatem consequi solent. In luctuosa illa Troianæ cladis nocte, cum Venus monet Æneam, & præcipit fugam, blandè monet, amanter præcipit. 81 Quod cum amore præcipitur, felicem sortitur effectũ.

Eripe, Nate, fugam.

Natum dicit, filium appellat. Præcedit affectus, vt facilè sequatur effectus. Pulchrè Donat. *Nate, inquit; præmisit pietatis nomen, vt admitteretur facilè, quod fuerat suasura.*

Cum arripiendæ fugæ consilium Venus præbet Æneæ, 82 Consilium pariter & auxilium.

Eripe nate fugam.

Statim præsens pollicetur auxilium, quo facilè ille consilium exequi possit.

Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Vbi Donat. *Cum suaderet fugam, debuit ostendere, quibus auxiliis impleri potuisset. Potuit quippe Æneas dicere, Quomodo possum fugere vallatus hostium telis & flammis? Nusquam, inquit, abero, & tutum patrio te limine sistam.*

Auxilium, vt suprà vidimus, suo Venus pollicetur Æneæ; sequitur statim 83 In tui auxi-

lių præsens est Deus, quamuis illum non videas.

Dixerat, & spissis noctis se condidit vmbris.

Acutè ibi expendit Donatus, non dixisse Poëtam, *Dixerat, & recessit*, (sic enim promissis non staret, nam abscessus Numinis est recessus auxilij) sed, *Dixerat, & condidit se noctis vmbris.* Ibi mansit, licet vmbris noctis occulta. *Non dixit Recessit* (Donati verba) *sed seipsis noctis vmbris condidit*, vt faueret.

84 Nisi Venus abscedat, superi videri non possunt.

Ingeniosè Seruius rogat, Quare *Magna Deum Numina* Æneæ visa non sint, dum ille cum Venere moraretur; abscedente verò eâ, apparuerint Dij? Venus

Dixerat, & spissis noctis se condidit vmbris.

En illam recedentem; En superos statim apparentes Æneæ.

Apparent diræ facies, inimicaque Troiæ
Numina magna Deûm

Respondet idem interpres. *Est enim theologica ratio; quia ignorantes vsum Venereum videre dicuntur & Numina. Vnde nunc meritò post Veneris abscessum Numina vidisse dicitur Æneas.*

85 Vultus cordis propalat arcana.

Vultus cordis prodit arcana; quæ corde teguntur, reteguntur in vultu. Vt significaret Æneas quâ diritate Deos, Troianis infestos, (Iunonem nimirum, Neptunum & Palladem) in Vrbis ruinam incumberent, *facies* à se *diras* visas esse testatur. *Apparent diræ facies* facile in vultum cordis venena transierant. Præclare Donat. *Diræ, inquit, facies, quæ, quid pessimi studij gererent, vultibus testarentur.*

86 Nobilium est affectus, sua suosquè iactare, & attollere.

Vna Æneæ nobilis domus erat; cum vero illius meminisset, numero illam plurari effert.

Ast vbi iam patriæ peruentum ad limina sedis,
Antiquasquè domos.

Nobilium est affectus, affectare grandiora, & maiora possessis attollere. Notauit Seruius. *Sanè Domos ambitiosè dixit pro domo vnâ, non Domum.*

87 Laudabilis erga patrem affectus.

Laudabilis ille est Æneæ erga Patrem affectus: vt significet summo se studio teneri patriæ incolumitatis, vocem *Primum* duplicat in his versibus:

Genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primúmque petebam,
Abnegat, &c.

88 Quod Dei causâ relinquis, non amittis sed habes in ipso cumulatius.

Quod Donatus vidit. *Bis dixit, Primum, vt planum erga patrem monstraret affectum.* Vnum vacaret, nisi de Patre loqueretur.

Abire Troiâ recusabat Anchises, ne patriam vel expugnatam iam & euersam relinqueret. Tantus illi erat erga patriam affectus!

Abnegat excisâ vitam producere Troiâ.

Cum verò vocanti cedit Numini, & debitum illi præstare statuit obsequium, statim quod reliquit Numinis monitu, cumulatius in ipso Numine se recepisse testatur, ex acutâ sanè interpretatione

Seruianâ,

Seruiana, in illa carmina post prodigium Ascanij, quo permotus cessit Anchises.

Vestrum hoc augurium, Vestroquè in Numine Troia est.
Cedo equidem, nec Nate tibi comes ire recuso.

In vestro Numine Troia est (Seruij verba) *idest, in vobis habeo Troiam.* Breuiter, sed non leuiter Seruius. Troiam in vobis habeo; patriam, quam reliqui, recipio, & nobiliorem, & cumulatiorem longè quàm illa fuit, vtpotè quæ in *Numine vestro.*

Præclarè notat Seruius, Senum hoc esse, vt, quæ viderint, eleuent, & attollant. Anchises Laomedontis tempore vnum excidium videtat, & tamen se vidisse dicit *Excidia:* 89 Senum est, ea, quæ vident attollere.

Satis vna superquè
Vidimus excidia

Sub Laomedonte vnum excidium viderat (ait Seruius) *Et ἐμφατικῶς Senex dixit Excidia.*

Graniter filiorum ad parentes strictissimam relationem Donatus expendit, in illa verba, quæ ad Anchisem Æneas; 90 Filiorum ad parentes relatio strictissima est.

Méne efferre pedem, Genitor; te posse relicto
Sperasti? tantúmquè nefas patrio excidit ore?

Dixerat enim Pater *Vox quibus integer æui*
Sanguis, ait, solidaquè suo stant robore vires,
Vos agitate fugam. Fugam recusat Pater, vrget filius.

Inuidiosa quidem dictio (ait Donat.) *sed plena vtiquè pietatis, & ex affectu religionis descendens, habens in pronominibus grauissimum pondus, & satis validum; & in ipsa breuitate retinens latissimam causæ rationem. In pronominibus sic; Me ne, inquit, & Te. Menè, hoc est, filium tuum, cuius pietatem officiis, religionéque optimè comprobasti, Te, qui sis pater meus, qui benè nosti quid parentes debeant liberis, quid parentibus liberi: Te, qui, preter naturalem affectum, sis senex, sis vitio corporis impeditus: Te, quem amauerim semper, semperquè coluerim. Deinde ipsa causa quàm grauis! quàm impietatis criminibus plena! abire sine patre, abire sine autore propriæ salutis, relinquere senē ac debilem illo tēpore, ac illo loco, vbi hostis victor fuerat; superquè discrimen, vbi flammæ, vbi superant gladij, vbi mors, aut detestanda captiuitas imminebat. Mene, inquit, abiturum sine Te sperasti, optime pater? aut aliquò pedem moturum? Et potuit hoc tibi venire in mentem? tam dirum, tamquè impium nefas potuisti cogitare, quod abhorret à moribus meis? Potuisti ore paterno promere, quod me faceret Parricidam?* Longior paraphrasis, sed sanè pulcherrima!

Cum obstinate se exiturum Troiâ negat Anchises, impatientis animi causam habet Æneas, non tamen à debitâ parenti obseruantiâ distrahitur. Vrget, sed non improperat in illo Emistichio, 91 Nulla te causa à Parenti debitâ obseruantiâ distraxeris.

Tantúmquè nefas patrio excidit ore.

K 3 Impa

Impatientis animi nota in voce illa *Nefas* se prodit, sed in verbo *Excidit* abundè temperatur. Nascimbenus explicat, quid sit *Excidit. Illud enim ex ore, siue ex linguà excidere nobis dicitur, quod inconsultò profertur, ac nobis penè inuitis ex ore nostro labi videtur.* Et Landinus; *Dixit Excidit, quod non à ratione, sed à casu est.* Hinc Seruij opportuna commentatio. *Benè excusat patrem, dicendo Excidit, & ipsam temperat obiurgationem.* Æneam Virgilius Heroüm fingit ideam; quare hanc debitam Parentibus obseruantiam, inter reliquas virtutes, attribuit, illis certè non inferiorem.

92 Senes magis suorũ posteritati, quàm sibi cõsulũt.

Senum proprium esse magis suorum posteritati, quàm sibi consulere, optimè nouerat Poëta prudentissimus; quare fortissimum hoc proponit argumentum, in oratione, qua Æneas filius seni parenti nititur fugam suadere, Si

Perituraquè addere Troiæ

Tequè tuosquè iuuat; patet isti ianua letho.

Landinus huius argumenti vim erga senem prudenter expendit. *Cum non possit illum proprio suo periculo, conatur mouere periculo totius familiæ. Nam senum est, magis suorum posteritati, quàm sibi ipsis consulere.* Penetrabile equidem telum, quo statim est expugnatus Anchises.

93 Amor patris in filios potentissimus.

Proponit Parenti Anchisæ filius Æneas, quam Pyrrhus ante ora Parentis Priami Polytis filij necem patrauerat, affirmans idem Græcum illum facturum coram Anchisis oculis, si ipse moretur, & fugam tempestiuam recuset. *Videbis*, inquit, *tuis oculis me Pyrrhi manu & ferro obtruncatum, nisi statim me & te periculo subtraham.* Potentissimum telum hoc Parenti fuit ad persuasionem fugæ;

Iamquè aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,

Natum ante ora Patris, Patrem qui obtruncat ad aras.

Paterni poterunt oculi filij crudelissimam sustinere cædem? Donatus *Proposito exemplo, de filij quoquè nece terretur; vt hoc fortè genere posset inflecti. Iam, inquit, aderit Pyrrhus, post effusionem recentem Polytæ & Priami. Nouit ille ordinem feriendi, nouit quemadmodum Patres liberorum funeribus affligat: nunquam ille percutit patres, nisi priùs cecidisse viderint liberos suos.* Fortissimum sanè argumentum proposuit.

94 Suis iniuriã factum quasi propriam sẽtire Superior debet.

Adeò sentire suorum iniurias & vulnera Superior debet, vt illis æqueac proprijs feriatur. Ingeniosè Donatus rogat, quare antequam Priamus suum sanguinem Pyrrhi ferro ac manibus verterit, dixerit Poëta, venturum Pyrrhum *multo Priami de sanguine?*

Multo Priami de sanguine Pyrrhus &c.

Respondet autem; Fuderat Pyrrhus Polytis sanguinem, & Troianorum aliorum; suorum sanguinem effusũ, Priamus ipse proprium putauit, (nam inferiorum sanguis superiorum sanguis habendus est.) *Quasi bis sanguinem fuderat Priamus* (Donati verba) *quia & filium eius Pyrrhus occiderit.*

Priamus

Priamus iam & Polytes filius manu Pyrrhi occubuerant. Indoluerat maximè horum cædibus Æneas, quas cum Patri referret, præsenti vtitur, quasi adhuc cædes hæ patrarentur à Pyrrho; 95

Magnus dolor causam sibi semper præsentissimam habet.

Multo Priami de sanguine Pyrrhus

Natum ante ora Patris, Patrem qui obtruncat ad aras.

Obtruncat, dixit, non *obtruncauit*, quasi tunc temporis Pyrrhus cædem exequeretur. Magnus nempè dolor cædem non patiebatur reputari præteritam, sed adhuc præsentem refricabat.

Arma arma iam moriturus in expugnatione & ruinâ Troianâ poscebat Æneas. 96

Mulieris tactus fortissimi cuiusquè vires eneruat.

Arma viri, ferte arma.

Ecce sibi vxor Creusa amplexibus est virum aggressa,

Ecce autem complexa pedes in limine coniux

Harebat.

Quam vim fœmineæ possunt habere manus, vt fortissimum ducem retineant? Maximam, inquit Donatus. Illa fæmina non est? illi amplexus non sunt? id satis est, vt Æneæ omninò vires eneruentur, & Martius impetus deferuescat. Nam muliebris tactus vel fortissimo cuiquè animos frangit, virtutem effæminat. Ingeniosè Donatus. *Limen exire impedui sunt Creusa complexibus pedes Ænea, quibus properabat ad bellum. Faciebat hoc persona mulieris, faciebat vxoris, qua etiam matrimony nexibus reuocabat exeuntem.* Poscebantur arma, nexus offerebantur.

Potentissima vis Patris est in effectum quemcumquè Hâc vsa Creusa est, vt retineret Æneam. 97

Filij affectus Patrem non mediocriter mouet.

In limine Coniux,

Harebat, paruumquè patri tendebat Iulum.

Pulchrè ibi Donat. *Non dixit Mihi, sed Patri; vt si maritum non flecteret precibus suis, patrium tamen moueret affectum.*

Nouerat vim amoris erga filium Creusa, ideò filium obijcit coniugi Æneæ, vt id, quod ipsa velit, extorqueat. 98

Quid non pro filio pater?

Patri tendebat Iulum.

Vbi Donat. *offerebat filium, per quem factum est, vt omnis difficilis & dura mentis, atquè constricta obstinatio superaretur.* Obiecto filio facile illa voti compos euasit. Hinc est quo primo loco, illa ipsa ad Æneam, Iulium posuerit.

Cui paruus Iulus?

Cui pater? & coniux, quondam tua dicta, relinquor?

Post filium (ait Donatus) *& patrem amari vxorem putauit.*

Vide verò quàm suæ Creusa libertati prouideat! quàm sollicita sit, ne quod ius Domina habet in suos, aliqua ex parte possit imminui, nedum deponi. Maiestatem amitteret, & ius deponeret, si à marito relicta in seruitutem abriperetur à Græcis. 99

Suam fæminæ dolent maiestatem amittere, & ius in alios deponere.

Cui paruus Iulus?

Cui pater? & coniux, quondam tua dicta, relinquor?

Vltimo se loco posuit, tanquam ad commendationem aptissimo, & quod verbum filio & patri commune est, sibi singillatim accommodat, *Relinquor*, inquit. Suam prætulit libertatem, propriâ timens de fœmineâ dominatione deijci, in seruitutem abducta. Donatus. *Se tertio loco posuit, Coniux tua relinquor, ne personarum sequentium vinceretur affectu. Tractabatur enim ne in seruitutem veniret, in qua peior est fœminarum conditio.*

Parentum error est cœlestes in filijs ardores extinguere.

100 Quàm latè patet parentum hic error! Conantur enim stulti cœlestes in filijs flammas extinguere, terrena præferentes, obliti cælestia. Ascanij caput flamma cælestis corruperat (futuræ prænuntium felicitatis)

Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuquè innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Vide festinantiam parentum in consopiendâ huiusmodi flamma;

Nos pauidi trepidare metu, crinemquè flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignes.

Parentum erga filios cura semper insomnis.

Vel miraculo non sunt à consilio, & conatu deterriti. Flamma erat, sed *innoxia*; ignis, sed *tactu molli comas lambebat*: quid pauent? quid trepidant? Pulchra hîc Donati paraphrasis. *Nos ergo parentes, quibus in causa filiorum etiam leuia & secura suspecta sunt, exagitabamus à crinibus flammas, & sanctos ignes contrario vndarum elemento restinguere nitebamur; humano scilicet errore ducti, quod diuinum fuerat, propè sacrilegis manibus appetentes.* Magnum crimen, cælestibus obsistere velle consiliis!

Superior lucem habere debet, qua doceat; flammas, quibus puniat.

101 Libet hîc doctissimi, & politissimi Marquezij explicationem inserere illorum carminum,

Fundere lumen apex; Tactuquè innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Quando el cielo (inquit ille lib. 1. Gubern. Christ. Cap. 9) *destina por Rey a Iulio Ascanio, llamas le lisongean la caueza, y se la vistẽ de luz; porque con esta ha de alumbrar, y dar consejo en los casos dudosos; y con aquellas hade mostrar seueridad, y execucion contra los atreuimientos declarados.* Quiuis duo hæc habere debet superior, Lucem, qua suos doceat & instruat; flammas, quibus seuerè puniat. Consule Pererium Iesuitam in Cap. 3. Exod. Disputatio. 5. in Octaua Explicatione.

Secreta cælestia ij tantùm nouerunt, pe[illegible] qu[illegible] cœle[illegible]

102 Cæleste illud arcanum, quod suprà in Iulo num. 100. retulimus, ille tantum nouit, *penes quem* (ait Donatus) *sacrorum cælestium scientia fuit Anchises.*

At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Ex[illegible]tulit.

Letus

Latus ipse, dum cæteri monstro trepidi. *Interea pater, inquit, meus,* (Donati verba) *pater, quem sacrorum cœlestium plena scientia fuit, nobis inscys, omniumque ignarus, & trepidus, solus in lætitiam repentè mutatus est.* Non omnibus datum; *Solus*, ait Donatus, nouit Anchises. Ast sacrorum scientia est.

Quos Deus aspicit, omninò fœlices, nam Deum aspicere, fauere est. Ideo Anchises ab Ioue sibi & suis opem implorans, Dei aspectum precatur. Deum aspicere, fauere est.

Aspice nos inquit,

Vbi benè Seruius. *Aspice nos, aut, quia intuentes Dij iuuant. Vndè est. Atquè oculos Rutulorum reycit aruis, de Ioue fauente. Et contrà de Pallade infesta Troianis, Diua solo fixos oculos auersa tenebat.*

Præclarè Donatus festinantiam Anchisis expendit, cum cœlestem ignem circum tempora Ascanij vidit innoxium. Vocantes Deos sequitur sine mora; 104 Vocantem Deum sequamur sine mora.

Iam iam nulla mora est, sequor, & quà ducitis, adsum.

Priùs dixit *Sequor*, deinde *Quà ducitis* cum priùs sit *Ducere*, quam *sequi*. Adeò prompto erat animo ad obsequendum vocanti Numini, vt priùs sequeretur ipse, quàm duceretur. *Primum dixit Sequor* (Donati verba) *Deinde Qua ducitis, adsum; cum primum sit Ducere, secundum Sequi: sed ordinato sensu corrigitur.* Non Poetæ incuria hæc, aut Error Anchises, sed ex animi promptitudine mirum hysteron proteron, hoc est inuersus ordo quo opus ille significatur mente præcucurrisse.

Æneæ pater Anchises est quando verò ex Troiano incendio extrahendus est pater humeris filij, ita Anchises ad filium, 105 Ille ubi pater est, qui te à periculo vindicat.

Cede equidem, nec nate tibi comes ire recuso.

Inferiorem se filio profitetur, cum iterum se *Comitem* dicit Æneæ. Quasi dicat: Grandior tibi ætate sum, qui te filium genuerim; cum vitam mihi reponis, quam tibi pater dederam, instar mihi tu patris es. Mutuo pares beneficio sumus; mutuò patres: nunc ego inferior, ideò *Comes* ire non recuso. Eruditè & acutè Landinus. *Comes differt à socio; socius enim dicitur a socco, qui calceus est vtriquè pedi aptus. Socij autem in aliquâ re dicuntur, qui ita pares sunt, vt in eo, in quo sunt socij, alter altero maior, minorve non sit. Comes autẽ in eo, in quo est comes, minor est, etiam si dignitate aut fortunâ in cæteris maior sit.* Quod probat authoritate Ciceronis in orat. pro Marcello. *Quapropter Cicero Marcellũ sibi sociũ & comitẽ appellat, sociũ, quia multa pariter in Rep. egerant: Comitem, quia cõsul cum dignitate præiret, multa ab illo adiumẽta assequutus est.* Hoc Ciceronis loco ad rem meam Virgiliũ interpretatur. *Itaquè cum Anchises ducatum relinquat Æneæ, proptereaquè in hoc maior sit, non dat se socium sed comitem.* Pater igitur in hac parte Æneas est Patris.

106 Vir Anchises vocanti cessit Numini, & filij se voluntati subiecit, vt habes suprà,

Parentibus debita obsequia sine mora debét præstare filij

Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.

Cum ad obsequia parenti debita sine morâ vllâ se sistit Æneas, neque expectato vel equo, vel curru, quibus confugeret, ceruicem offert & humeros suos, quibus sublatus pater, periculo subtraharur;

Ergò age chare pater, ceruici imponere nostræ,
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.

Quod pulchrè Donatus expendit. *Cum videret propinqua incendia, & patrem vix assensum, ne quo casu mutaret repentè sententiam, arripuit optatum tempus. Pater, inquit, non tibi desunt mea ceruicis obsequia; iam imponere humeris meis, pondus tuum delicia mea sunt: faciet pietas leue, quod putas esse grauissimum.*

107 Nimius fortasè videatur Æneas in monendis famulis, quâ portâ, quo loco, quâ viâ, circunstantiis aliisque sexcentis, vrbe sint egressuri, & euasuri periculum: Audi,

Timoris comes obliuio est.

Vos famuli, quæ dicam animis aduertite vestris.
Est vrbe egressis tumulus, templumquè vetustum
Desertæ Cereris, iuxtaquè antiqua Cupressus,
Religione patrum multós seruata per annos.
Hanc ex diuerso sedem veniemus in vnam.

Cùm hostis instaret, & periculum immineret, nimiam ille videtur traxisse moram, cùm celeritate in agendo, in dicendo breuitate opus esset. Sed prudenter sanè illos adeo singillatim admonuit, quia (cum in summo metu famuli essent, & hic comes sit obliuionis) aberrare à præscriptis facilè possent. Ita Seruius; *Prudenter autem circa turbatos pluribus vtitur præceptis, quia scit timoris comitem esse obliuionem.*

108 Celebratur maximè Æneæ pietas. (Lege Zerdam in lib. 2. Æneid. vers. 723. n. 2.) ideo voluit pietatis consortem patrem habere, cum ad illum sublatum in humeros,

Pietatis cōsortem appetit pius.

Tu genitor cape sacra manu, patriósquè Penates.

Nota obiter noluisse sibi totam affectare gloriam, qui totam humeris ferebat sarcinam. Dicatur Anchises ex pietate tulisse Penates Deos, quamuis ego eos tulerim, qui Penatibus grauem Parentem ceruice sustentauerim. Vtrumque Donatus. *Hoc ad meritum Patris posuit Æneas.* En primum. *Superfluis videbatur patrem suum onerare, quem senem constabat & debilem; sed excusatur, cum ipse esset omnia suis humeris portaturus.* En secundum.

109 Erga parentes plena sit (nulla nimia esse diligentia potest.) Plenissima illa Æneæ erga patrem, cum illum ab incendio subtraxit;

Nimia nulla est erga Parentes diligentia.

Latos humeros, subiectaquè colla
Veste super, fuluiquè insternor pelle leonis;
Succedóque oneri.

Humeris

Humeris patrem attollit in quibus puluinar ſuppoſuerat, pellem nimirùm mollem,& veſtem ne parentis ſenecta læderetur. Pulcherrimè Donatus. *Onus, inquit, patrium laturus, veſtibus, & leonis pelle humeros meos ſtraui. Debuit enim cum commodo ſuo ferri, ne ingratum fieret, quod pleno reddebatur obſequio.*

Expendit Aſcenſius miſerum omninò eſſe, in portu ipſo pati naufragium. Cum Æneas omnem ſibi videretur infelicitatem euaſiſſe, 110 Miſerū eſt, in ipſo portu pati naufragium.

Iamquè propinquabam portis, omnemque videbar
Euaſiſſe viam.

Tunc infeliciſſimè amiſit vxorem.

Heu miſero coniux, fatòne erepta Creuſa
Subſtitit, errauitne viâ, ſeu laſſa reſedit,
Incertum, nec poſt oculis eſt reddita noſtris.

Pathos eſt, (inquit interpres) *quia in portu, hoc eſt, in loco ſalutis iacturam fecerit. Idem de Orpheo dictum Georg.lib.*4. Aptiſſimus planè locus ille eſt, & huic quam ſimillimus.

Iamquè pedem reſtrens (Orpheus) caſus euaſerat omnes,
Redditáquè Euridice ſuperas veniebat ad auras
Pone ſequens &c.

Neque Æneas videbat in mediis tenebris poſitus venientium hoſtium pedes; neque audiebat propè armorum fragorem, ſed à longè; & tamen ait ſe vidiſſe pedium ſonitum adeſſe, 111 Præſentiſſima timor facit, quæ longiſſimè abſunt.

Viſus adeſſe pedum ſonitum

Duo dicit falſa, *Vidiſſe ſe ſonitum*, cum hic non videatur, ſed audiatur, attribuens oculis, quod proprium eſt aurium. Deinde; *Adeſſe ſonitum*, cum longiùs abeſſet. Timor illum ſentire cogebat, quæ non erant, timor, inquam, non ex ignauia, ſed ex pietate profectus, portabat enim humeris patrem, quos filius & coniux ſubſequebantur. Ita ipſe,

Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitiquè oneriquè timentem.

Laudabilis timor, ſed demum timor, *Laudari magis debuit* (hic Donat.) *quia timuit, quàm ſi feriendi deſiderio traheretur.* Ad primum locum & ad rem propoſitam idem interpres præclarè vt ſolet. *Non dixit Audiui ſtrepitum venientis alicuius, ſed pedum dixit; hoc enim, licet falsò, videtur occurrere, quod quiſquam timet. Fecit metus anguſtiorem proximitatis æſtimationem.* Omnium optimè Zerda in illuſtrando Marone diligens Criticus. *Commutatio iſta tranſlationum Viſus eſt ſonitus, iucunda eſt. Et eo ipſo indicat, timentem non vno tantùm, ſed ſenſibus penè omnibus deludi.* Hoc in Anchiſe etiam timente deprehenditur, qui Timens deluditur ſenſibus.

Per vmbram
Proſpiciens, Nate, exclamat, fuge nate, propinquant.

Vbi Donatus primùm argutè. *Dixit Senem vidiſſe per tenebras,*

L 2 cum

cum etiam per diem tardos prorsus, aut prope nullos habere possit obtutus. Deinde Zerda. *In hoc metu partes pracipua Anchisa sunt. Ille adesse vbique hostem putabat, delusus metu, & noctis vmbra. Et propinquant, dixit; vt erat pauens, rectum adimit.*

112 Diu viuere senibus præsertim in voto est.

Notat Nascimbænus vitæ cupiditatem in Anchise sene maximam cum ita vrgeat Æneam,

Nate, exclamat, fuge nate, propinquant.

Qui dudum (inquit) *mori volebat, nunc mortem euitare studet. Ex quo intelligi potest, omnibus vel confectis senio, naturâ insitum, velle diu viuere.*

113 Qui aduersa tibi simul & prospera miscet, malè amicus ostenditur.

Male amicum habemus illum qui nobis simul aduersa propinat & prospera. Sic Æneas de Numine illo conqueritur, qui læta sibi tristibus miscuit. (Sed perperàm censet, qui ita omninò censet: dulciora enim læta post tristia sunt, prospera post aduersa. Obsonium namque felicitatis est labor.)

Nescio quod trepido malè numen amicum
Confusam eripuit mentem.

Donatus. *Id malè amicum esse putamus, quod vno tempore aduersa prosperis miscet, vt in præsenti factum est: malè amicum extitit iuxta Æneam, quia facilitatem præbuit exeundi, & non vidit vxorem. Amicum igitur dici non potuit, quia non seruauit vniuersos, inimicum dici non potuit, quia præstitit beneficium. Dictum ergo propriè Male amicum, vt puta, quod in altero malum, & bonum in altero comprobatum est.*

114 Periculo exponendum est min⁹, ne quod maximum est, amittamus.

Prudenter Æneas, quod minus erat, periculo exposuit, ne maius amitteret. Non ad subsequentem se Creusam animum oculosquè reflexit, donec patrem humeris ex periculo, natúmque subtraxit.

Nec priùs amissam respexi, animumque reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris, sedemquè sacratam
Venimus.

Nunquid in medio itinere (ait Donat.) *in periculo euidenti, in tenebris, & sine ope cuiusquam patrem senem, ac debilem, & paruulum filium relinquere debuit, & perditam quærere sub incertâ spe? Non fecit; sed vxoris inquisitione dilatâ potius, quàm reiectâ, primò duobus consuluit.* Prudenter sanè!

115 Maternũ sę piùs quàm Patrem filij desiderant.

Materni sæpiùs amoris affectum desiderant filij, quàm paterni. Vt hunc Ascanij Maro notaret affectum, cum amissa Creusa est,

Natúmquè virúmque fefellit.

116 In confessione criminis purgatio eiusdem est.

Primo loco *Natum* posuit; secundo *Virum*; dolentiùs filius matrem, quàm vir vxorem gemuit amissam. Seruius. *Natum, qui per ætatem matrem desiderare debuerat.* Et Landinus. *Natum, nam slioli matrem semper respicere solent.*

Et homines & Deos incusauit Æneas, cum Creusam amisit. Impium planè scelus! Sed cum se furore percitum, & mentis impotem

portem id fecisse fatetur, excusat factum. Dum fatetur errorem, purgat crimen.

Quem non incusaui amens hominúmque Deorúmque?

(Nota obiter amentiam esse, homines lædere, Numina violare.) *Ecce,* (inquit acutè Donatus & verè. *Ecce & confessus est, & purgauit crimen. Habet enim veniam quidquid & admittitur per furorem, & ingenuè deponitur.*

Mariti lachrymis præteritam deplorantis vxorem, futura conquiritur, præcipuè si oboriantur eæ, coram illa, quam coniugem velles. Huius modi notæ illi sunt gemitus, illa suspiria, dolores illi Æneæ coram Didone pro amissione Creusæ, 117

Mariti lachrymę pro vxore præterita futuram præueniunt.

Quem non incusaui amens hominumque Deorumque?
Aut quid in euersa vidi crudelius vrbe?

Vbi breuiter & argutè Seruius. *Benè commendat se futurus maritus. Estase acreditanda por buen marido con la muger que pretende, quando hace estremos por la que perdio?*

Vel in Dijs ipsis insuperabilem vltionis affectum finxere Poëtæ. In hunc sensum interpretatur ingeniosè Donatus locum illum, 118

Difficilè ex animo auellitur vltionis affectus.

Et iam porticibus vacuus Iunonis asylo
Custodes lecti Phœnix, & dirus Vlysses
Prædam asseruabant.

Quod autem posuit Iunonis asylo, sic accipere potuit, Vt inimica Iuno lætaretur ante oculos suos esse proposita, quæ Græcorum victoriam testarentur. Adeò ab animo auelli vix potest vltionis affectus, vt vel Dea Iuno de Troianorum spoliis, ipsius asylo asseruatis, & de Græcorum victoria lætaretur, & ad exuuiarum conspectum vltricem memoriam refricaret.

Ingenui sanè animi est, vel hostium crimina in meliorem partem interpretari. In direptione Troiana quid non Græci per sacrilegium à templis abstraxerant? & tamen Æneas flammis ereptā gazā dicit ab hostibus, quibus cum impietatem posset impingere, pietatem adscribit. 119

Ingenui animi est, vel hostium crimina in meliorem partem interpretari.

Huc vndiquè Troïa gaza
Incensis erepta adytis.

Acutè Donatus. *Non dixit sublatam de templis, sed de ipsis ardentibus adytis ereptā*, quasi vero ex mediis illam flammis pietate, ac religione moti vindicauerint.

Adeò viscosæ sunt amoris illecebræ, vt amatoriâ voce vel mortui mollesiant. Creusam suam quærens Æneas (frustrà, nam viuos iam reliquerat) amoris affectu, inueniendi studio nomen ingeminabat; 120

Vox, amoris index, vel mortuos mollefacit.

Mæstusquè Creusam
Nequicquam ingeminans iterúmque iterumquè vocaui.

Expendit Donatus, non sine causa proprio nomine inclamatam

 esse

esse *Creusam*, non verò generali; vt mariti amantis hauriens Creusa vocem securiùs proderetur. *Ne illam, inquit, fortasse longinquis partibus positam* (sic Donatus) *generalis exclamatio mariti falleret, & ad aures eius, quamuis clara voce, veniens, putaretur aliena, nomine eam proprio non timui vocare, Creusam sepius repetens.* Non frustrà vox hæc amantis emissa est;hoc eodem amantis affectu statim illa,

O dulcis coniux,

121 Amoris prima vox est;quod aduertit Zerda, *Aditus sermonis continet vnà cum sermone amoris notam; ait enim, O dulcis coniux.* Vel mortuam potuit amantis vox euocare, & emollire.

Amoris ea vis est, vt difficilè ab errore conquiescat.

Amoris ea vis est, vt difficilè ab errore conquiescat. Creusæ ad Æneam Amantis vox illa, *O dulcis coniux* in feruentiorem amorem accendit; quare ille in amplexus irruit vxoris, non quidem semel, sed ter,

Ter conatus ibi collo dare brachia circùm.

Ter? non satis esset semel,cum frustrà conatus primus esset? quid iterum? quid tertiò, cum amoris materia in defuncta non esset?

Ter frustrà comprensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucrique simillima somno.

Si in primo amplexu vmbram,ventum, somnum, & rem inanem esse deprehendit, quid toties frustrà? Quod monebat ratio, & experientia suadebat, irritum tamen non putabat Æneas amoris errore, præ amantis affectu.

122 Statim atque Æneas audit ab vxore Creusa,

Suos Amor reddit elingues.

O dulcis coniux.

Ita præ amore torpescit, vt verbum hiscere non posset. Voluit multa dicere, conatus est vocem in verba contexere, sed neutiquam potuit,fecerat enim illum Amor elinguem. Ergo illum vxor

Lachrymantem & multa volentem
Dicere, deseruit.

Lachrymæ pōdera vocis hâbent.

Linguæ vices egerunt lachrymæ, quæ, dum lingua impeditur, soluuntur ex oculis; nam

Lachryma pondera vocis habent.

Mira sensuum fraternitas est,inuicem sibi in officio substituuntur, quod eorum aliquis exercere non potest. Lingua torpescit?loquūtur oculi,& vt vt possunt,obortis lachrymis torporem excusant.

123 Ingeniosè Donatus expendit verbum illum *Deseruit* in persona Creusæ. Non ergo maritus vxorē, etiam vitâ functam, deseruit,sed ipsa maritum,ipsa inquā iam inepta coniugio.Me,inquit ille,Creusa

Nunquam maritus est deserturus vxorem.

Lachrymantem & multa volentem
Dicere, deseruit.

Benè dixit (Donati verba) *Deseruit volentem loqui: non dixit, Ego illam dimisi. Impium ac sceleratum fuisset, si Æneas vel ab vxoris vmbrâ recessisset.*

Exaggerat

Exaggerat maximè Maro gloriæ appetitum in fœminis, cum Creusam fingit, emortuam iam, & in Deorum consortium adscitam, hoc morbo laborare. Sic ipsa ad Æneam, 114

Maximè gloriæ appetitus fœminis hæret.

Non ego Myrmidonum sedes, Dolopúmve superbas
Aspiciam: aut Graijs seruitum matribus ibo
Dardanis, & diuæ Veneris nurus.

Quàm, post mortem etiam, & in Deorum consortio, appetens gloriæ! iactatrix generis! auida Maiestatis! Donati paraphrasis. *Non cecidit fortuna mea, nec debilitata succubuit. Dardanis & diuæ Veneris nurus, præferentis animo positum debemus accipere.* Nondum mortuus hic appetitus in mortua. *Verumtamen* (quadrat hic) *excelsa non abstulit.*

Et nobilibus.

Animaduertit item Donatus Creusam, huius gloriæ affectu ductam, Deæ merita, & excellentiam buccinasse, ne crederetur à quauis Dea, sed à maxima confoueri. 125

Idem argumentum.

Sed me magna Deûm Genitrix his detinet oris.

Posset dicere *Dea*, posset grandiùs *Cybele*, dixit iactantissimè, *Magna Deûm Genitrix*, phaleratis vsa vocibus est. *Tenet me illa* (Donatus) *quæ Deos omnes ratione nominis & potestatis anteuertit. Adhuc fœminam nobilem sapit.*

Vitâ functa hanc vxores veritatem edocuit; Curam vxoribus esse debere, ne maritos offendant. Apparuit Creusa marito Æneæ, & cum illi aperuisset, futurum tandem, vt & nobilem & diuitem inueniret vxorem, filij curam tandem commendat Ascanij; 126

Cura vxori esse debet, ne maritum offendat.

Iamquè vale, & nati serua communis amorem.

Subdubitabat, nouo aduenìente coniugio, nouisquè filiis, amorem erga Ascanium, superinductâ nouercâ, tepidiorem futurum: non tamen subdubitationem suam apertè marito obijcit, ne illum offendat. Donatus grauiter. *Sciebat, quid inter cætera prædixisset, futurum scilicet, vt Æneas habiturus esset coniugium nouum, quæsiturus sibi vxorem, filio nouercam. Hoc igitur metuens mater nouissimè collocauit, vt hæreret altius paterno pectori, quod cupiebat esse seruatum; non autem nouum suadebat affectum, quia sciebat se loqui cum patre; ideóque dixit Nati serua communis amorem, quia poterat effici, vt fauore viuentis, & nouæ coniugis ductus, eius præponeret liberos filio ex coniuge prima suscepto. Temperauit ergo, vt diceret, Serua: neque dixit apertè ei suspitionem suam, ne secus sensisse videretur, & recessuri animum læderet.* Seruauit ergo erga maritum mortua, quem viua pudorem & cultum semper exhibuit.

Cum frustrà labores suscipiuntur, vel breuissimum tempus longissimum computamus, horam sæculum, annos momenta. In quærenda vxore noctis particulam posuit Æneas; laborauit in cassùm, vt ipsa monuit, 127

In laboribus frustrà susceptis vel horam annû computamus.

Quid tantum insano iuuat indulgere labori,

 O dulcis

O dulcis coniux ?

Quare ille reuersus ad suos, noctem se totam consumpsisse ait.

Sic demum socios consumpta nocte reuiso.

Sine laboris fructu, id enim est, *consumptâ nocte*, ex interpretatione Landini, *Idcircò consumpta, quia nihil in eâ perfecisset. Demum* addidit, *Vt ostendat, cum multa fecisset per eam noctem, potuisse eam videri longam.* Ita Landinus ad rem meam.

128 Qui fidelis nuntius felicitatis est, non futuram solùm prædicit, sed penè præsentem impertit. Lucifer nuntius est fidelis certusquè diei, dicatur igitur, non solùm prænenire, & prænuntiare futuram lucem, sed & secum ducere, Ita ingeniosè Maro ex interpretatione Donati,

Ex fideli nuntio felicitas, præsens felicitas est.

Iamquè iugis summa surgebat Lucifer Idæ,
Ducebátquè diem.

Videtur ergo Lucifer (Donatus) *non tantùm nuntius diei esse venientis, sed sidus quoquè certusquè perductor.* Ex certo fideliquè nuntio felicitas, præsens felicitas est.

129 Claudit huius libri flosculos Nota illa Zerdæ in lætissima illa & & floridissima Carmina, quibus post tam diras tenebras lucem describit Æneas,

Post tenebras gratissima lux.

Iamquè iugis summa surgebat Lucifer Ida,
Ducebátquè diem.

Videtur mihi Æneas (sic Zerda) *hoc versu pleno læti cuiusdam moduli voluisse signare lætitiam, quam tunc animo accepit, visâ luce post tam diras tenebras, & horrentissimam noctem Troiani excidij.*

R. P.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER TERTIVS.

AVERNALEM sapit illa pœnam, cui nulla spes melior allucet. Talem suam & suorum putat Æneas, quòd & se passum grauissimas calamitates dicit, & restare eiusdem notæ quamplurimas, quæ patiatur. Quas passus, illæ sunt, 1

Crudelis omnino pœna est, cui nulla spes melior allucet.

Postquam res Asyæ, Priamiquè evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditquè superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Quæ restant, illæ,

Diuersa exilia, & diuersas quærere terras
Augurijs agimur Diuûm, classemquè sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.
Incerti, quo fata ferant, vbi sistere detur.

Pœna omnino crudelis, cui non leuamen, sed grauiores instant

minæ infelicitatis! Præclarè Donatus. *Omnia in vnum aduersa confluxerant,& quæ transacta videbantur, & quæ portabat asperior futuri temporis spes. Nec fuit, quod consolaretur præterita, quando futurorum quoquè immanitas sæuiebat.* Infelicem sortem! cum præsentia vrgent, & futura grauiora timentur.

2 Quod Dij in Troiæ ruinam permiserunt, videtur Æneas non probare, cum dicat.

Desuperiore, etiã cum videtur errare modeste loquendum.

Postquam res Asiæ, Priamiquè euertere gentem
Immeritam visum Superis.

Immeritam dicit; non enim rationi consonum videri potest, *Laomedontis & Paridis culpâ vniuersa gens perire non debuit.* Aduertit tamen idem interpres, qua modestiâ, quâ moderatione de superis (idem est de superioribus dicendum, qui Superorum loco nos regunt) loquatur. *Visum Superis*, dixit, illorum voluntatem omnino non improbans. *Benè accusatio hæc habet quandam venerationem, alioquin sacrilegium est.* Superiorum voluntatem damnare, instar est sacrilegij.

3 In illa verba *Postquam res Asiæ* præclarè Nascimbenus, *Res Asiæ Troianorum imperium intelligit ambitiosè: quasi innuere velit, prostrato imperio Troiano, totam Asiam prostratum videri.* Insitus hic affectus est, nobilibus præsertim, & Principibus, vt ambitiosè de suis suæquè gentis rebus sentire soleant, & loqui.

De suis quisque rebus ambitiosè sentire solet, & loqui.

4 Optimæ vxoris nullum est pretium. Talem sibi Creusam est expertus Æneas; Quare vbi dixit.

Vix optima instar multarum est.

Priamiquè euertere gentem
Immeritam visum superis.

Creusam intelligit, ex acutâ interpretatione Donati. Tanti enim illam habebat, vt, cum illam amiserit, vniuersam Priami gentem (cuius filia illa fuit) existimet perijsse. *Gentem immeritam* (Donati verba) *idcircò intelligitur posuisse, quia vehementer angebatur perditæ vxoris luctu, quam constabat fuisse filiam Priami.* Periit gens Priami, cum eius filia, vxor mea Creusa perijt. In vnius morte, vniuersa Priami cõsumpta gens est. Optima in viro de vxore existimatio quàm laudabilis est! Nulla debet esse in illius ore melior, nulla decentior, nulla numeris omnibus (quod aiunt) absolutior.

In mariti ore nulla sit melior vxore sua.

5 Quàm pius fingitur à Marone Troianus Æneas! Sæpiùs inuenies *At pius Æneas. Quem pius Æneas* Audi tamen illum, & comperies, impatientiâ interdum propriæ calamitatis impietatem à pio posse extorqueri. Inquit enim,

Interdum impatientia propriæ calamitatis impietatem extorquet à pio.

Ceciditquè superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

In Adiuncto *Neptunia* subest impietas. Quasi dicat; Troia quam Neptuni Dei operâ fabricatam constat, Deorum operâ iacet euersa. Zerda, *Nec Numen ipsum potuit vrbem suam protegere, pugnante reliquorum.*

quorum Deorum turbâ. Ad rem meam Seruius vberior: *Subtiliter etiam Dijs inuidiam commonet, vt ea cecidisse dicat, quæ putabantur Deorum.*

Quàm citò opulentissima Troia abijt in cineres! quàm autem diu inter ruinarum cineres fumus erupit! Breuiter cecidit, *Ceciditquè superbum Ilium*, Iamdiu ruinam passa fuerat, cum Æneas Carthaginem appulit, quare *Cecidit* inquit Poëta; adhuc tamen fumabat, cum ipse ad Didonem; 6 Ex breui ruinâ diuturnus solet fumus erūpere.

Et omnis humo fumat Neptunia Troia.

In *ruina* præterito vtitur; in *fumo*, præsenti. Præclarè Seruius; *Sanè quæritur quomodo dixerit, Cecidit, & Fumat? Sed certè naturam rerum expressit. Nam ruina in breui fit, fumus verò longo permanet tempore.* Fumus, quem tua tu ruinâ excitasti, diuturnus est, ipsa verò breuissima. Caue ruinam, tu qui opulentissimus es, qui diuinitate Neptunius, fumus enim erumpet nullo vnquam tempore consopiendus.

Pulchrè Seruius expendit illam vocum relationem *Pater*, & *Iubeat*, in illo Carmine 7 Naturæ ordo est vt iubeat Pater, obediat filius.

Et Pater Anchises dare fatis vela iubebat.

Ex decoro positæ illæ voces sunt, nam Patris iubere est, Filij obedire. *Vt agendarum rerum authoritatem assignet Anchisæ; &, vt diximus, τὸ πρέπον seruat, vt Pater iubeat.*

Emphasim notat Zerda in pronomine *Ipsa* huius carminis, 8 Vnde infortunium inde sæpè felicitas.

Classemquè sub ipsâ
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

Pronomen hoc loco, (ait Zerda,) *habet emphaticam quandam significationem.* Quænam illa? Hæc. Eo ipso in loco, vbi nostri infortunij initium fuit, nostra etiam felicitas habuit originem. Sub ipsâ Antandro classem edificamus ad vitam, quæ nobis parens extitit calamitatis ad necem. Vnde nobis dolorum initium fuit, propter Iudicium Paridis (ibi enim inter Deas iudicauerat Paris) inde ad classem nobis materiem contraximus, quâ Troiana incendia, & Græcorum furorem effugeremus. Locus idem nobis infelicitatis satis vberem segetem, & opportunam satis felicitatis subministrauit. *Latenter Poeta*, Zerdæ verba, *innuit initium Troiani excidij; quasi dicat; Classem ædificamus sub Antandro, sub ipsa, inquam, Antandro, quæ nobis parens extitit calamitatis, & initium dolorum, propter iudicium Paridis. Paris inter Deas iudicauerat. Vox itaquè ipsa fortè significat aliquid iam vulgatum Troianorum sermone, & his verbis ipsa Antandros, putabant se dicere, Ipsa calamitas.* Ibi. Not. 8. 9 Grauissima illa calamitas est, quæ nihil relinquit intactum.

Exaggerat mirè Virgilius Troianorum calamitatem, cum Æneam inducit sic de Troiana clade querentem,

Littora tunc patria lachrymans, portusquè relinquo,
Et campos, vbi Troia fuit,

Non ſignantiùs potuit calamitas exprimi. Præter Littora, Portus, & Campos, ex tota Troia relictum eſt nihil. Pulchrè Donat. *Tria poſuit, quæ per naturam non potuerunt perire, Littus, Portus, & Campos.* Reliqua omnia incendio abſumpta ſunt, calamitate perierunt.

10 Quærunt interpretes, Quare, cum Æneas ait ſe ab Troianis oris vela dediſſe,

Mortuorũ commemoratio parentum, filiorũ memoriam vulnerat.

Feror exul in altum,

Patrem non nominat, ſed natum, & ſocios, cum conſtet ſecum etiam patrem tuliſſe?

Cum ſociis (inquit,) *natoquè, Penatibus, & magnis Diis.*

Donatus ait. *Tacuit Patrem ſuum, quia ſuprà dixerat, Et pater Anchiſes dare fatis vela iubebat. Proinde quem iam memorauerat ibi fuiſſe, ſuperfluum, indeque vitioſum fuerat, iterùm nominare.* Benè; ſed meliùs Seruius. Ideo inquit, patris mentionem non feciſſe, quia cum hæc ille Didoni narrabat, Anchiſes viuis exceſſerat, neque ad Italiam, pollicitâ felicitate fruiturus, peruenire poterat. Vulnerabat filium defuncti Patris memoria; abſtinuit ergo Patris nomine, ne grauius vulneretur. *Patris non fit mentio, quia ſecundùm Virgilium ad Italiam non venit,* inquit Seruius. Qui ſatis breuiter, vt aſſolet, & in hunc ſenſum videtur eſſe trahendus.

11 Moralis alia interpretatio ſuccurrit, quæ acumine certè non caret. Viuos enumerat, mortui Patris oblitus. Hoc mortalium ingenium eſt, omnem de mortuis, parentes licet ſint, curam & memoriam deponere. Communi ergo mortalium obliuione, pius etiam alioqui filius, de patre non meminit, quem neque præſentem in Africâ, neque viuum habebat.

Amueiros y à ydos &c. vel inter patres & filios vim habet.

12 Prudenter ſanè Traciam, ad ſui confugium, petit Æneas, quæ quondam hoſpitium Troianis extiterat, florentibus adhuc, ſperans fore, vt beneuolentiam non negaret miſeris, quæ ſtantibus fauerat, & incolumes fouerat.

Manus lapſo porrigẽda libentiùs, quàm ſtãti.

Terra procul vaſtis colitur Mauortia campis,
Traces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hoſpitium antiquum Troiæ, ſociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc.

Vbi Donatus. *Quis enim non fideret non negaturos beneuolentiam miſeris, quæ florentibus adhuc rebus & debita fuit, & memoriâ longiore ſeruatâ?* Negarunt eam tamen. Exiſtimabat pius Æneas pietatem, & ex ſuâ naturâ Thraces metiebatur. Ita idem interpres. *Firmabat pius omnem ſpem remanendi, interpoſiti dudùm religione fœderis, diuturnitate temporis roborati.*

Cæteros ex tuâ naturâ metiris.

13 Seruius ait, ſubtimuiſſe Æneam, ne Thracum fides ergà Troianos cum felicitate defeciſſet, cum dixit hoſpitium fuiſſe Thraciam Troianis, *Dum fortuna fuit.* Hæc enim inter mortalium plurimos lex eſt, de quâ Ouid.

Fortunatum ſequimur, miſerũ deſerimus.

Dum

Dum fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Seruius. *Hospitium Troia fuit, dum fortuna fuit; bona scilicet. Et simul ostendit fidem cum felicitate deficere.*

Non sponte Æneas in altum prouehitur, terræ soliditate, & portûs securitate relictis, sed vt Deorum obtemperet voluntati vocantium. 14

Miser ille est, qui securitatem portûs relinquens, in altũ spontè prouehitur.

Littora tunc patria lachrymans, portusque relinquo.

Securus omninò *fertur in altum*, qui sic littora deserit, qui sic portus relinquit. Periculosè verò qui animi instabilitate, nulla cogente, aut vocante Superiorum voluntate extra portum littoraquè vagatur. Securus, inquam ille, quia prædixerat,

Auguriis agimur Diuûm.

Ideo Italiâ potitus, ideò Romani author Imperij.

Qui quietem, Deo vocãte, linquit suam, inuenit cumulatissimam.

Aude, quisquis maiorum tuorũ (qui tibi instar Deorũ sunt) sequeris nutum, neque relinquere, quam putas tuam, securitatẽ time, dum

Auguriis ageris Diuûm qui ad altiora te vocant.

Donatus. *Non dixit, relinquo patriam, sed dimitto littora, relinquo securitatem portûs, ac terræ, & in altum producor, hoc est, ad incerta altioris & interioris pelagi. Securus tamen, quia Auguriis agor Diuûm.* Non igitur patriam linquis, sed soliditatem terræ, sed quietem cumulatissimâ olim quiete rependendam.

Cum Æneas sacris intentus Deorum Numina promeretur, vt cœpta opera secundarent, 15

Inter sacra peccare grande piaculum est.

Sacra Dioneæ matri, Diuisquè ferebam,
Auspicibus cæptorum operum.

Tunc, ignarus tamen iniuriæ, mortuum lacerat, & sepultum. Quærentem audi;

Quid miserum Ænea laceras? iam parce sepulto.

Tempus, quo hæc sibi infertur iniuria, ipse coarguit,

Parce pias scelerare manus.

Nunc præsertim piæ tuæ sunt manus, cum de immolando Dijs sacrificio agis, & ramos conuellis, quibus frondentibus ipsorum aras tegas, (Nam ille sic,

Accessi, viridemquè ab humo conuellere syluam
Conatus, ramis tegerem vt frondentibus aras.)

Ne tam grandi te periculo adstringas, cum inclito pius operi operam naues. Donati hæc mens in pulchra paraphrasi. *Ne manus tuas pias & religiosas funestes, & inexpiabili labe macules, præsenti vel maximè tempore, quo sacra Numinibus reddis.* Quo tempore cœlum placas, non illud irrites.

Vixdum Traciam pedibus tangit Æneas, quæ Dijs vouerat, festinat implere.

Quæ Deo voueris, ne moreris implere.

Superoquè nitentem
Cælicolum Regi mactabam in littore taurum.

Vota non distulit; *In littore*, inquit. Primas grati animi, promptæque mentis testes voluit arenas. Anonymus quidam in margine, non sine acumine. *Rectè In littore; quasi nihil moratus Dys debita soluerit.*

17 Teneras Deus victimas amat. Adeò Deus victimas teneras amat, vt Æneæ, qui Taurum Ioui mactauit, cum iuuencum deberet.

Cœlicolum Regi mactabam in littore taurum.

Iratus prodigium horrendum obiecerit, quod Troianus Didoni graphicè narrat.

Iis irascitur Deus qui teneras ab aris victimas prohibent.

Video mirabile monstrum,
Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusquè coit formidine sanguis.

Et paulò post; *gemitus lacbrimabilis imo*
Auditur tumulo.

Seruius ibi. *Contrà rationem Ioui taurum sacrificat: adeò vt hinc putetur subsequutum esse prodigium. Vbiquè enim Ioui iuuencum legimus immolatum, vt, Statuam ante aras auratâ fronte Iuuencum; item Iuuenal. Qui vexat nascenti robora cornu. Nam in victimis etiam ætas est consideranda.* Caue, quicunquè teneras ab aris victimas prohibes.

18 Quæcunquè in diuino cultu punitur incuria. Per incuriam Æneas *in littore iuxta tumulum sacrificauit.*

Fortè fuit iuxta tumulus.

Quare excusatione dignus est; & *Virgilius illum excusat*, ait Seruius, dicendo, *Fortè fuit, quod iuxta eum tumulum sacrificauerit.* Nequè de illius pietate aliquid est imminutum, quia imprudens fecerit; & tamē Incuria hæc prodigio causam dedit vt ait Zerda. *Virgilius* (verba sunt Zerdæ) *pedit sacrificanti Æneæ locum non idoneum, in littore, iuxta tumulum; vt locum daret infelici successui.* Incuria in diuino cultu pœnam tulit etiam imprudens.

19 Qui suis erga Deum satisfecit officijs, quid non ab eo magnum sperare debeat. Ex Donatianâ interpretatione laudatur Æneas, quòd, statim ac terram appulit, *in littore* sacrificauerit; non per alium, ipse inquit *Mactabam*, non quemcunquè taurum, sed pinguem, *Nitentem taurum*. Adeò cœlum artifit huic victimæ, vt vberi illam voluerit premio compensari. Quo? per res inanimes præmonetur Æneas de discrimine, in quo versatur in Thracia; per vità functos vrgetur, vt quam primùm terram illam effugiat, ac deserat. Per inanimes, audi.

Fortè fuit iuxtà tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus, &c.

Vbi Donatus ad rem præsentem, *Hæc duo genera lignorum hastilibus bellicis apta sunt; proinde pacis auspicium habere non possunt: ac per hoc sacrificanti in causa ciuitatis nouæ, portendebatur id, quod accidit, crudele illic esse hominum genus, & humano sanguini infestum: nec*

nec debere Troianos habere fiduciam prioris amicitiæ, quòniam mutatio fidei extiterat fractis viribus Troiæ. Nonne vides, sacrificanti Æneæ salutare monitum accidisse? Cornea & myrtea virgulta cruore rorantia periculum prædocent. Subinde Polydorus ex imo tumulo,

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Vel miraculo periculis ille subtrahitur, qui suis erga Deum satisfecit officijs.

Ingeniosè Donatus expendit guttas illas sanguineas, quæ præter naturam ex auulsis virgultis manarunt. 20

Vbi diuina accidunt, torpescant, & congelascant humana.

Atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant.

Et illas componit cum Æneæ sanguine, qui ad sanguineas arborum guttas præ formidine congelatus est.

Mihi frigidus horror,
Membra quatit, gelidusquè coit formidine sanguis.

Frigus ex tali visu congelascere fecerat, (Donati verba) *mei corporis sãguinem. Itaquè factum est, vt mutatâ natura vtrumquè lignum fūderet sanguinem, & humanum corpus ingenitam sanguinis substantiam denegaret*, Ita sanè est, vt, cum diuina accidunt, humana torpescant & congelascant.

Quis dubitet imminentem nobis calamitatem posse oratione aut auerti, aut certè leuari? Myrteis illis & corneis hastilibus, (de quibus suprà num. 19. ex Donat.) cruore manantibus, vehementer commouebatur Æneas, ne execrandum aliquid significarent, atquè portenderēt. Quid ergo cōcilij cæpit, vt illud auerteret, aut certè leuaret. 21

Imminētem nobis calamitatem oratione auertimus, aut certè leuamus.

Nymphas (inquit) *venerabar agrestes,*
Gradiuumquè Patrem, Geticis qui præsidet aruis,
Ritè secundarent visus, omenquè leuarent.

Preces pius interposuit Æneas; *Vt imminentem malorum ruinam aut auerterent penitus* (Donati paraphrasis) *aut facerent leuiorem. Docet hoc Virgilius, prosperari posse per Deos humanis obsequys, quod fuerat malis omnibus demonstratum.*

Ad Æneam Polydorus è tumulo sic ait.

Parce sepulto.
Parce pias scelerare manus. 22

Facilem ignorantia veniam meretur.

Pias vocat *manus*, quibus & violatus tumulus est, & discerptum cadauer, & temeratus sepultus? *Parce*, inquit, cum patrata res fuerat? Quid hæc? Per ignorantiam est lapsus Æneas, ideóque nihil ipse de pietate deperdidit. Facilè ignorantia meretur veniam. Piæ adhuc manus sunt, & ne vlterius progrediatur, admonetur amice. Pulchrè paraphrasis Donationa. *Cur, Parce, si iam patrata res fuerat? quia quod ignorans fecerat: veniam merebatur. Non autem mereretur, quod deinde esset facturus. Sic, si mihi parces, te crimine solues. Quod tantum crimen? Peccares in hominem, in miserum, in defunctum, in ciuem, in tuum.* &c.

25 Graues ab impudenti Æneâ Polyderus patiebatur iniurias; *Pias* tamen dicit *manus*, quibus inferebantur iniuriæ. Æneas enim pietate ac religione ductus virgulta illa auellebat & ramos, quibus Deorum aræ tegerentur, in quibus parabat & victimam. Attendit ergo Polydorus ad pietatis affectum, iniuriarum oblitus; & pium vocat, quem impium experibatur.

Magna est vis pietatis, quæ, etiam ab illo, qui iniuriam patitur, commendatur.

Quid miserum, Ænea, laceras? iam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus.

Præclare Landinus. *Magna laus Æneæ, cum etiam ab eo, qui lacerabatur, ita appellaretur.*

25 A sepultis hoc nobis documentum est, vt bona pro malis referamus. Conqueritur Polydorus de misera laceratione, quam sepulti sui cadaueris membra patiuntur.

Bona pro malis rependere docemur à mortuis, viui refugimus.

Quid miserum, Ænea, laceras.

Non ad primam hiscit iniuriam, non ad secundam, sed ad tertiam; nam

Iniuriarum patientia mortuorum est.

Tertia sed postquam maiori hastilia nixu
Aggredior, genibusquè aduersa obluctor arn
(Eloquar an sileam) gemitus lachrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.
Quid miserum Ænea laceras?

Et tunc quidem cum laude illatoris, *Pium* vocat,

Parce pias scelerare manus.

Non iniuriam pro iniuria regerit, sed offert laudem; & vt crudeles terras effugiat, hortatur.

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Vide quot bona pro tot iniurijs referat! Magnum sanè hoc & à mortuis, non ita à viuis expectandum! Landinus acutè. *Magna laus Æneæ, cum etiam ab eo qui lacerebatur, ita appelletur. Illud etiam magnum, quòd hortaretur, vt fugeret periculum* Ingeniosè Donatus. *Admirabili virtute Poëta ipsum induxit desertorem facti, qui ob iniuriam suam accusator esse debuerat. Ideoquè acerbitatem ipsam latius extendit ex vero crimine multa exoriri posse euidenter ostendens; qua tamen ipsa instruentis animo, non arguentis ingerit.*

Iniuriam non regerunt, sed illatam excusant.

25 Polydorus Æneæ; *Parce pias scelerare manus* Non tam mihi damnum præcaueo, quàm tibi. Ab iniuriâ desiste, quam mihi grauem infers, grauissimam tibi. Acutè Donat. *Quod prohibeo fieri, Et mihi proderit, & tibi. Hoc genus persuasionis magnum est, vt quod vnusquisquè petit, sciat etiam sibi profuturum. Et mihi, ait, parces, & tibi erit commodum; ne manus tuas pias & religiosas funestes, & inexpiabili labe commacules.* Insignis hæc pietas est, in iniuria tua, non tam de tuo incommodo, quam de inferentis culpâ dolere. Mortuorum hoc documentum est, quod audimus quidem viui, sed, proh dolor! amplectimur pauci.

Insignis pietas est, in iniuria tua, non tam de tuo incommodo, quâ de inferentis culpâ dolere.

Pium Polydorus vocat Æneam, *Parce*

Parce pias scelerare manus.

Addit deinde, *Heu fuge crudeles terras*, fuge. Humanum enim inter inhumanos, pium inter impios, religiosum inter prophanos esse non decet. Duplicat autem verbum, *Fuge fuge*, vt instet & vrgeat. Pulcherrimè Donat. *Non solum ad conseruationem salutis huiusmodi potest admonitio pertinere; non enim debuit Pius, ac religiosus inter sceleratos & impios commorari; etiam si nihil auderent aduersus ipsum; Bis ait, fuge, vt sine dilatione fugeret; duplicationem verbi magnam habet cogendi necessitatem.* 26 Prauorum societas probum non decet.

Quamuis immanissimos in se Thraces fuerat Polydorus expertus, non tamen culpam in Thraces conijcit, sed in *terras*; sic enim ille ad Æneam, 27 Aliorum, quãtum fieri potest, excusandæ, & cælandæ sũt culpæ.

Heu fuge crudeles terras, fuge.

Nec verbo quidem læsit iniuriâ affectus, quos censerat crudelissimos, in terras crimen reijcit, quod Thraces perpetrauerant. Notauit ingeniosè Donatus. *Hominum culpa, & morum, adscribitur terris, in quibus nati sunt; quasi demùm non hominum genus, sed eorum parens terra peccasset.* Quantum fieri potuit, crimen auertit. Malis bona repende.

Crediderim ideo duplicationem verbi *Fuge fuge* apposuisse Poëtam, vt innueret, vel breuissimam prauorum consuetudinem perniciosam maximè, & contagio simillimam esse, iuxta illud eiusdem Poëtæ in Eclog. 28 Prauorum consuetudo perniciosa est.

Et mala vicini pecoris contagia lædent.

Vix Thraciam appulerat Æneas, cum ecce tibi illius manus Thracum sapiebant crudelitatem; tumulos violat, mortuos euiscerat, sepultos extrahit & lacerat. Celerrimam itaquè Polydorus fugam suadet, ne illius pietas crudelissimæ & impiissimæ regionis consuetudine deprauetur.

Heu fuge crudeles terras, fuge.

Hæc Donati mens in paraphrasi illa. *Non debuit pius inter impios commorari. Bis ait, Fuge, vt sine dilatione fugeret: duplicatio enim verbi magnam habet cogendi necessitatem.* Caue, quisquis pius, impiorum consuetudinem; & fuge fuge, lethali te contagio facilè lædent. Hùc reuocandus ille locus est Senecæ in Oedipo Act. 1. vbi Oedipus huius vim consuetudinis graphicè, & emphaticè sic ad Iocastam.

Sperare poteras sceleribus tantis dari
Regnum salubre? Fecimus cælum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fouet
Anhela flammis corda; non Zephyri leues
Spirant; se dignis auget æstiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemæi premens.
Deseruit amnes humor, atquè herbas color,
Aretquè Dirce; tenuis Ismenos fluit,

Et tingit ipsa nuda vix vnda vada.
Obscura Phœbi labitur cælo soror,
Tristisquè mundus nubilo pallet nouo.
Nullum serenis noctibus sydus micat, &c.

Quasi dicat, sum inter elementa, dum spiro, dum viuo, quæ ex prauâ mei consuetudine contraxere contagium: terra, quòd illam pulso; aër, quod illo spiro; aqua, quòd illam tango; cælum, quòd illud video; Sol & Luna, quod in illorum conspectu versor & luce. Vniuersa igitur rerum natura ex prauo mei consortio, dum viuo, deprauata est. *Sperare poteras sceleribus tantis dari Regnum salubre? fecimus cælum nocens* &c.

29 Idem argumentum. Atque vt Traciæ tactus, & appulsus ad littora pium fecit Æneam, sic Salmacis intemperantis fons suis tactos aquis turpiter mollefacit, vt ait, Ouidius lib. 4. Metamorph.

Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semiuir, & tactis subitò mollescat ab vndis.

Vel tactus ipse elementorum, quæ infecere crudeles, quæ molles; crudelitatem ingenerant, mollitiem ingerunt. Fuge fuge non prauorum solùm consortia, sed vel elementa prauorum.

30 Tibi illatas iniurias ad illũ ne deferas, aut referas, qui illis mederi non potest. Notatu dignum illud est, quod ad Æneam Polydorus ex tumulo,

Nam Polydorus ego; hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

Nequaquam interfectorem nominat, neque necis causam prodit; ibi tantùm occisum se mouerat, & sepultum. Poterat Æneas curare sepulchrum, iniuriis mederi non poterat. Taceat ergo de interfectore, & de iniuria, & quæ curari possunt; ea tantùm enuntiet. Hæc nobis documenta mortui propinant. Donat. *Nomen suum tantum dixit & tumulum; tacuit de persona eius, cui fuerat commendatus à patre, qui fuerat interfector, tacuit & causa, propter quam occisus.* Vide lib. 6. ad illud, *Nec me Deus æquore mersit.* Num. 39.

31 Periculosũ est propriarum iniuriarum memoriam refricare. Periculosum sanè est, iniuriarum, quæ tibi illatæ sunt, memoriam refricare. Hæc fortasse Poëtæ mens, cum etiam mortuum Polydorum inducit extimescentem huiusmodi memoriam refricare, ne illius indignatio, etiam extrà viuos positi, tentaretur. Ita perpulchrè in margine Anonymus; *Timuit etiam mortuus præteritorum memoriam refricare, ne indignatio subiret.* Præter fidem quidem, sed non præter acumen.

32 Mortuorũ ad vocem, viuorũ vox faucibus hæret. Ante quàm Polydorus loqueretur ex tumulo, soluta omnino Æneæ lingua fuit; defuncto verò loquente, viuo vox defuit.

Vox faucibus hæsit.

Ad Polydori vocem (notat Donatus) *vox Æneæ in silentium transiit.* Ad cinerum voces, & clamores cadauerum, quæ viuis potest

potest soluta vox esse? quod animi robur, qui mentis ardor stare?

Obstupui, steteruntque comæ,

Inquit Æneas ad mortui vocem. Quem neque hostium phalanges, neque maris pericula, neque terrarum monstra terruerant, ad defuncti vocem obstupescit, & hæret. *Accedens vox lamentabilis Polydori mentem viri, alioqui fortissimi, in hebetudinem conuertit.* Sic Donatus. Proculdubiò cadauer Orator est maximus, & ad validissimum quemque exarmandum potentissimus.

Polydori Principis educationem Priamus Threicio Regi commendauit; & quamuis adiuncta multa sint, quæ Patrem culpâ liberènt, absoluere tamen pœnâ non potuerunt; nam alienigenæ Regis fraude Regius filius occubuit & ferro. 33 Principis educatio alienigenæ cōmendanda non est.

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio Regi, cum iam diffideret armis
Dardaniæ, cingique vrbem obsidione videret.

Pulchrè quidem Donatus adiuncta & circunstantias expendit, quæ senem excusant in filij commendatione. *Egit Æneas causam Priami, ne imprudens, ne incautus, ne in causa filij minus diligens fuisse videretur: dederat enim noto amico, dederat veteri, dederat non onerosum, dederat cum substantia, dederat diuiti, dederat Regi, dederat pressus, dederat desperatis omnibus.* Sine his adiunctis Regius filius alienigenæ tradendus non erat, &, vel sic, nihil ex voto, omnia ad dolorem miserum contigerunt.

O improuida parentum prouidentia erga filios! tunc ipsos obtruncant, cum maximè illis prouisum existimant. Nimium Priamus Polydori filij educationi consuluit, nimium inquam, quando illum auri cum pondere magno infelix alendum tradidit Threicio Regi. Voluit splendidè filium tractari, & indulgenter, ideò, *Cum pondere magno auri.* Sed nimia hæc parentis prouidentia filio indulgentis, in causa fuit; cur filius obtruncaretur. Nam alienigena ille, 34 Nimia erga filios prouidentia parentum, ipsos filios obtruncat.

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Donatus ad rem. *Infelix Priamus ideò, quia dum filium incolumen cuperet, nihil contrarium prauidens, dedit materiem pretij & ponderis magni, non quâ viue et puer, sed quâ posset occidi.*

Polydorum filium Priamus Rex Threicio commendauit & alendum, & educandum, *Vt cum se* (Donati verba) *in summis periculis cerneret, saltem posteritas sua in hoc filio remaneret.* Cognouit Perfidus excidium Troiæ, occidit Infantem, auro potitur. Miserum patrem. *Quòd dum filium* (Donatus) *in tuto collocare putat, eum perdidit. Ergo planè neque incautus, neque imprudens; dederat enim vicino, affini, amico veteri, dede ut cum diuitiis, dederat Regi. Ille verò, qui speraretur humanus, cuius fidei iuuenis commissus fuerat, qui diues, qui* 35 In rebus aduersis ne amicis quidem fidendum est.

ex plurimis electus, qui susceperat innocentem, amici filium. Notatur hic persona, scilicet auara: item locus, nam mare interpositum erat inter se & Troiam: item tempus, in quo perierat imperium, vt non timeret vltionem. Ostendit Poëta praetereà in rebus aduersis ne amicis quidem fidendum. Damnat auaritiam, tanquam quae ad omnia scelera impellat. Pulchrè sanè! Vnde obiter Landini acumen ad illud,

36 Auaritia ad omnia scelera impellit.

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Quod autem dixit, Crudeles & Auarum, demonstrat auaritiam parentem esse cru elitatis. Ideo Donatus expendit posuisse Poëtam duplicatum *Fuge Fuge. Ex duplicatione verbi necessitatem ostendit fugiendi.* Vide Zerdam.

37 Diuitibus saepe insidiae parantur ad necem.

Ex nominis ethymologia Polydori notat Landinus conuenienter nomini necem accidisse. Polydorus enim Graecè Πολύδωρος, quasi *multorum donorum*; huiusmodi hominibus enim auaritia insidiatur. Ergo auri sacra fames rectè

Polydorum obtruncat

Conueniens homini (inquit Landinus) *Nomen est, qui multa secum attulerit; nam multorum donorum significat.* Ideo insidias passus, ideo occisus.

38 Cũ suis Superior grauia debet negotia cõferre.

Quae ponderis ac momenti negotia sunt, cum suis debet conferre superior, non proprio illa ex marte, aut mente transigere; cum suis inquam ad consilia delectis. Sic bonus Troianorum Ductor, quod monstrum de Polydoro contigerat;

Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monstra Deûm refero, & quae sit sententia posco.

Prudenter Donatus. *Debuit enim, quid facto opus esset in re graui multorum definire sententiâ.*

39 Locum noxium pietati fuge.

Non morosâ deliberatione opus fuit, vbi consultationis materia indubitanda proponitur: proponitur autem quia grauis, non quia dubia; (adeò non debet superior suo sibi in iudicio & mente placere, vt despuat aliena.) Quis enim negaret locum noxium pietati esse fugiendum. Ergo

Omnibus idem animus, sceleratâ excedere terrâ.

Vna omnium vox, sceleratâ terrâ excedendum esse. *Irreligiosum esse*, (ait Donatus) *illic remorari, vbi innocentis Troiani pueri sanguis fuisset effusus.* Impius videretur Æneas, si sceleratis diu moraretur in terris noxiis pietati.

40 Gratũ statim referre ingenui animi est.

Monuerat Polydorus Troianos, fugam arriperent, crudeles terras desererent, auarum littus relinquerent, vt sic saluti vitaeque consulerent. Gratus Æneas (vtpotè qui ingenuo, ac regio animo erat) gratiam reponere neutiquam distulit.

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus animamquè sepulchro
Condimus, & magnâ supremùm voce ciemus.

Vbi

Vbi Donatus.; *Laesi manes placari debuerant interueniente sacrorum solemnium ritu: accedebat enim ad expiationem violati sepulchri, etiam persona meritum, quia monuerat, vt sceleratas terras & auarum littus Troiani relinquerent, & apertis periculis liberarentur. Par pari reposuit, beneficium beneficio compensauit.*

In illud, quod Æneas de occiso Polydoro, 41

Animamquè sepulchro Condimus.

Stoïcorum opinio de Animae duratione.

Landinus eruditè, *Stoïci tandiu animam durare dicunt* (solutam corpore scilicet) *quamdiu durat & corpus. Vnde Ægyptij condita cadauera diutiùs seruant, vt multum duret anima, & corpori sit obnoxia, ne citò ad alia transeat. Romani contra comburebant corpora, vt statim in suam naturam rediret anima.* (Vide Macrob. in Somn. Scip. & Roa in Singularib. Vtrùm Natales luctu, an laetitiâ prosequendi sint? Vbi eruditè, & plenè, & acutè ad hanc rem) *Ergò hîc* (prosequitur Landin.) *Obnoxiam facit animam corpori, quod anteà horrebat, quasi per vim extorta.* Dixerat suprà ad illa Carmina.

Terrena crementur vt liber animus sit.

Nota.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras.

Benè autem lacte, & sanguine anima ad sepulchrum allicitur; lacte enim corpus nutritur, post animae coniunctionem; & anima sine sanguine nunquam est. Nam, illo effuso, recedit; & quia insepultorum animae vagae sunt, & hic non fuerat legitimè sepultus, ritè redditâ legitimâ sepulturâ, redit anima ad quietem sepulchri.

Ingeniosè Donatus notat., Regem Anium, cum appulsos illùc Troianos exciperet, non festo habitu ad eos processisse, qui tristissimi appulerant; quamuis Virgilius significare videtur vittis & lauro redimitum laetitiae indicia praetulisse; nam ait, 42

In amicorũ dolore doleamus.

Vittis & sacrâ redimitus tempora lauro.

Expendatur, inquit interpres, non *lauro* tantùm dixisse, (quod laetitiae signum) sed addidisse *Sacrâ. Vt ostenderet vittas, & laurum non esse signa laetitiae, quae tristitiae Troianorum non conueniebat. No se puso de fiesta, quando ellos venian tan de entresemana.*

Idem interpres in illo carmine, vbi Rex Anius 43

Veterem Anchisen agnouit amicum.

Amicitia etiam est in amici aduersitate retinenda.

Expendit vocem illam *Veterem.* Victum videbat, extorrem à domo, ferè naufragum; non tamen amici fortunam, sed Veterem amicum aestimans excepit hospitio.

Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.

Veterem inquit (Donatus) *Quasi dicat, Illum talem tunc habuit amicum, qualem habebat stante Troianorum felicitate; neque secutus est fortunam, vt Polymnestor; & tantum habuit amicum, quantus fuit, non quantus veniebat.*

Æneas ad Apollinem, 44

Da Pater atque animis illabere nostris.

Firma fidu-

cià ad obtinẽda à Deo beneficia potentissima est.

Notat ibi Donatus *Imperatiuo* vsum esse peccantem, non alio: sic enim firmam esse fiduciam ostendit, fore, vt ex voto sit res euentura. *Vsus est autem Imperatiuis, Da, Illabere; quod est deprecantis ex fiducia in Apollinem, qui Troianis fauebat.*

45 Ex interdũ consolationes à Deo, vt timorem omnino nõ expellant.

Imperij æternitatem Troianis pollicetur Apollo;

Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Sed ita eam pollicetur, vt non sit sine timore & tumultu lætitia.

Hæc Phœbus; mixtóquè ingens exorta tumultu
Lætitia, & cuncti, quæ sint ea mœnia quærunt,
Quò Phœbus vocet errantes.

Tumultu (ait Seruius) *quia dixit. Exquirite.* Landinus. *Tumultus timor multus, vel timor multorum. Nam lætitia illa, quæ erat ex promissione æternitatis Imperij, corrumpebatur, cum diffiderent posse intelligere, quas terras Phœbus significaret.*

46 Dura mollibus, seuera blãdis, amara dulcibus commiscet Deus.

Amora dulcibus; seuera blandis commiscere nobis Deus solet interdum. Imò dura si præeunt, si seuera præcedunt, mollia ac felicia subsequantur ferè necesse est. Apollo Troianis felicissimam Imperij fortunam polliciturus, vide quo vtatur exordio, quàm seuero! quàm amaro!

Dardanidæ duri.

Vbi Seruius. *Vel futurum ostendit laborem; vel eorum arguit insipientiam.* Res dura, si primum; amara, si secundum; si vtrumque, seuerissima. Hac vsus in illos seueritate præparauit ad gloriam, ad felicitatem præoccupauit. Quæ illa?

Deus deprimit nos interdum, vt securiùs attollat.

Antiquam exquirite matrem,
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris.

Illos priùs deprimit, vt securiùs attollat: nam aptissima est ad gloriam præparatio, præuia depressio. Vt autem hoc interdum Dei esse consilium animaduertamus, sic concludit hunc tractum Poëta prudentissimus.

Hæc Phœbus.

Vbi idem Seruius hæc verba, quæ in meam nunc sententiam vsurpo. *Mirè autem sequenti versu hæc ostendit, dicendo, Hæc Phœbus.* Nota, necessariam esse Dei vocem, vt labores amemus, *Hæc Phœbus.*

47 Vel in mortis limine mortem diuerimus, vitam vocamus.

Mortalium hæc cæcitas est, vt cum mortem iam prope videamus in ianuis, vitam vocemus. Imo mortem vitæ nomine indigeremus. Exemplo nobis Æneas sit, qui lib. 11. ad Pallantem occisum iam, & Turni dextrâ & ferro cruentum, eam tandem salutationem impertit, quæ viuorum est,

Salue æternùm mihi maximè Palla,

Quasi

Quaſi cum viuenti agit, quem videbat occiſum. Hominum hæc amentia eſt, quoquo modo mortem diuertere, vitam vocare. Longè aliter Pater Anchiſes, quam voluit prudentiſſimus Poëta prudenter in longæuitate ſentire. Sic enim ille ad Troianos ſuos, quibus fœlicitatem prædicebat, Apollinei interpres oraculi;

Audite, ô Proceres, ait, & ſpes diſcite veſtras.

Veſtras dixit *ſpes*; quoniam præ ſenio media iam ferè tenebatur in morte. Quaſi dicat; Veſtras diſcite ſpes, quibus iuuenilis adhuc ætas longam annorum ſeriem pollicetur; ad me certè non pertinent, qui præ longæuitate iam vocor ad tumulum, Seruius. *Veſtras dixit, quia ſenex loquitur, & quia ſcit breui ſe eſſe moriturum.*

Ad præſentiam Apollinis, qui futuram Troianis felicitatem vaticinatur ex Tripode, omnia viuida ſunt. 48

Nihil viuidum, vbi Deus non eſt.

Tremere omnia viſa repentè
Limina, lauruſquè Dei, totuſquè moueri
Mons circum.

Vbi Donatus, *Expende*, inquit, *Motio earum rerum præſentiam Dei oſtendit.* Quid non viuidum præſente Deo? quid non emortuum illius abſceſſu?

Stultum eſſe, aliquid polliceri, quin præmittamus, *Si Deus annuat*, ſi *Dominus velit*, vel quid ſimile, abundè docet hoc Emiſtichium 49

Stultum eſt, aliquid tibi futurũ polliceri, niſi Deo authore.

Modò Iuppiter adſit.

Quis enim es tu, qui tibi poſſis vel leuis horulæ particulam in craſtinum promittere? Donat. Benè; *temerarium enim eſt, polliceri aliquid de futuro, cuius ſumus incerti, niſi Deus faueat.*

O humani appetitus quàm eſtis moræ impatientes! Æneæ nauigantis illa vox eſt, poſt breuiſſimam & feliciſſimam nauigationem. 50

Omnia ſunt tarda humanæ cupiditati.

Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.

Vide fœlicitatem, paulò enim antè dixerat *Pelagoquè volamus.* Et

Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes.

Breuitatem ſatis oſtendit, cùm tres tantùm dies in nauigatione ex Anchiſes prædictione poſuerit

Tertia lux claſſem Cretæis ſiſtet in oris

Quæ ergo tanta moræ impatientia cum cauſa vlla non ſubſit? Humanæ ſanè cupiditati omnia ſunt tarda. Benè Seruius. *Tandem ad deſiderium pertinet nauigantium; nam ſequitur,*

Ergo auidus muros optatæ molior vrbis.

Meliùs Donatus. *Quod autem dixit Tandem, non prolixa, aut tardæ nauigationis fuit, ſed cupiditatem deſiderantium voluit demonſtrare; tardum eſt enim cupientibus, etiamſi celeritate ſummâ ad optata, vel ſperata proueniant.* 51

Quod nobis perijt bonum, hoc excitare, & reparare debemus.

Expendit Donatus Æneam, vbi primùm Curetum oris exponitur, de erigendâ arce, & extruendis muris auidè egiſſe.

52 Administratorem decet vigilare.

Ergo auidus muros, arcemquè attollere tectis
Molior.

Quare de muris tantùm & arce meminit? *Quia quæ precipuè amauit in Troia* (inquit interpres) *hæc reparare cupiebat.*

Concubiâ nocte, dum populi administrator vigilaret Æneas, ecce tibi multo manifesti lumine Penates Phrygij apparent vigilanti, curas demunt, arcana docent.

Nox erat, & terris animalia somnus habebat
Effigiæ sacra Diûm, Phrygijquè Penates
Quos mecum à Troia medijsquè ex ignibus vrbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
Insomnis.

Non dormienti sed vigilãti inuigilat Deus.

Landinus legit *insomnis* ideſt vigilantis, ita vt insomni Æneæ facta ſit apparitio; non verò in ſomnis, hoc eſt, dum dormiret; ſed dum vigilaret. *Hoc enim* (Landini verba) *decet populi administratorem.* Huic, dum vigilat, advigilat Deus. Vide fuſiùs infra num. 54.

53 Amœnissima noctis & diei hypotyposis. Sibimet dies hæres exiſtit.

Nox erat. Tertullianum audi, amænissimè de nocte & Die, ſubobſcurè licet diſſerentem. *Dies moritur in noctem, & vſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur. Sordent, ſilent, ſtupent cuncta: vbique iuſtitium eſt, quies rerum: ita lux amiſſa lugetur. Eſt tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra, & tota vniuerſo orbi reuiuiſcit, interficiens mortem ſuam, noctem: reſcindens ſepulturam ſuam, tenebras: hæres ſibimet exiſtens; donec nox reuiuiſcat cum ſuo & illa ſuggeſtu. Redaccenduntur enim & ſtellarum radij, quos matutina ſucceſſio extinxerat. Reducuntur & ſyderum abſentiæ, quas temporalis diſtinctio exememerat.* Pulchra ſanè & amœnissima Hypotypoſis. Conſule interpretes, qui librum de Reſurrect. Carnis, vbi hanc inuenies, elucidant.

54 Vigilanti Superiori Deus fauet.

Ideò Æneæ Phrygij apparuêre Penates, quia *Insomnis* erat, cum alij dormirent.

Visi antè oculos adſtare iacentis
Insomnis, multo manifeſti lumine.

Alij legunt *In ſomnis*, ſed perperam. Dubium non eſt, quin *Insomnis* legendum ſit; *nam qui ſequitur verſus*, (inquit Donatus)

Corripio è ſtratis corpus.

Oſtendit vigilantem. Nam poſuiſſet, Experge factus ſum, ſi dormyſſet. Huiuſmodi homines, vigilantes, insõnes, oculatos requirit Deus, quos alijs præficiat, & Superiori in ſpecula collocet, quibus & faueat, & ad ſubditorũ vtilitatẽ cõducentia præmõſtret. Salutari monitu dignantur Æneam Troiani Dij, quia Vigilias ſeruabat, cum cæteri ſomno fruerentur, *Magnus ergo Numinus fauor!* (Donati paraphraſis) *quia vigilas, Dei iuſſa famulantibus Dijs ad tuas aures veniunt.* Expende *Famulantibus Dijs:* quæ vigilanti Superiori cœlum non præſtet obſequia?

Quæ

Quæ Deo debita præstamus officia, gratus ipse rependit & iactat. Vel Gentium Dijs proprietatem hanc voluit Virgilius affingere, ad vberiorem laudem Æneæ sui quem pijssimum erga Deos, & gratam à Dijs vicissitudinem expertum depingit. Sic enim illi, quos ex medio igne & ruinâ Troianâ pius extraxerat.

Quæ Deo debita præstamus officia, gratus ipse rependit & iactat.

Nos te, Dardaniâ incensâ, tuaquè arma sequuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.

Gratissimum sibi iactant officium ab Ænea pijssimè persolutum; & hac salutari demonstratione rependunt. Landinus. *Magna laus Æneæ, oportuit enim magnum esse ducem, & Dijs gratum, quem ipsi non dedignarentur.*

Vide verò quàm cumulatè rependant.

Ijdem venturos tollemus ad astra nepotes;
Imperiumquè vrbi dabimus. Tu mænia magnis
*Magna para, * longumquè fugæ ne linque laborem.*

* Vox Dei est, quæ ad labores nos vocat.

Vbi præclare Donatus. *Dij ergo Penates huiusmodi erant, qui præterita memorando, futura meliora pollicerentur. Artis est igitur excludere sollicitudinem primam, & liberato angoribus animo alterius laboriosæ nauigationis labores ingerere.* Ad labores ergo inuitatio Deorum erat ore promenda, quibus ad cumulatissima præmia peruenitur.

Reprehensio sit necesse est, vbi culpa est, sed mollis illa quidem, non seuera non acris vt plurimùm. Magisterio cœli docemur hanc legem. In deductione originis Troianorum, quam Anchises proposuit, longè aberrauit; vnde in alios etiam errores facilè suos potuit inducere. Ab hoc errore Æneas liberatur à Dijs, qui ita ad illum 56

Mollem reprehensionē docemur à Superis.

Surge age, & hæc lætus longæuo dicta parenti
Haud dubitanda refer.

Expendit Donatus verbulum illud *longæuo*, & ait cum reprehensione Anchisis positum esse, cum molli, inquam reprehensione, quia in Troianæ originis causa Troianus senex, & sacrorum ac prophanorum antistes errare non debuerat. Dicite longæuo isti, turpiter errasse; hoc autem, quod præcinimus Dij sine dubitatione tenendum. Lapsus longæuus est, longæuo ergo dicite. Si iuuenis esset, in illum conferenda culpa non erat, quia iuuenis: nunc vero conferenda est, quia senex. *Longæuo, cum reprehensione occulta posuerunt, quia errare non debuit senex in originis suæ causa.*

Expende quæso obiter in hoc tractu, Anchises longæui canos à Superis esse in hac molli reprehensione obseruatos. Non illum dixerunt rerum ignarum, veritatis immemorem. sed tota in voce *Longæuo* blandâ reprehensio posita est. Hùc fortasse Donatus trahendus est. *Dij vocem illam Longæuo cum reprehensione occulta posuerunt.* si, qui reprehendebatur iuuenis esset, fortasse reprehensio occulta non fuisset. Dij vel obseruauere longæuum. 57

Senum canos vel Senpeti obieruant.

Grandia Donatus commentus est verba in illum locum, vbi Penates

Dij ſic ad Æneam,

Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo eſt,
Hic canit.

Nec cumulatus geminis diſcurſibus labor te rurſus ad Ortigyam renocet, atque eadem, qua transmiſeras maria, impretrandi alterius reſponſi neceſſitate cogaris intrare, vltrò, qua deſideras, Apollo porrexit. Habes nominis eius grande compendium. Compendioſè quidem ac penè diuinitùs illi Dij in Dei nomine felicitatum omnium *Compendium grande* poſuerunt.

59
Præpropere dulcia, lentè nobis propinantur amara.

In explicatione emiſtichij illius,

Corripio è ſtratis corpus.

Moralis eſt Seruius. præproperè, notat, dulcia mortalibus, lentè affatim amara propinari. Vix dulcem capturus ſomnum decubuit Æneas, cum corpus è ſtratis corripit, longam & fœdam tempeſtatem ſubiturus, ſequitur enim,

Caruleus ſupra caput adſtitit imber
Noctem, hyemenquè ferens, & inhorruit vnda tenebris
Excutimur curſu, & cacis erramus in vndis, &c.

Deorum munus à nobis non ſine infelicitate noſtra diſcedit.

Corripio inquit (verba Seruij) *ne ſatietate videatur reliquiſſe ſomnum.* Dulcia nunquam ad ſatietatem; (nam ſomni quies *Dono Diuûm gratiſſima*, Serpit.) A dulcium prælibatione vocamur ad amara. Vlteriùs hic ſeruius. *Quoties ex abrupto ſomnus aufugit, omen infœlix ſignificatur. Nam hic tempeſtas ſequitur; & in lib. 2. Excutior ſomno, ſequitur etiam excidium vrbis. Nec ſine ratione; nam ſi ſomnus munus Deorum eſt, vt dono Diuûm gratiſſima ſerpit, non ſine infœlicitate munus Deorum diſcedit.* Pulchre ſanè & verè!

60
A laboribus ſolida ſibi gloria paratur.

Illa ſolida gloria eſt, quæ laboribus parta. Anchiſes ergo, vt Æneæ maiorem ſibi beneuolentiam conciliet, ita ſuam ad illum exorditur oratiunculam, quà de præteritæ nauigationis recuſatione ad Cretam purgationem ingreditur.

Nate Iliacis exercite fatis.

61
In ſuam quiſque defenſionem ingenioſus eſt.

Nullus glorioſior occurrit titulus, quo commendaret Æneam quàm quod afflictus, proſtratus, peſſûdatus Iliacis fatis, millenis, grauibuſquè laboribus preſſus, oppreſſus tamen non fuerit. Hæc ſolidior laus eſt, quàm vt labefactari vnquam poſſit, aut ruere.

Quàm in ſui quiſque defenſionem eſt ingenioſus! Errauerat, Troianorum periculo, in nauigationis ad Cretam perſuaſione Pater Anchiſes. Attribuit fatis Iliacis, quod ſuo deberet errori. In illa verba:

Nate Iliacis exercite fatis.

Hoc acute notauit Donatus. *Non dixit, quòd ipſe Æneas proprio fato laboraret, ſed quod fato patria eſſet oppreſſus. Hac fuerunt ante cauſam; parabat enim errori ſuo defenſionem, vt laborem irrita nauigationis ad Cretam, Troia fatis adnecteret; Incipit iam purgare factum ſuum.*

exc

ex quo intelligebat se graui inuidiâ laborare iuxta eos, qui laborauerant frustrà. Enititur illâ arte dicendi, quâ vti debemus, si quando totum negare non possumus: tunc enim excusatio probabilis adhibenda, aut extenuatio necessaria est. Quæ res tantùm prodest, vt culpam aut remoueat penitùs, aut plurimum frangat. Habes in his Donati verbis & ingenium Anchises, conferentis in Troiæ fata errorem suum: habes & suasionis præceptum, cùm probatio laborat.

Qui se ab aliquo læsos sentiunt, illius solent communitatem & cœtum odisse. Stultum hoc. Quid enim in omnes, vnius culpam conferas? quid communitas pœnam vni debitam luat? Vna Troianis multa infausta prædixit Harpia in omnes Æneas iratus inuehitur. 62 Ne illius, qui te læsit communitatē oderis.

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis.

Vbi benè Donatus; *Propter vnã, quæ illis multa aduersa nuntiauerat, execrabatur omnes.* Ex mortalium ingenio multorum dictum est.

Strophades insulas post tempestatem sæuam ingrediuntur Troiani. Ibi. 63 Sæpè sub pietatis prætextu irrepit impietas.

Læta boum passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.

Quid tum? *Irruimus ferro, & Diuos, ipsumque vocamus*
In prædam, partemque Iouem.

Crimen crimini adiungunt, quando in partem furtiuæ prædæ Diuos vocent & Iouem. Speciem pietatis habet hîc error, quem notauit Donatus, qui in paraphrasi ait, *Vt quod fiebat illicitum esset nobis commune cum Dijs.* Hîc non placet Seruius.

Famelici Dardani non mensæ apparatum requirunt, sed lib. 1. 64 Mensæ apparatum nō expectat fames.

Fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

Donatus in illud huius lib. 3. emistichium,

Extruimusque toros.

Sic ait. *In libro primo Poëta dixit, Fusique per herbam quia lassitudine & fame naufragi vrgebantur. Hîc dixit, Extruimusque toros quia in magna copia herbarum nihil magnum fuerat congeriem cespitum struere, quibus discumbi potuit, & non magna properandi ad epulas necessitas vrgebat.*

Eos interdum acris oratio habet aculeos, vt non medocriter pungat, imò animum figat. Talis illa Harpiæ Celeno fuit, quæ illatæ vltrix iniuriæ sic ad Troianos, 65 Aculeata verba animum figūt.

Animis atque hæc mea figite dicta.

Dicta figi cordibus nihil hîc aliud est, quàm corda dictis figi, inquit, Donatus, *Figite, quæ infixa vos vulnerent & excrucient competenter.* Acuta explicatio.

Acris vltor est culpæ, timor pœnæ. Postquam conquesta Celeno de iniuriis est tibi à Troianis illatis, quam illis proponit pœnam? 66

O quam

quam vltrix gratiam refert? Nullam aliam legimus præter comminationem pœnæ,

Ibitis Italiam, portusquè intrare licebit.
Sed non antè datam cingetis mœnibus vrbem,
Quàm vos dira fames, nostraquè iniuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.

Maximè reorum animos torsit hic timor futuræ seuerissimæ pœnæ, & fortasse grauiùs quàm si præsenti supplicio afficerentur. Ingeniosè Donat. *Quod autem desit vltor admissi, ipsa pro vltione ingerit, quod esset præsenti pœna grauius. Quid enim est in instanti supplicio peius, quam diu expectare quod metuas? Quid sæuius, duriùsque in tormentis, quàm gerere pectore, quod animum diuturnâ expectatione torqueat? & omne corpus affligat?* Nullum grauius potuit supplicium proponere, quàm quod ad corpus simul redundat & animum, (vt expendit Donat.) vt corpore & animo pœnas debitas luant. Ideo Celeno eadem vltrix præmisit

Animis atque hæc mea figite dicta,

Quæ vox infixa vulnerent, & excrucient competenter. Ex Donatianâ paraphrasi.

67 Quod nuntiatur infelix, facilius à nobis creditur, si cum felici misceatur; & è contrà. Vt Troiani crederent, quæ Celeno infaustissima prædicebat, hâc illa est vsa arte dicendi, vt præmitteret felicia, quæ subsequerentur aduersa. Id enim vltrix Celeno conabatur, vt suis dictis adhiberetur fides, quò grauius futuræ infelicitatis metu Troianorum pectora pungerentur, vulnerarentur, excruciarentur. Audi felicia.

Quod infaustũ nuntiatur, faciliùs creditur, si felici misceatur; & è contrà.

Ventisquè vocatis
Ibitis Italiam, portusquè intrare licebit.

Vide infelicia, *Sed non ante datam cingetis mœnibus vrbem,*
Quam vos dira fames &c.

Vbi pulchrè Donatus. *Vt autem hoc, quod contrarium fuerat, & illis ad pœnam proficiens, faciliùs crederent, prospera iunxit aduersis, dicendo, Italiam cursu petitis* &c. Vide lib. 2. in illud, *Sacra suosquè tibi*, &c.

68 Celeno Teucris imprecatorias irata minas obiecit, quod immeritas ab eis tulisset iniurias. Quas vt Superi auerterent, precatur Anchises,

Eorum solet cœlum imprecationes exaudire, qui immeritas patiuntur iniurias.

Dij prohibete minas, Dij talem auertite casum.

Vbi Donatus. *Cum dicit Dij prohibete minas ostendit nihil esse dispositum, sed ne oriretur, fauorem diuinum esse necessarium. Ne omen facerent, petit minas prohiberi: nonnunquam enim accidunt, quæ ab iratis optantur.*

69 Cum insperatâ Troiani tellure potiuntur, patrias nudi palestras laboribus exercent.

Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socij.

turpes frenantur affectus.

Notat Donatus, videri posse inhonestos & turpes hos ludos, nisi inter victos, inter egenos, tempestatibus actos, vexatos fame, & laborum congerie pressos, exercerentur. *Dicit quales ludos* (ait Donat.) *ne ob luxuriam facti videantur, quia victis, & malè peregrinantibus non congruebat exercere vulgares,& turpes.* Opportuna excusatio turpium ludorum, qui non damnari certè non possent, si ab otiosis, & bene potis, & pransis ederentur.

Præclarè Donatus ait dedecere grauem virum à fœminis id exquirere, quod à viris discere potest, in illud Maronis; cum Troianum Helenum in Græcia regnare audiuit Æneas, illiusquè vxorem Andromachen esse, quæ Hectoris fuerat, an ita se res haberet, voluit inquirere; ita ipse, 70

Ne à fœminis roges, quòd à viris discere potes.

Obstupui, miroquè incensum pectus amore,
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.

Non dixit, compellabo fœminam, & ab illa discam; sed *compellabo virum: Decuit grauem virum*, (Donat.) *vt vir, viro referente, desiderata cognosceret.*

Cum ad Græciam applicuisset Æneas, vidit Andromachen, quæ 71

Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lachrymis sacrauerat aras.

Coniugalis amor retinendus, altero etiam coniuge mortuo.

Donatus ibi notat. *Sapiens est Poëta consilium tractantis personam mulieris, soluentis inferias mortuo, & illius amorem retinentis.* Quæ vt conspexit & agnouit Æneam, dubitans an viui facies vera esset, an mortui, de Hectore marito lachrymans rogat,

Hector vbi est? dixit, lachrymasque effudit.

Prouenerunt lachrymæ (inquit idem interpres) *ex mariti recordatione.* Retinebat adhuc mariti affectum, & maritalem nondum animo amorem abiecerat.

Sola Andromachæ marito mortuo soluebat inferias, cum ecce tibi ad se venientem hominem vidit. Audi Æneam, 72

Horreat sola fœmina viri cógressum.

Vt me conspexit venientem,
Quid illa? *Diriguit visu in medio, calor ossa reliquit;*
Labitur.

Expende illam *visu in medio* diriguisse; non plenè vidit, & diriguit tamen. Iustam honesta fœmina causam habuit stuporis atque deliquij, cum ad se solum virum cernit accedere, virum, inquam, non suum. Annotatio marginalis Anonymi est. *Rectè, antequam virum non suum plenè conspexerit, diriguisse dicitur.* Vel vmbra alieni viri terrefaciat honestam. Addit Donatus; Si vel ad tumulum & sepulchrales inferias posita viri congressum adeò exhorruit, quid si liberiori illa in loco, & insidiis exposito? Vide infrà *num.74.*

Vel inter lachrymas, & mariti inferias posita Andromache, innatæ

73 fœminis curiositatis obliuisci non potuit. Ipsa prior Troianos vidit, illos alloquitur,

Innata fœminis curiositas est.

Vt me conspexit venientem, & Troia circum
Arma amans vidit. Non dixit, *illam conspexi*, sed *me conspexit*.

Pulchrè Donatus. *Prior vidit mulier, prior loquitur: Æneæ verecundia intemerata seruatur.* Adeò insita illis curiositas est! adeò verecundiores viri!

74 Imprudens omninò Virgilius haberetur, si, cum obuios inuicem fingit Æneam, & Andromachen, alio illa cultu, quàm funesto, esset, aliove in loco, quàm ad sepulchrum, mariti cineribus parentans.

Mortis memoria extinguit libidinem.

Ante vrbem in luco falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manesquè vocabat
Hectoreum ad tumulum

Salua res est, securus omninò congressus, licet mises ille, illa perpulchra sit: conuisuntur ad tumulum, colloquuntur ad cineres. Acutè Donat. *Videamus, vtrùm Poeta memor fuerit sui.* (Omnia Maro ex prudentiâ, & decoro) *Non vult Æneam cum muliere sponte conseruisse colloquium, quod veniret ex dispositione propria voluntatis: debuit & illam inducere ad tumulum, & parentalibus obsequiis occupatam*, & addit. *Ecce Æneæ verecundia intemerata seruatur.* Quid mirum, si ad tumulum & cineres?

75 Statim atque Andromache vidit Æneam, illum de Hectore marito rogauit,

Præter mariti nomen, aliud fœmina vsurpet, aut nouerit nullum.

Hector vbi est?

Addit deinde Poëta, *Dixit* De marito, proprio nomine, rogat, neque aliud prætereà: dixit quod debuit, & fortasse quod potuit. Omnia sibi, honestissima coniux in suo Hectore posita existimabat. Anonymus ad marginem notat; *Post mariti nomen, quod gemebunda protulerat, nil potuit loqui; id enim totam ei vocem ademerat.* Non aliud coniugis honestæ vox proferat, aut lingua exprimat, quàm mariti nomen, *Hector vbi est? dixit.* Extremum orationis verbulum illud esse solet *dixi*, quia nihil vltrà dicendum est.

76 Felicissimam Polyxenam dicit Andromache, quæ ad vltimam vsque animam virginitatis florem illibatum seruauit, quamuis alioquin infelicia multa sustinuerit.

Felicissimus quisquis Virginitatē ad tumulum vsque seruauit.

O felix vna ante alias Priameïa Virgo,
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori. Felix, inquit, quæ mori iussa fuit, hoc est, inuiolatâ Virginitate.

Infelicius nihil est amissione pudoris.

Pulchrè sanè Landinus expendit hæc verba. *Quamuis & in ætatis flore, & in regiâ potestate constituta, quibus duobus priuari miserrimum videtur, felix dicenda est. Quamuis Priameïa iussa mori, & ad hostilem tumulum, & ad ipsa Troiæ mœnia (quæ omnia indignissima sunt)*

sunt) tamen sortitus non pertulit vllos. Grauissima hæc detrimenta; quis neget? sed illud grauius, *Amissio pudoris.* Iussa est mori, quod indignissimum est, sed Virgo iussa non est, quod felicissimum. Ingeniosè ad rem nostram Donatus. *Ex comparatione ostendit miserrimam, esse felicem tamen, comparatione sui, quæ pudorem amiserit; quando mors in illa exclusit violentiam pudoris.* Et Seruius; *Ideò felicior, quia Virgo extincta est.*

Tot inter hostes, effrenes milites, insolentes victoriâ, mirum est Polyxenæ pudori nullam vim esse illatam. *Felicem Virginem* appellat Andromache, & *Vnam* dicit *ante alias*, quasi aliæ pudoris detrimentum acceperint, *Vna* illa nullum. 77

Puluis & cinis turpissimum quemque retardat & frenat.

O felix vna antè alias Priméia Virgo.

Nemo hoc miretur, inquit Donatus; illa enim erat *ad tumulum*, & Achillis cineres, quorum ea præsentium vis est, vt insolentissimum quemquè retardet, effrenatissimum coërceat, turpissimum contineat, & frenet.

Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori.

Hæc igitur sit verborũ syntaxis, *Felix Virgo*, quia *ad tumulum hostilem mori iussa est.* Victrix illius Virginitas ex tot luporũ turpitudine enasit, quia ad tumulum cineresquè confugit. *Priameia Virgo* (Donati verba) *perijt Virgo, & omnes exclusit pudoris iniurias, saluâ dignitate paterni honoris, quæ non ad hostilis cubilis iniurias, sed ad sepulchrum ducta est.* Felix sepulchrum Virgini, vbi non est sepulta, sed erecta Virginitas!

Ad hostilem tumulum ducta est Polyxena, vt Achillis manes placarentur hac victimâ. Indignam Regiæ Virgini tentabant Græci necem inferre, nimirum, *ad hostilem tumulum.* Sed tumulus Virgini certè non fuit hostilis, amicus fuit: saluo illam pudore vindicauit à lupis. Et vnde illi hostiliter infamem Virgini necem quærebant, felicissimæ mortis emersit vtilitas. Vide quàm non ex voto interdum accidat hostibus petiti illatio damni! quam citrà opinionem miseris! 78

Vnde damnecem hostis tentat inferre, emergit vtilitas.

Ingeniosè Donatus ait, tunc Polyxenam cumulatissimè adiunctum *Priameia* meruisse, (hoc est Priami Regis filia, regio sanguine nata,) quando Virginitatis florem, ad vltimam vsque animam, illibatum seruauit. 79

Verè illi Regio sanguine digni, qui Virgines sunt.

O felix vna ante alias Priameia Virgo,
Hostilem ad tumulum, Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori!

Duplici tibi nomine debetur hic honos, & quòd filia verè Priami sis, & quòd Virgo occubueris. Regiam tibi coronam nectit & Natalis, & Pudor. Ad rem planè meo iudicio Donatus. *Priameia Virgo, perijt Virgo, perijt saluâ dignitate paterni honoris.* Quasi dicat;

si Virginitate violatâ periisset, paterni honoris dignitas in Polyxenâ salua non esset. Regia ergo, & Priameïa vocetur, quia Virginitate seruatâ mori iussa est.

80 Cum ad Æneam Andromache, quæ sibi acciderant aduersa, narraret, notat Seruius, pudori semper, etiam in vocibus, quibus vsa est, consuluisse.

Pudori sẽper est, præcipuè à fœminis consulendum.

Nec victoris heri tetigit captiua cubile.
Iuuenemquè superbum
Seruitio enixæ tulimus

Tetigit, dixit, non, ascendit : nec genialem torum, sed cubile ; & plurali vtitur, Tulimus, ad excusandum pudorem. Ita Seruius.

81 Cum secundas & tertias Nuptias cum Pyrrho, & Heleno narrat Andromache, ad illas se dicit necessitate compulsam, ne illius pudor aliquâ possit ex parte culpari. Nam Pyrrhus, inquit,

Secundæ & tertiæ nuptiæ pudori sunt fœminis.

Qui deinde sequutus,
Ledeam Hermionem, Lacedæmoniosquè hymenæos,
Me famulam famuloquè Heleno transmisit habendam.

Vbi Donatus. *Ecce necessitate iuncta est Pyrrho, necessitate Heleno, vt secundæ, & tertiæ coniunctionis facto, pudoris non accesserit detrimentum. Tradidit me, inquit, Heleno, & coniunxit, quos vna status conditio retinebat : fecit istud vt dominus, cui resisti non potuit.*

82 Magna Heleni laus est, quòd regiâ dignitate opibusquè præfulgẽs Troianos naufragos, abiectosq; Troianus ipse lætus agnoscit, & fouet.

Felicitas difficilè abiectos agnoscit amicos.

Sese à mœnibus heros
Priamides, multis Helenus comitantibus offert,
Agnouitquè suos, lætusquè ad mœnia ducit.

Vbi Benè Donat. *Fecit Helenus, quod inter homines sæpè difficile. Nonnulli enim fortunæ suffragiis fulti despiciunt suos, quos fata deiecerint. Nonnulli pudore potius, quam voluntate humani sunt. Iste & agnouit suos, & lætus duxit ad domum.* Fecit quod pauci, sed quod ingenuo sanguine, & regia dignitate dignissimum.

83 Cum excipit Helenus ex inopinato Troianos, lætus excipit,

Apud mortales lachrymis lætitia miscetur. Nulla pura felicitas.

Agnouitquè suos, lætusquè ad mœnia ducit.

Sed vide quid immediatè sequatur,

Et multùm lachrymas verba inter singula fundit.

Si lætus, quid lachrymans? si lachrymans, quid lætus? cum hi sibi inuicem sint affectus contrarij. An lætitiæ indices hæ lachrymæ sunt, quas nonnunquam lætitiæ affectus solet elicere? Non id placet Donato, qui ita ibi; *Vno in loco duos motus animi eodem tempore Heleno dedit, lætitiæ scilicet, & mœroris, qui sunt sibi ex affectu contrarij. Nã quomodo lætus fuerat, si iugiter flebat? Quod lætum dixit & flentem, alterum fuit, quòd videbat suos; alterum, quòd malorum communium recordatio dolentem cogebat in lachrymas.* Nulla pura apud mortales felicitas est. Et lætitiæ & mœroris Heleno Troiani causa eodem

tempore

tempore fuerunt, Vidit suos, lætitiæ causam; sed quid non miserum & calamitosum vidit in suis, quod eodem tempore expressit & lachrymas, & vberrimas lachrymas?

Struxerat Helenus (post Troianum excidium meliorem fortunam sortitus) *paruam Troiam*, vbi humanissimè Troianos excepit. 84

Ingenui ingenij est aliena merita exaggerare, deprimere sua.

Et paruam Troiam, simulataquè magnis
Pergama.

Qui cum paulò post Æneam affaretur, vtpote qui ingenuissimæ naturæ vir esset, sic addit,

Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Troiam.

Quasi dicat. Troiam ego euersæ similem conatus erigere, vmbram potui, Troiam non potui. Hoc tibi Dij immortales, tuisque meritis annuunt, vt quàm simillimam astruas. Age, tibi datum est fortissimo viro, & vndequaquè maximo, quod mihi negatum. Ego *paruam Troiam, simulataquè magnis Pergama*, Tu vero *ingentem Troiam feres ad æthera*. Pulcherrimè Donatus. *Fac, inquit, ingentem Troiam pro merito tuo; ingentem ideò, quia fecerat Helenus ipse, sed paruam. Certum facit hoc, dicendo, quòd per ipsum Troia fortunæ resurgent.* Regalis animi est, aliorum merita præiactare, propria deprimere.

Et Rex erat Helenus, & sacerdos: cum illum Æneas alloquitur, plus sacerdotio tribuit, quàm regno. 85

Plus debetur venerationis sacerdoti, quam Regi.

His Vatem aggredior dictis, ac talia quæso.

Pariter hæc verba Donatus, & primum *Aggredior* Regi accõmodat; secundum vero *Quæso*, Sacerdoti: & addit; *Aggredior, quasi superbum est, Quæso autem humile: vnum fuit, quòd veniret ad Regem ex fiducia ciuis & affinis; alterum honorificentiæ, quam Deorum cultor debeat sacerdoti.*

Helenus consulturus Apollinem, præmittit sacrificium, 86

Accedẽdum ad sacra animo omni curâ soluto.

Vittasquè resoluit
Sacrati capitis.

Vbi Landinus. *Volebant antiqui in sacris corpus solutum esse; vt per id significaretur, animum ab omni cura solutum debere ad sacra accedere.* Idem affirmat Seruius, quod & probat Pontanus in Symb. *In ratione Sacrorum*, (ait Seruius) *par est, & animæ, & corporis causa. Nam plerumquè quæ non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus; vt soluere vel ligare, quò possit anima, quod per se non potest, ex cognatione sentire: Inde est, lib. 4. de Didone,*

Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta.

Benè ergo Helenus cuncta corporis soluit, ne qua parte animo ligato ad Numen accedat. Aliter explicat Zerda; sed hæc mihi placet interpretatio. 87

Iucundiora nobis sunt, quæ per nos ipsos facimus.

Sic Æneas Heleno & Andromachæ,

Effigiem, Xanthi, Troiamquè videtis
Quam vestræ fecere manus

Iucundiora multò sunt, (commentatur Landinus) *quæ per nos ipsos, quàm quæ per alios conficimus. Vnde ad consolandam Venerem Iuppiter,*

Sublimemquè feres ad sydera cœli
Magnanimum Æneam.

Per te ipsam Natum feres ad æthera, vt sic maior tibi cumulus iucunditatis accrescat.

88 Laudabilis munerum largitio est, sed quæ illa sint, & à quibus, & cui, considerandum. Non enim decet, donent fœminæ viris, neque viri omnes omnibus fœminis. Quando Troiani cum Æneâ duce, ab Heleno & Andromacha tandem digrediuntur, illi ab Heleno munera, ab Andromacha puer Ascanius accipiunt. Illa ab Heleno

In donis videndum est, quæ, & à quibus & quis accipis.

Dona dehinc auro grauia, sectoquè elephanto
Imperat ad naues ferri; stipatquè carinis
Ingens argentum, Dodonæosquè lebetes,
Loricam consertam hamis, auroquè trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasquè comantes,
Arma Neoptolemi: sunt & sua dona parenti.
Addit equos, additquè duces.

Hæc ab Andromacha donantur Ascanio.

Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo
Fert picturatas auri sub tegmine vestes
Et Phrigiam Ascanio chlamydem, nec cedit honori;
Textilibusquè onerat donis

Hîc prudentissimè quidem Donatus & dona, & accipientium, & dantium personas expendit. *Helenus donat argentum, lebetes, galeam, loricam, arma, personis omnia apta fortioribus, ipse quoque vir fortis; nouerat enim quod cuique dare debuisset. Donat autem puero mulier in vestibus vniuersa. Hæc enim conueniebant vtrique personæ.* Puer accipit à cognatâ & puerilia dona, & extrema dona; inquit enim,

Vix à fœmina accipere dona vir debet.

Cape dona extrema tuorum.

A fœmina vir accipere dona non debet, nisi hæ circunstantiæ donationem honestent.

89 Acutè Donatus illa carmina expendit, in quibus, quæ felicissima Anchisi acciderant, enumerat Helenus,

Maxima patri felicitas optimus filius.

Coniugio, Anchisa, Veneris dignitate superbo,
Cura Deûm, bis Pergameis erepte ruinis.

Quid vltra poteſt? Grandia hæc, & nescio an mortali vnquam concessa. Restat adhuc quod patri felicissimum est, quod, quia maximum, ad finem reseruauit. Quid illud?

Vade, ait, ô felix Nati pietate.

Hîc vocem illam *Felix* adiecit, quasi *Plus vltrà* dari nô possit. Donati verba sunt. *Ornamentum totius laudis seruauit ad finem, felicissimum indicans eum, qui haberet filium tanta pietate præstantem. Vsque*

adeò

adeò quod summum fuit, seruauit ad finem, vt nihil dehinc addiderit, quod pertineret ad laudem. Minuitur enim meritum laudis, & cadit, si post præcipua & magna, meriti inferioris deiecta iungantur. Nihil vltrà addidit, quia *Non plus vltrà.*

Proh! quantus hodie vestium abusus est! quàm parùm congruenter personarum statui vestes aptantur, vestibus status! Quando Andromacha Iulio Chlamydem dedit. 90.

Vestis non vltra vel citrà meritum fit.

Et Phrygiam Ascanio chlamydem.

Addit Poëta prudentissimè.

Nec cedit honori.

Ascanij. Regij pueri honori fuit vestis aptissima. Quod notauit Donat. *Tanta gratia fuit Chlamis, vt honori, & merito conueniret Ascanij: nam digna fuit, qua talis vteretur: dignus etiam Ascanius, qui tantum rem applicaret vsibus suis. Sunt enim plerumquè nonnulli, qui cum ipsi sint humiles atquè deiecti, vtuntur vestibus quas deforment; sunt qui cum vestibus suis pari honore contendant. In Ascanio igitur & chlamyde par meritum fuisse laudatum est.*

In Andromachæ donis ad Ascanium honor pariter continetur & præmium. 91

In Principum donis honor & præmium spectanda sunt.

Et Phrigiam Ascanio chlamydem.

Id spectare Principes debent, in donis elargiendis, vt & honori illa seruiant, & præmio. *Illum natum ad fortitudinem ostendit* (ad hunc locum ita Landinus) *cum præbeat chlamydem*; *ea enim vestis militaris est.*

Suprà monuimus à fœminis accipienda viris dona non esse, num. 88. nisi multa donationem adiuncta cohonestent. Verebatur Andromacha, quòd à fœmina munera darentur, Ascanio recusanda; quare & se cognatam, & Hectoream coniugem dicit, vt si cognatio ad accipienda munera non alliciat Ascanium, coniux alliciat Hectorea, quæ à mariti coniugio virilitatem traxerit, fœminam exuerit. 92

A fœminis accipienda viris dona non sunt.

Coniugis Hectoreæ cape dona extrema tuorum.

Pulchrè Landinus. *Non solum propter affinitatem dixit, sed propter fortitudinem, cuius illum imitatorem esse cupiebat, Vnde ipsa paulò ante de eodem Ascanio.*

Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector.

Sui memoriam mortales cupiunt esse, si fieri posset, immortalem. Talem cupit Andromacha, cum puero donat Ascanio, vtpote cui puer cum sit, diuturnior vitæ series restet; 93

Sui memoriam mortales diuturnã cupiunt.

Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint, puer, & longum Andromachæ testentur amorem.

In vocibus his, *Puer*, & *Longum* emphasis est. Quantò tu ætate breuior, tantò mei amoris memoria, quem his testor muneribus, erit diuturnior. Id me puero mouet vt donem, quia puer es; longus in te meus erit amor, quia longa puero vita, vt plurimùm, restat:

æquè mei affectûs memoria atquè tua tibi vita durabit. Donati mens hæc. *Hæc verba hunc habent intellectum; Quia puer es, & sperò te diu victurum, poterit aptè esse in te amoris mei diuturna memoria.*

94 Vim habet máximam filio:ũ amor in matre.

In Andromacha matre singularis erga filios hic apparet affectus, cum donat Ascanio. Vnde nam, cum Ascanius filius non sit? Ideo donat, inquit benè Donatus, quia Astyánactis imago erat Ascanius. Ergo in Ascanio Astyanactem respexit filium, eiquè potiùs munera, quàm dedit Ascanio. Sic illa.

O mihi sola mei super Astyanactis imago!
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Vel filij imaginem amat vt filium, & vt mater amplectitur. Præclarè quidem Donat. *Dum gemit filij memoriam, dum dolores suos miserandâ voce prosequitur, prodidit causam liberalitatis suæ.* * *Arbitrabatur enim quæ tanta conferebat ei, qui Astyanactis similitudinem ferret, non se extraneo donare, sed filio.* Munere illo, quod præbebat Ascanio, suum amans mater nutriebat affectum: non tam Ascanio quam sibi donabat, quæ filium intuebatur in Iulio.

* Rarum est donũ quod lucrum non oleat.

95 Nulli acquiescas felicitati infelicitatis oblitus.

Non ita debemus adulanti seruire felicitati, vt infelicitatem interdum non formidemus. Vident procul Troiani Italiam, quam tandiu expetiuerant, vbi spes fortunæ melioris ex Deorum monitu locatas habebant.

Italiam Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto socij clamore salutant.

Solus Anchises, nihil, de felicitate securus, quâ nondum potiebatur, (vtpote qui in ipso felicitatis portu sciebat contingere posse naufragium) poculi libatione Deorum mereri voluit auxilium, vt felicissimè Troiana classis potiretur Italia, ad cuius tandem conspectum peruenisset.

magnum cratera coronâ
Induit, impleuitquè mero, Diuosquè vocauit,
Stans celsa in puppi.
Dij maris & terræ, tempestatumquè potentes,
Ferte viam vento facilem, & spirate secundi.

Animaduertit Ascensius. *Seruat in omni re Poeta diligens ipsum decorum; nam socij Italiam salutabant læti, quoniam tam vicini essent. Anchises autem non contentus Italiam inuenisse, nisi id bono auspicio fieret (sæpè enim res læta tristem habent exitum) precatur Deos, vt prosperam omninò nauigationem concederent, sciens quòd etiam in portu perierint multi.*

96 Vel vestigia præteritæ infelicitatis terrorem ingenerant.

In ipso ad Italiam Troianæ classis appulsu, ait Æneas,

Equos in gramine vidi
Tondentes campum latè candore niuali.

Quos vt vidit Anchises, læuum interpretatus est omen,

bellum ò terra hospita portas.

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Occurebat Equus ille, qui ab excidio Troiano Troianus dicitur, vnde duces Græcorum fortissimi in Troiani imperij ruinam armati prodierant. Cuius memoria ita animum vulnerauit, eum terrorem iniecit, vt bellum præsumpserit, cladem extimuerit. Ita nonnulli apud Donatum, quos ille suppresso nomine citat,& refellit,sed meo iudicio refellit immeritò. *Non quia equo Troia perierit,* (inquit) *vt quidam ridiculè dicunt,sed doctrinâ suâ equos ostendere bella dixit.* Non ita ridicule, mi Donate,cum ita naturâ comparatum sit, vt vel vestigia transactæ iam infelicitatis terrorem ingenerent.

Aliud hîc documentum innititur, Melle nimirum & felle mortalia omnia misceri. Vix mel felicitatis prælibatur à Dardanis ad cōspectum lætum Italiæ, cum infaustum occurrit omen in ipso appulsu, equi nimirum, qui bellum minantur, ex Anchisis interpretatione. 97 Melle & felle mortalia miscētur.

Quæ præcedenti numero Donati verba retulimus, Ascensio debes; nunc ipsissima cape Donati. *Hîc quidam coniiciunt, quòd Anchises exemplo Equi ducti, perquem perijt imperium Troiæ, pronuntiauerit, equos istos bellum significare. sed falsum est.* Quem mihi falsitatis stipulatorem adducis, cum id & rationi consonet, & mortalium naturæ?

Vlterius lege, & precedentis numeri argumentum firmabis. 98 Idem argumentum.

Bello armantur equi. bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen ijdem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre,
Spes est pacis, ait.

Minantur,inquit, bellum;sed tamen ijdē indices pacis sunt ad frena iugumquè concordes. Vtrumquè probabile, sed incertum vtrumquè. Hinc mella prægustāt Troës, hinc felle cibantur. Donatus pulchrè. *Quomodo, inquit,significant bellum, pacem quoquè significare possunt. Dixit quemadmodum va-leant etiam spem pacis ostendere. Pronunciatione tamen duplici atquè,diuersâ,vtrumquè facit incertum.* Hoc æstu rerum mortalia laborant.

Nequè abit ab hoc argumento, quod sequitur. Vix applicant terræ, cum armisonæ Palladis templum occurrit in portu. Quare inquit Æneas. 99 Idem argumentum.

Tum Numina sancta precamur
Palladis armisona, quæ prima accepit ouantes.

Vbi Donatus. *Armata Pallas occurrit, quæ demonstrabat per coniecturas bellum; quæ meritò rogabatur, vt prosperum faceret, si quid fortè imminere posset aduersi; & ouantes dimitteret, quos ouantes acceperat.*

Inter Caribdis scopulos & horrenda saxa graue periculum subiere Troiani; 100 Sociorum vnio vel maximū periculū euadit incolumis.

Tollimur in cœlum curuato gurgite, & ijdem
Subductâ ad manes imos descendimus vndâ.

Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedêre:
Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.

Iubet tunc Anchises, vnà omnes remis insurgant, & vnitate seruatâ procedant;

Eripite ô socij, pariterquè insurgite remis.

Id enim voces ille sonant *Socij* & *Pariter: Socij* idest *sociati, colligati, adunati: Pariter*, idest, *simul omnes*. Hac ergo vnione freti remorum luctam fluctuumquè aggrediuntur, & sistuntur incolumes. Acutè Donatus. *Socios non frustrà hic appellauit; in communi enim periculo omnibus simul fuerat laborandum, ne simul omnes sorberet Carybdis.* Vnione factum est, vt ex periculo salui siculas oras appellerent; sequitur enim.

Ignarique viæ Cyclopum adlabimur oris.

101 Ictus fulmine Iouis Enceladus fuit, quòd cum Gygantibus cæteris aduersus Deos vim & arma tentauerit, Fulminatum sacrilegum & impium hominē Ethna suscepit, & vstulati corporis cineres fouit. Eâdem idcirco pœnâ punitur Ethna, quâ Enceladus, *Ruptis flammarum caminis expirat.*

Qui sceleratos fouet scelerati pœnâ punitur à Superis.

Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemque insuper Ethnam
Impositum, ruptis flammarum expirare caminis.

Huc meo Iudicio Donatus. *Enceladum Gygantem finxerunt, pro sacrilegio, quod aduersus Deos cum cæteris Gygantibus admiserat, semiustum fulmine Iouis ingentis Ethne molibus esse subiectum; perindequè montem ipsum ignem ructare fulminis pænâ.* Qui sceleratum fouet, scelerati pænâ puniatur.

102 Gremio excepit suo Enceladum Ethna. A consortio tali quid non sceleratum ethna contraxit? Audet & ipse cœlum appetere, qui Cœlipetæ coniunctus est.

Praui consortij vis.

Attollitquè globos flammarum, & sydera lambit.

In cœlum flammarum euomit globos, & audet in sydera, Ex impij vel mortui consortio etiam insensibilia impios mores addiscunt. Tanta illius vis est.

103 Quàm latè patet inter mortales adulatio! Græcus ille, qui ex syluis Troianis occurrerat, vix ossibus hærens, de quo Virgilius

Latè vagatur adulatio.

Cum subito è syluis macie confecta supremâ
Ignoti noua forma viri.

Adulationem præ se tulit Troianorum, & detractionem Vlissis, qui Troiam euerterat; *Infelicem* vocat, vt sic se in eorum beneuolentiam insinuaret, & captaret amorem.

Sum patriâ ex Ithacâ, comes infelicis Vlissis.

Vbi notat Landinus; *Hoc dicto gratificatur ijs, qui Vlissem oderant.* Troianos probat, damnat Vlissem, Græcus apud Troianos.

Sæpè

Sæpè accidit, vt de miserâ inimici tui fortuna læteris. Misera omninò illius Græci fortuna erat, quem hac formâ vidêre Troiani, 104 Interdum de miserâ inimici fortuna lętaris.

Macie confecta supremâ
Ignoti noua forma viri, miserandaquè cultu
Procedit, supplexquè manus ad littora tendit.
Respicimus; dira illuuies, immissaquè barba,
Consertum tegmen spinis; at cætera Graius.

Quem cum talem vidimus, inquit Æneas, *Respicimus*; iterùm iterumque, non satis semel aspexisse contenti, respicimus, non tam illius miseratione commoti, (licet formâ & cultu miserãdus venisset) quàm lætabundi, quòd Græcum, & hostem, in statu adeò misero cerneremus, vt expendit Donatus. *Quàm gratum*, ait, *fuit Troianis, vt talem viderent inimicum suum!*

Græcus hic tunc maximè vitam appetebat, cum grauissimæ sese neci vltrò offert, inferendæ à Troianis; mortis crudelitate propositâ, facilè conuincitur, viuere se maluisse, quàm mori. Inquit enim, 105 Vitam appetis, cum grauissimæ te te vltrò morti offers.

Spargite me in fluctus, vastoque immergite Ponto.

Spargite me in fluctus, in partes scilicet diuisum, (Donati verba) *quod facilè fieri potuit ex occasione loci; sed ne fieret, crudelitas facti descripta est.* Vnde ille,

Si pereo, manibus hominum periisse iuuabit.

Si pereo, inquit; ergo vitam appellas, mortem exhorres. Præclarè idem interpres. *Ecce vbi prodidit, quod viuere maluit, quam occidi: Si Pereo dixit, non cum periero. Si Pereo cum dicit, & discriminis sui exitum facit incertum, & ostendit se duci spe, quòd impetrare misericordiam posset.*

Quàm ille Græcus ad mortem intrepidus, qui ad Troianos, 106 Vel ad mortem intrepidus, venientem formidat.

Spargite me in fluctus, vastoquè immergite Ponto!

Vbi Zerda. *Si fingitis fluctus, si pontum, si hiatus vastos; en me, spargite in fluctus, ponto immergite, detrudite in barathrum.* Sed statim illam formidat, *Si Pereo*, inquit. Quàm ibi intrepidus! quàm hîc trepidus est! Moriturus aggreditur, victurus loquitur. Donatus. *Ostendit malle viuere, nam si Pereo, dixit, & non cum periero.*

Quæ obijci possent & reprehendi in hoc Græco, Græcus ipse fatetur, ea præoccupans, vt sic faciliùs misericordiam apud Troianos mereatur, & veniam. 107 Qui sua cõfitetur errata, misericordiã meretur & veniam.

Scio me Danais è classibus vnum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.

Vbi Zerda. *Fatetur se Græcum esse, bello Troiam petiisse, præoccupans videlicet, quæ possent obiici. Qui locus efficax ad hostilem iram retardandam: fit enim, vt ibi quis dicat, quæ in se sunt vitiosa, nihil alteri relinquat ad reprehensionem. Quid quod eodem affectu misericordia excitatur?* Sed operæpretium est audire Donatum in hanc rem. *Vltrò confessus est originem suam, atque hostem se esse non negauit, &*

propter sacrilegium, quod in Deos Penates admiserat, iudicium de se habuit, omnibus pœnis dignum se esse confirmans. Fecit hoc, vt confitendo, indulgentiam mereretur, & viueret. Præoccupauit, vt viueret; vixit, quia præoccupauit. Nam sequitur,

Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus
Dat iuueni, atque animum præsenti pignore firmat.

Vbi præclarissimè Zerda. *Oppositio in vocibus. Dat Iuueni manum, quia Pater. Et quidem ex decoro magno inducitur Anchises senex cum hac humanitate erga hostem. Firmat animum præsenti pignore. Quod hoc pignus præsens? dedisse manum. Nam præbitione manus continetur amoris, & fidei pignus.*

108 Mala malos conscientia terret. Achemenides ille Græcus vt Troës cognouit esse, qui appulerant, contra quos ipse arma sumpserat *Conterritus hæsit.*

Isque vbi Dardanios habitus, & Troïa vidit
Arma procul, paulum adspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum.

Vbi apud Pontanum Donati paraphrasis. *Ex eo magis intelleximus, vnum fuisse de hostibus, & ex eo prior nostra firmata suspicio, quia cum nos Troianos cultu, & armorum iudicio cognouisset, territus concientia substitit paululum; sed necessitas vicit.* Vt nos vidit, suâ territus conscientiâ est: nam quid grauiùs, & penitiùs malos quàm mala conscientia terret?

109 Deus corde simul & opere est implorandus. Cum sibi proximum à Polyphæmo periculum extimescerent Græci, vide quid agant.

Nos magna precati
Numina, sortitique vices, vnà vndique circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto.

Ope priùs à superis imploratâ, nihil ipsi indormierunt, sortiuntur vices, vnà vndiquè circumfunduntur; sicque factum est, vt exitus illis veniret ex voto. Landinus fusè & eruditè. *Precabantur ergo Deos; sed quoniam non desidibus, ignauisque opem Dij ferunt, sed beneconsulentibus, & rectè agentibus; idcircò illos & prudenter, & fortiter omnia tentare inducit. Quod exprimit Sallustius, Non votis, neque precibus muliebribus auxilia Deorum parantur; sed agendo & beneconsulendo. Non igitur imitandæ sunt mulierculæ, quæ in preces effusæ nihil ex se tentant; neque rursus adeò nobis fidendum est, vt sine diuinâ ope quidquam consequi posse putemus. Sed vtrumque adhibendum est.*

110 Oculus prudentis in capite. Notatu digna sunt illa verba Seruij in Carmina hæc, vbi dolis Vlissis excepto Polyphemo

Telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod toruâ solùm sub fronte latebat.

Multi, (inquit ille) *Polyphemum dicunt, vnum habuisse oculum; alij duos, alij tres. Sed totum fabulosum est. Nam hic vir prudentissimus fuit, &*

& ob hoc oculum in capite habuisse dicitur, id est, iuxta cerebrum, qui prudentiā plus videbat. Verum Vlysses eum prudentia superauit, & ob hoc eum fingitur obcæcasse. Consule Zerdam.

111 Quærit Donatus, quare Virgilius Gygantum altitudinem comparat altitudini quercuum & cyparissorum, & non quarumcumque, sed earum, quæ in sylua Iouis, vel in lucis Dianæ? Aëriæ quercus, & proceræ cyparissi non inueniuntur alibi, nisi in Iouis & Dianæ consecratis montibus? Et quidem certum est alibi plurimas inueniri. Sed voluit ingeniosus Poëta huiusmodi quercus, & cyparissos ad significandam Gygantum proceritatem adducere, quæ, quia Superis consecratæ sunt, auctiores & altiores esse solent, quòd nemo illas aut violare ferro, aut falce putare, aut aliqua ex parte audeat attingere.

Quidquid Superis cō-secratur, & vberius habetur & auctius.

Quales cum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterant, silua alta Iouis, lucusve Dianæ.

Acutè Donatus. *Constiterunt proceritate sua vincentes arborum celsarum altitudinem, constitutarum in Deorum lucis; quæ idcircò immensæ sunt, quia præter naturam suam plurimum consequuntur incrementi, dum religionis causâ seruantur.* Idem sentit Seruius; *Ideo in sylua Iouis & lucis Dianæ, quia propter religionem diu permanent.* Sed nota obiter, pro sexto casu placuisse Poëtæ loqui per appositionem, vt dicunt, hac ratione: quales quercus, quæ sylua est Iouis; quales cyparissi, qui lucus est Dianæ. Hæc ad litteræ expositionem.

112 Prudenter sanè, & ex oppositione perpulchrâ Virgilius Anchisem dicit in Portu periisse. Mortis pericula multa euasit in mari, in portu non potuit. Vbi securior vita, ibi certiorem mortem inuenit. Petiuit portum, vt viueret, qui inter fluctus sæpè vicinam mortem exhorruisset; portum appulso occurrit mors, vita recessit præsentes illi mors insidias tetendit in portu; quæ inter vndas fluctusquè pepercerat. Sic sese mortaliū res habent, vt ibi vitæ terminū inueniāt, vbi longissimam sibi animorū seriem pollicebantur. Inquit Æneas,

In ipso interdum occidit portu, qui tempestates sæpè euasit incolumis.

Hîc Drepani me portus & illætabilis ora
Accipit; hîc pelagi tot tempestatibus actis,
Heu genitorem omnis curæ, casûsque leuamen,
Amitto Anchisen.

Hæc alti doloris ratio est, quòd in *Portu.* Ingeniosè Donatus. *Addebat amissi patris dolorem etiam ratio loci, quem ipsum duplicato aduerbio Heu patefecit: dixit quippe patrem suum periisse in portu, qui tot alti maris casus, & pericula euasisset.*

113 Drepanitano Æneas adscribit & imputat portui, quod sibi triste ac luctuosum acciderat.

Sæpè imputamus locis, quod nobis triste lætiuè contingit.

Hîc Drepani me portus, & illætabilis ora
Accipit.

Expressit plenam moralitatem (ait Donat.) *nam si quando aliqua importuna accidunt, vel luctus, hac, in dolore positi, nonnunquam locis adscribimus, quasi nobis aliquid inflixerint, vel infligere potuerint. Æneas igitur Drepanitano applicat loco, quod acciderat fatorum ratione.*

114 Parentum vitam bonis leuamen esse filiis, inquit verè Æneas,

Paren. vita leuamen est filiis.

Heu genitorem, omnis curæ, casusque leuamen
Amitto Anchisem.

Donatus sic. *Definit Poëta quam vim apud filios habeat incolumitas patris; Omnis, inquit, curæ, casusque leuamen, hoc est, in omnibus periculis leuatus sum dolore, dum pater vixit.*

115 Notat Donatus egregios viros, vel morte interueniente, neutiquam mori, expendens in hoc carmine *Hic me pater optime fessum Deseris*, verbum illud, *Deseris. Non dixit*, (inquit) *mortuum, sed deseruisse filium. Veteres enim egregios viros non mortuos, sed per commutationem locorum translatos putabant.*

Viri egregij, vel ipsâ interueniente morte, nō moriuntur.

116 Libet hic Scaligeri Iulij, politissimi Maronis altera Idea, si quisquam alius, notam scribere. *Et mortes quidem apud Maronem, quas frequenter necesse erat describere, nunquam eiusdem modi. Fato suo fungitur Anchises, Misenus ab amulo Tritone ob inuidiam, & temeritatem, Palinurus ob fidem, Lausus ob pietatem, Mezentius ob vltionem, Pallas ob audaciam, Aruns ob perfidiam, Camilla ob fortitudinem, Turnus ob auaritiam, & gloriam, spoliis detractis. Videbis quoque in ipsis praliis tot diuersos modos, quot intereunt.* Lib. 3. Poëtic. cap. 4. Gaudet vbique varietate poësis.

Gaudet varietate poësis.

117 Quasi præsentes alloqui ex affectu solemus, qui longè distant, vel abierunt ex viuis: sic Æneas ad parentem apostrophat, qui viuos reliquerat.

Quasi præsentes eos alloquimur ex affectu, qui longè distant, vel mortui sūt.

Hic me pater optime fessum
Deseris.

Benè Donatus. *Tantus dolor fuit perditi patris, vt apud Didonem positus quasi cum eo præsente loqueretur.*

118 Pulchrè sanè Donatus expendit, quod Æneas de parentis obitu loquens,

Ab inimicis interdū certiùs de veritate monemur, quā ab amicis.

Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus; non dira Celæno.

Neque Helenus paternam me mortem præmonuit, cum alia mihi multa timenda prædixisset; & quod maximè mirum est, neque inimica Celæno, quamuis plurima mihi minata sit vates, hunc luctum aperuit, (nam ab inimicis certiùs interdum de veritate monemur, quæ importare dolorem potest, quàm ab amicis. *Nec mihi prædixit Helenus hos luctus, cum multa admiranda prædiceret, neque ipsa Celæno, cum multa optaret maledicta; ac per hoc, hac futura nec amicus dixit, neque inimica nuntiauit.* Ita Donatus.

Suos

Suos Æneas casus, & dolores narrabat inuitus: sic enim ille ad Didonem lib. 2. 119

Tuorũ narratio dolorum tibi est grauissima.

Infandum Regina iubes renouare dolorem,
Quamquam animus meminisse horret, luctuquè refugit,
Incipiam.

Ergo grauissima illi suorum dolorum narratio fuit; cui cum finem imposuit, Virgilius ait, *Conticuit tandem* Tandem dixit vt explicaret, quàm ille inuitus earum narratione rerum memoriam refricaret. Donatus. *Tandem ad ipsum pertinet, qui casus suos narrabat inuitus. Cæterum auditores intenti fuerant, & adhuc audire cupiebant.*

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER QVARTVS.

1 Quid discriminis inter verum & adulterinum amorem.

PRÆMITTO Ex Landino in Prolog. Commmentationum in lib. 4. (cum liber hic Didonis amores erga Æneam contineat, sed modestissimè, vt decet Vatem Partheniā) quid Amor sit, qui verus, qui adulterinus. *Amor est*, inquit ille, *desiderium pulchri. Pulcritudo autem ipsa est gratia quædam viuax & spiritalis, Dei radio illuminante, inprimis Angelo infusa; inde animis hominum, corporumquè figuris ac vocibus; quæ rationem, visum, & auditum mouet, atquè delectat; delectando rapit; rapiendo ardenti inflammat amore. Pulcritudo triplex est; in animo, quæ oritur ex concinnitate virtutum. In corpore, quæ est ex plurium colorum, linearumquè concordia. Gratia itidem maxima in sonis, quæ ex vocum diuersarum consonantia nascitur, Pulchritudo ergo animorum mente, corporum oculis, vocum auribus percipitur. Cum ergo amor sit fruendæ pulchritudinis desiderium,*

semper

ſemper mente, oculis, auribus erit contentus; quoniam iſtis ſolis percipitur pulchritudo. Olfactum autem, & guſtum, & tactum negliget, quia iſtorum ſenſuum appetitio non amor eſt, ſed furioſa libido, rabieſquè vocatur. Hec Landin.

Præmitto ſecundò ex Maioragio Præf. in.4. Æneid. *Vt aliorum librorum ordinem prætermittam, quid hoc libro.4. magis ordinatum? vbi per gradus quoſdam ſenus ille puer, qui Cupido dicitur, pudica matronæ mentem expugnat. Non enim illi ſtatim obſcœnam voluptatem proponit, ne turpitudinis facies eius conatum infringat: ſed Æneæ virtutem, & nobilitatem, & pulchritudinem oſtentat; quæ omnia admirata Dido, ſororem ſuam Annam alloquatur, & Æneam quidem prædicet, ſed tamen fidem Sichæo datam frangere ſe nolle dicat. Verum Anna multis rationibus oſtendit, vtile Didoni fore, ſi ſeſe Æneæ coniunxit; quibus verbis animum iam incenſum inflammauit, atquè ita paulatim tantum effecit, vt occaſionem in ſpeluncâ nacta, pudorem omnem exuerit. Deinde cum Æneas diſceſſurus eſſet, quid non effecit, quid non tentauit Dido, vt eum, ſi quomodo fieri poſſet, in Africa retineret? Sed tandem poſtquam nullam ſpem ſibi ſupereſſe vidit, de conciſcenda ſibi morte cepit cogitare. Hic eſt ordo pulcherrimus, atquè naturalis.* Hæc Maioragius. 2 Paulatim Amor & per gradus quoſdam mentem expugnat.

Premitto tertiò ex Aſcenſio quanta ſit Amoris vis, Præf. in hunc librum. *In hoc libro, quæſitâ occaſione, deſcribit Poeta vim Amoris, qui virum pietate grauem, & fataliter in regnum Italiæ deſtinatum, potuit in muliebribus complexibus detinere: & reginam, aliaqui grauem, & conſtantem impatientiâ ad ſui necem impellere. Id autem facit prudens, & commodus Poeta, quò mortales animos ab amorum illecebris auertat; cum nemo ſit à venereis laqueis tutus, niſi qui omne obiectum procul habuerit, & carnis luxum domuerit.* Sic Aſcenſius. Nunc ad huius libri legendos floſculos veniamus. 3 A Venereis laqueis optimus quiſque tutus non eſt.

Acutè ſanè & aptè Seruius Quartum Tertio libro connectit. In tertio Æneas cum Narrationi finem impoſuiſſet, 4 Amati ſomnus inſomnem facit amantem.

Conticuit tandem, factoquè hic fine quieuit.

Sequitur Quartus, *At Regina graui iam dudum ſaucia cura.*

Emphaſis eſt in particula *At.* Quaſi dicat; Æneas ſeceſſit ad requiem, ſeceſſit ad ſomnum, At Regina capere ſomnum aut dare membris placidam quietem non potuit. Quid enim poſſet amans, quam amati ſomnus inſomnem fecitſet? Parum namquè in illo amoris eſt, aut certè nihil, qui *facile* indormit amori; neque attendit amantem: Vigilet ergo Regina Dido, & dicetur *inſomnis*, cum dormit ille nequè curat amantem. *Stultè quidam dicunt* (Seruij verba) *hunc librum tertio non eſſe coniunctum, (in illo enim nauigationis pericula, in hoc amores Poëta exequitur) non videntes optimam coniunctionem. Cum enim tertium ſic clauſerit Factoquè hic fine quieuit, ſubſequutus eſt, At Regina &c. Item paulò poſt. Nec placidam membris*

bris dat cura quietem: nam cum Æneam dormire dixerit, satis congruè subiunxit, vt somno amans careret. Amati somnus insomnem efficit amantem.

5 Amor cor vrit. Idem interpres inde dictum Amorem *Curam* ait, quod cor erat,

Iam dudum saucia curâ.

Curâ, idest, armore intolerabili, vt Mequè his absoluite curis. Cura ergo ab eo, quod cor vrat. Et Ascensius; *Graui curâ Amoris scilicet; qua cura cor vrit.*

6 Suas ipse amans alit, nutritque miserias. Sua ipsi amantes detrimenta infeliciter alunt, miserè nutriunt. Ita de Didone Virgilius.

Vulnus alit venis.

Cum ad necem *saucia* est, non vulnus alligat, non medetur amori, sed refricat vulnus vulnere, cruorem cruori superinducit, & addit torturam torturæ; parum est; imò alit vulnus, fouet cruorem, torturam nutrit. Præclarè Landinus. *Alit, dixit, nam amorem ipsum diuturnâ cogitatione augemus. Quid ergo infelicius amante, qui & ipse suas nutriat miserias?*

7 Amor ad venas vsquè sua venena diffundit. Temetum est Amor, qui amantes tentat, & labefactat; hoc affatim ebria Regina fuit, sic habes in primo. *Longumquè bibebat amorem:* Venenum est, quo illa iamdudum infecta à Cupidine ex Veneris præcepto, quæ suprà ad filium, *Fallasquè veneno.* Et Venenum, & vinum tunc fortiùs effectum operantur, cum ad venas vsquè funduntur. Ad Didonis venas quàm altè penetrauerant! quam sese infuderant! immedicabili penitùs ebrietate, & venenatione misera Regina tenetur, quando *Vulnus alit venis* alit, inquit, ipsa suis venis; quis medeatur? medicinam enim ille respuit, qui suamet amat vulnera, & alit. Seruius. *Venis, inquit alit, quia per venas Amor currit, sicut venenum; inde dictum, Fallasquè veneno, item, Longumquè bibebat Amorem.* Venatum auidus Amor est, & temeto sese aut veneno propinat.

Immedicabilis est Amor.

8 Et cominùs, & eminus vulnerat amor. Ideò facem habere & sagitas fingitur Amor, quia eminùs his, illâ cominùs feriat, ac vulneret. Et sagittis & faculâ aggressus est Reginam.

At Regina graui iam dudum saucia curâ
Vulnus alit venis, & caeco carpitur igni.

Vulnera sagittis inflixit, sauciauit & faculâ. Eminus sagittauit, cum absentem mente voluebat Æneam; sic enim infra.

Multa viri virtus animo, multusquè recursat
Gentis honos; hærent infixi pectore vultus,
Verbaquè, nec placidam membris dat cura quietem,

Et alio in loco. *Absentem auditquè videtquè.*

Cominus face succendit: vnde,

Vritur infelix Dido, totaquè, vagatur
Vrbe furens.

In

In miserâ ergo Didone & pharetram consumpsit, & faculam. Vide igitur quàm altè & vulnere carperetur & igne! Seruius. *Benè alludit ad cupidinis tela, vt paulo post ad faculam, Et caeco carpitur igni; nam sagittarum vulnus est facis incendium.*

Acriter sanè oppugnata Regina est & sagittis & facula Amoris; non tamen facilè acquiescebat Amori, amori inquam turpi; eas excogitabat rationes, argumenta, non quæ amorem averterent, sed quæ honestarent amorem, 9 Ingenui sanguinis est non facilè acquiescere turpitudini.

Multa viri virtus animo, multusquè recursat
Gentis honos.

Virtus viri, & Gentis honos illam alliciunt; nondum ait Poëta pulchritudine viri amantem moueri. Retrahebat ingenuus sanguis, quamuis impellebat impurus. Seruius benè. *Benè mediam se facit præbere Didonem inter regalem pudorem, & amoris impulsum. Simulat enim se virtutem mirari, cuius pulchritudine commouetur.* Sibi ipsi Regina tentat occulere, quod animo ipsa experitur & sentit. Ideo dixisse illam putauerim *Gentis honos*, non *Æneæ honos*; *Viri virtus*, non *Virtus Æneæ*; Luctam regio sanguine nata interiùs patiebatur, nequè exteriorem amoris notam vel sibi soli, præbere ausa est: quare amoris obiectum sui in genere *Virum* appellat, non *Æneam* nominat; Seruius notat: *Gentis dixit, & viri, non Æneæ, vt sit excusatio*, Sed quia de Amoris pugna in hoc numero, audi Landinum, qui ingeniosè de Regina nostrâ, cum ratione & appetitu pugnante, sic differit. *Quàm honestè illa ante ipsum Amoris initium!* Sibi ipsi Amans tentat occulere, quod ipse adhuc experitur & sentit.

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur. 10

Sed consilio Veneris, Amoris vi, & Æneæ virtute, honore, pulchritudine impulsa labascit, & de habitu temperantiæ, in quo bene volens, & sine difficultate operabatur, deiecta, non à bono adhuc discedit; sed pugnat ratio aduersus appetitum, qui olim obtemperans fuerat, nunc autem ab ea deficit: vicit tamen adhuc ratio; & idem agit nunc Dido, quod agebat, dum erat temperata, sed cum difficultate. In ipsa enim temperantia nulla erat pugna, nam appetitus cuncta pro rationis imperio exequebatur: nunc verò in contrarium nititur. Insurgit enim appetitus, quando, Vulnus alit Venis, quando caeco carpitur igni, quando hærent infixi pectore vultus, & quando huic vni potest succumbere culpæ, quando sentit veteris vestigia flammæ. Sed tamen in hoc acerrimo certamine tandem appetitus succumbit, cum ita decernitur à ratione. Amoris pugna in amante tyrone.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras
Ante, pudor, quàm te violem, aut tua iura resoluam.

Paulò verò postea, cum ad tot acerrimos hostes blandæ sororis persuasiones accederent, superior euasit appetitus, & rationem, quamuis inuitam, traxit, factaquè est mulier ex continenti incontinens. Vnde est illud.

His dictis incensum animum inflammauit amore ;

Spemquè dedit dubia menti, soluitquè pudorem.

Ac demum per incontinentiam obduxit habitum intemperantia Quod ostendit cum ait.

Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem.

11 Amoris grauior est cura ijs, qui altiori in statu sunt, aut dignitate.

Ingeniosè Virgilius, cum graui curâ sauciam Didonem dicit, *Reginam* appellat.

At Regina, graui iam dudùm saucia curâ.

Erat proculdubio cura grauis Didoni, quia Regina; quia præexcelsa in dignitate constituta erat, Amoris cura grauior vrgebat. Hinc Amor, inde regalis dignitas, regius sanguis, suis propositum exemplum pugnabant: inpellebat ille, hæc retardabant. Non ergo tunc vocetur *Elissa*, aut *Dido*, sed *Regina*, quo illa nomine tardabatur, & grauissimum sibi experiebatur amorem. Acutè Seruius. *Sanè benè Regina, quia contra dignitatem amor susceptus grauior esse solet. Ex hoc enim nomine pudoris nascitur causa, & præcipuè potiundi difficultas.*

12 Amor mentem obcæcat.

Duplicem Landinus interpretationem verbuli illius *Caco igni* adducit, *Caco*, idest, occulto, *Nam quantò occultior est, tantò est vehementior. Vnde* Quid.

Quoquè magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

Deinde, quia Amor cæcus pingitur, quoniam lumine rationis priuat eos quos afficit. Vnde infrà Dido *Malesana* dicitur.

13 Specie honesti malus amor solet irrepere.

Cæpit tunc Regina Dido perire quando sub honesti specie cæpit amare. Diaboli hoc stratagema est, quo multos expugnat. Caue caue huiusmodi insidias. Ab Æneæ virtute, & animi magnitudine, Reginæ amor duxit initium; in illo deinde nobilitatem amauit.

Multa viri virtus animo, multusquè recursat

Gentis hons.

Adhuc honesti nomine sibi Dido palpatur; sed proh Deus! quàm miserè lapsa, quàm sensim perditâ! tertius huius amoris gradus quinam? Audi.

Harent infixi pectore vultus

Verbaquè

Et infrà. *Quem sese ore ferens!*

Præclarè Landinus. *Non ergo capta est à principio formâ specievè corporis; sed multâ virtute viri, quam admirata est, & admirando amare cæpit. Incepit igitur irrepere vitium in eam sub virtutis specie; aliter enim mulier temperata capi non poterat. Cum autem patefacta iam esset amori via per virtutem, incepit admiscere aliquid deterius, sed non tamen malum; nam obtulit hominis nobilitatem generis, qua illam vehementius colligaret; ac demum illam iam istis rebus occupatam ipsâ corporis specie, ac pulchritudine aggreditur; vt tandem à pudico in impudicum trahat.*

Affecto es de amor grande, teneram ojos de larga vista, que descubren

oren en las gracias del amado muchas leguas mas, de lo que es. Magna 14
Troiani virtus erat, magnus honos, quibus Didonem rapiebat amantem; sed quia Amans, non *Magnam* solùm dixit, sed *Multam*, non *Magnum*, sed *Multum*;

Amati dotes exaggerare, affectus est ardẽter amãtis.

Multa viri virtus animo; multusquè recursat
Gentis honos.

Eleganter præfert Poëta ingeniosus vocem, quæ significat numerum, voci, quæ quantitatem. Non *Magna* solùm virtus Amanti, non solum *Magnus* honos, sed plurima illa, plurimus ille. Acutè Seruius; *Multa autem virtus, & multus honos figuratè dixit, nam ad numerum transtulit, quod est quantitatis.* Ex amantis affectu.

De praui Amoris crudelitate quis non? Vide interpretes in illud 15
Virgilianum, Eclog. 8.

Crudelitas praui Amoris expenditur.

Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus; crudelis tu quoque mater,
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Vel in vna nostra Didone Amoris crudelitas & sæuitia deprehenditur, quæ

Cæco carpitur igne.

Carpitur inquam, & primo amore *carpitur*; quid cum adultior ille, amantior illa? Audi & ingeniosum ad hanc rem, & elegantem Osforij locum lib. 3. de Instit. Regis. *Re vera flagitiosi amatores, non amatores, sed hostes potius immanes appellandi sunt. Nisi fortassè credimus Corydonem Virgilianum, Alexiñ illum, quem perditè se amare dicebat, amore vero fuisse prosequutum; ipse se ostendit, atque planè fatetur, qualiter sit animatus in Alexin. Inquit enim,*

Torua Leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam;
Florentem cythisum sequitur lasciua capella,
Te Corydon, ô Alexi; trahit sua quemquè voluptas.

At leæna lupum sequitur, vt eum dilaniet; lupus capellam, vt eam deuoret; capella cythisum, vt carpat, & conficiat. Ergo Corydon insequebatur Alexin, vt eum perderet, & omni dedecore contaminaret. Amatores igitur ij, qui appellantur, id quod habent carum, non vt ornent, & opibus augeant, sed vt omni dignitate, & opibus spolient; non vt alliciant, sed vt carpant, insequuntur. Vide Amoris sæuitiam. Hanc experiebatur Regina, dum *Carpitur.*

Quàm nullas Amor permittit inducias! Hanc Amoris instantiam 16
pulcherrimè Poëta significauit, imò expressit, illâ voce *Recursat.* Frequentatiuo vsus est in frequenti & instanti amantis affectu. Rectè monet Seruius. *Frequentatiuo vsus est verbo, in frequenti amantis cogitatione.*

Nullas amor permittit inducias.

Expendit acutè Seruius Maronis ingenium, cum amoris sui cau- 17
sas Elissam memoriâ refricantem inducit. Æneæ virtus, & Gentis nobi

Amati po-

tior est amor quàm nobilitatis amor. nobilitas animo Didonis recursant; at vultus & verba, *hærent pectore infixa.* Grauis illa vox *Recursat*; grauissimæ illæ, *hærent infixa.* Acriùs illam vultus amati, quam nobilitas pungit, aut virtus. Nobilitati & virtuti vox vna satis, vultui verò & verbis voces duæ, & signatissimæ voces, satis non sunt. Amati namque potior est amor in amante, quàm nobilitatis aut virtutis amor. *Vultus, inquit, & verba hærent infixa* (Seruij verba) *bonos genus virtusque viri recursant; quia superiora vehementiora sunt ad amorem.*

18 Malè sanus est Amans. Emphasin Donatus inesse dicit in voce *Malè sana* huius carminis, vbi Dido,

Alloquitur malè sana sororem.

Mirè autem posuit Malè sana. Sanus est, qui nullo animi, aut corporis incommodo premitur. Malè sanus est, qui animi tormentis affligitur, & pro sano habetur.

19 Nulli arcana credas tua, qui vnanimis tibi non sit. Vt sua credat arcana Regina Dido, Annam potiùs considerauit *Vnanimem*, quàm *sororem.*

Vnanimem alloquitur malè sana sororem.

Ingeniosè Donatus. *Quando Poëta præmittit sororem, præmittit Vnanimem; ostendit aliquid Didonem germanæ dicturam, quod in vulgus non deberet exire. Sed nullam putabat illa confessionem, quando in duabus sororibus vnus animus fuit.*

20 Qui suam pudibundus refugit culpam fateri, toties illam fatetur, quot verba profert. Qui suam præ pudore culpam fateri omninò non audet, toties illam fatetur quot verba profert. Vide quàm per longos verborum circulos suum Dido apud sororem fateatur amorem! Impediebat illam pudor, & quæ semel vix audebat culpam detegere, id suo verborum circulo effecit, vt centies illam propalaret.

Anna (fatebor enim) miseri post fata Sichæi
Coniugis, & sparsos fraterna cæde penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit, agnosco veteris vestigia flammæ.

Quando præ pudore quærit ambages, tot amatorij pectoris testes producit, quot verba profert. Pulchrè notauit Donatus. *Per longos verborum circulos venit ad eam partem, quæ sine iactura pudoris, quamuis apud talem sororem, proferri non potuit: Et confessionem ipsam, quam sciebat inhonestam, non semel effudit.* Pudor ex culpa laborare solet hoc morbo.

21 Nihil nō in amato inuenit amans. Omnia & noua inueniri in Ænea suo affirmat Elissa, cum sic ad Annam,

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens? quàm forti pectore & armis?
Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

Vbi Donat. *Patior inquit, soror, insomnia, dum considero nihil esse in hospite nostro, quod præferri non debeat. Noua quippe in illo sunt Omnia; vt appareat illum Dijs esse progenitum.* Omnia & noua inesse

ineſſe Troiano ſuo putat ex amantis affectu. Pulcherrima huius argumenti probatio eſt, illud Corydonis ad Alex. in Eclog. 2.

Mecum vnà in ſyluis imitabere Pana.

Alter mihi Pan Deus eris in ſyluis. Quid Pan? *Omne* ſonat. Itaque Omnis rerum natura per Deum Pana intelligitur ex commentatione Seruianâ. *Pan Deus eſt ruſticus, in naturæ ſimilitudinem formatus; vnde & Pan dictus eſt, ideſt, Omne.* Eris ergo, inquit Corydon, ſolus tu mihi inſtar omnium rerum. Nihil erit præterea mihi requirendum, ſi tu mecum in ſyluis degere annueris, cum in te rerum vniuerſitas ſit.

Ea vnicuiquè ſua tentatio eſt, vt alia grauior poſſe dari non videatur. Huius eſt notæ illa Didonis, quâ inſtanter premebatur, de quâ ipſa ad ſororem, 22 *Ea vnicuique ſua tentatio eſt, vt grauior vlla dari non videatur.*

Huic vni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Vbi benè Landinus, *Vni dixit, quaſi dicat, tali, vt exemplo careat. La primera en el mundo.*

Vel in ipſo amoris exordio, ex incuriâ luctaminis, turpi ſe Dido putat lapſu fœdatam, quando apud ſororem (vt ita dicam) confeſſionem inſtituit. 23 *Facilis eſt in turpi amore lapſus.*

Anna, fatebor enim, miſeri poſt fata Sichæi &c.

Adeò facilè ex amantis affectu culpa contrahitur, vt Reginam ad confeſſionem cogat & pudor læſus, & conſcia mens; nam fateri & coactorum eſt & culpabilium. Seruius. *Bene vno ſermone & culpam expreſſit, & neceſſitatem. Fateri enim & culpabilium eſt, & coactorum.*

Adeò inſeparabilis eſt amoris affectus, qui ſemel animo irrepſit, vt neque ſepulchro parcat, neque cineribus. Ita ſenſit Eliſſa, quæ de Sichæo ſuo iam vitâ functo loquens, 24 *Vel inter cineres ſpirat amoris affectus.*

Ille meos primus qui ſe mihi iunxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſeruétquè ſepulchro.

Vel ad ſepulchrum vſque cineresquè viuat ille amor, & vltrà ſeruetur ad immortalitatem.

Alio etiam ſenſu accipi non malè illa carmina poſſunt, & ita ordinari; *Quos amores abſtulit ille mihi ſepulchro, illos ſeruet etiam ſepulchro, & ſecum habeat.* Quaſi dicat; Sichæi morte mei mihi ſunt amores ſepulti; illius cineribus effectum eſt, vt amores mei cinereſcerent; potens igitur illius ſepulchrum nunc ſit ad extinctionem amorum, quod olim eundem obtinuit effectum. Extat ipſamet cauſa, perſeueret idem effectus. 25 *Sepulchrum amores auferre, vel extinguere poteſt.*

Notatu illud eſt dignum, Reginam cum eo in ſtatu eſt, quem depingit Virgilius, 26 *Ferueutiori mentis actu multum acquiritur.*

Graui iam dudum ſaucia curâ
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni,

(Quando ratio luctam init cum appetitu grauiſſimam,) tunc in-

R 2 quam,

quam, obortis lachrymis conquieuisse, cum in feruentissimum illum mentis actum erupit,

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Ante, pudor, quàm te violem, aut tua iura resoluam.

Landinus ait, illas lachrymas ex appetitu victoriam & superato manasse; rationem vero victricem conquiesse; nam sequitur,

Sic effata, sinum lachrymis impleuit obortis.

Sic effata, impleuit sinum obortis lachrymis (Landini verba) *quia repugnat appetitus rationi, & coactus obtemperat.* Quæ sic est *effata*, quid ni cogat appetitum rationi succumbere?

27 In causæ difficilis tractatione beneuolè animus præparetur audientis.

Cum difficilis est causæ tractatio, illius est animus beneuolè præparandus, qui deliberat. Hoc vsus artificio Anna ad deliberantem de matrimonio sororem, & neganti parti propensiùs adhærentem;

Anna refert. O luce magis dilecta sorori.

Vbi pulchrè Donatus. *Hoc dicto parauit sibi sororis animum: non enim causam eius leniter tractare debuerat, quam plus se amare professa est, quàm lucem. In eo autem omnis cardo fuerat, quia Dido amare se confessa est, & amori ipsi propter prædictas causas negauerat se esse cessuram.*

28 Priùs aduersarij remouendi, deinde amici conciliandi sunt.

Cum aliquid volumus ex animi sententia venire, prius nitamur, quod aduersarios nouimus, placatos reddere, quàm in rem nostram conciliemus amicos. Expendit Seruius, cur Dido, (cum post suasoriam sororis *spemquè dedit dubiæ menti, soluitquè pudorem*,) sacrificia instituit priùs Cereri, Apollini, & Baccho, deinde Iunoni?

Mactat lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboquè, patriquè Lyæo:
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Est hic sensus altior (ait interpres) *Nam facturi aliquid, antè aduersos placamus, deinde propitios inuocamus, vt*

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Ergo modo nuptura placat Cererem, quæ propter raptum filiæ, nuptias execratur; Apollinem, qui expers vxoris est; Lyæum, qui nisi raptam coniugem habere non potuit: & sic deinde Iunonem conciliat, Cui vincla iugalia curæ. Aduersarios priùs, ne obstiterint, deinde Iunonem, vt fauerit. Ex Amantis ingenio.

29 Moræ impatiens est Amor.

Nescius moræ Amor est, imò impatiens. Adhuc in animalium pectoribus, quæ mactabantur, exta spirabant, cum amaus Dido, inhians, & amoris impatiens, illa consulit,

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Spirantia, inquit Seruius, *quasi adhuc viua. Et hic impatientia expectandi* (addit præclarè Landinus) *ex nimio amore ostenditur; vt hostias adhuc semiuiuas aperiret.* Et Donatus. *Quærebat futura in interioribus pecorum. Consulit, sic posuit, quasi exta possent reuocare responsum;*

penſum ; ſed videntur reſpondere, dum conſulentium viſibus ſigna commiſſæ conſultationis oſtendunt. An fauſta de amore vel infauſta portenderent illæ hoſtiæ, ſatagebat inſpicere, ſed illam Amor impatiens moræ in expirantia adhuc & ſemiuiua exta amantem compulerat.

Notatu dignus eſt ille dicendi modus in magno Marone, quo de Didone. 30

30 *Illum tibi pulcherrimum diem computa, quo erga Deum pius, erga homines liberalis extiteris.*

Inſtaurat que diem donis.

Vtitur verbo *Inſtauro*, quod *integrare*, *renouare* ; *reficere* ſonat. Quid ergo ? diem illa renouauit ? integrauit lucem ? Solis radios refecit ? qui potuit ? Adiecit Poëta Voculam *Donis*, qua adiectione mirus omnino ſenſus reſultat. Ille integratus, ille renouatus dicitur dies, illa inſtaurata tibi lux eſt ; illum tibi Solem pulcherrimum, illum iuueneſcentem computa diem quo erga Deum pius, aut erga homines liberalis extiteris. Quid dies largâ erga Deum pietate, largæ munificētiæ notâ inſignitur, quæ lux multiplici dono erga homines inſignis eſt, dies ille, illa lux multiplici die, multiplici luce niteſcit, illuſtratur. Tot viuis dies, tot bibis luces vna in luce, vno in die, quot beneficia præſtas, quot dona præbes : inſtauras verè diem, renouas verè ſoles & integras, cum munera donas, cum liberali manu dona largiris. Donato ſimul ac Seruio debetur acumen. Ait hic ; *Donis, id eſt muneribus, quæ Dido aut Dijs offerebat, aut donabat Tyrijs, vel Troianis.* Addit ille ; *Neque hoc ſemel, ſed ſæpius faciebat, vt produceret diem*, Dona ergo diem producunt, dilatant ; lucem integrant ; ſoles ſolibus augent, & renouant. Quot dona in die, tot in die dies ; quot munera in luce, tot in luce luces, Plurimos igitur vt viuas annos in anno, liberalem te præſta, munificum age ; temporum ſpatia munerum largitate, & donorum copiâ facilè vinces.

Tot habes dies in die, quot dona præſtas.

Quali pede ſuperior, tali moueri vt plurimum ſolet inferior. quam & ſui oblita Regina Dido & pudoris, & honoris, atque ſuorum ! quàm amoribus intenta ſuis ! quam vanis cogitationibus occupata ! 31

31 *Quo Superiores, eodē inferiores pede gradu que ferūtur.*

Nunc media Æneam ſecum per mœnia ducit,
Sidoniaſque oſtentat opes, vrbemque paratam.
Nunc eadem labente die conuiuia quærit.

Huius notæ reliqua. Hanc Reginæ ſuæ deſidiā Sidonij imitabātur.

Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portuſve, aut propugnacula bello
Tuta parat, pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.

Hinc Donatus moraliter. *Hoc loco oſtenditur Rectorem complere omnia, cum inſiſtit & iubet ; atque eius negligentiâ omnimodò frigere omnia, quæ ante feruebant.* 32

32 *Amorem fallere, eſt maximè arduum.*

Notat præclarè Landinus conari impoſſibilia Didonem, cum fallere conatur amorem.

R 3 Infandum

Infandum si fallere possit amorem.

Quasi dicat (inquit) *conabatur impossibilia; nam amor falli non potest.* Et Zerda ita vocem *Infandum* explicat. *Propriè capio* (ait) *volebat enim fallere eum, cuius astutias nemo facilè eloqui, aut assequi queat.*

53 Absentem amãs videt, audit, affatur amatũ. Amoris maximi affectus ille est, vt absentem amans videre, audire, affari sibi videatur amatum. Huius notæ Didonis amor, quæ Æneam suum.

Absens absentem auditque vidétque.

Vbi Nascimbænus. *Pulcherrimâ alliteratione amantis affectum ante oculos constituit.* Et Zerda. *Qui amant, in absentiâ etiam videntur cernere, & audire quos amant, cum illis etiam colloqui.* Huc reuocandus locus ille Eclog. 2. vbi Corydon, qui formosum ardebat Alexin, cum absenti Amato loquebatur, quasi præsentem illum haberet; Absens, inquam, erat Alexis, cum Corydon suprà.

incondita solus
Montibus & syluis studio iactabat inani.

Quid ergo ex hoc affectu Corydon ad absentem Alexin? audi,

Quem fugis ah demens?

Fugiebat ne ille? quo? vnde? quem? nullus ibi Alexis erat, qui fugeret; quid ergo illius fugam, quasi apud se esset, conqueritur? Præclarè hîc & eruditè Seruius; *Quomodo discedere dicit, quem suprà cum eo diximus non fuisse? nam ait Solus Montibus & syluis, Sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem; vnam, quæ percipitur, & alteram imaginariam, scilicet eam, quæ nascitur ex cogitatione. Vnde ita debemus accipere hunc vsum per cogitationem illâ imaginariâ voluptate, quia & cernere & alloqui videbatur absentem.* Hæc Seruius.

34 Amor desides facit amantes. Ex quo Elisa indulsit amori, induxit ignauiam. Quæ nuper sine amore erat *Instans operi, regnisque futuris*, iam amoris militans castris nihil curat, præter amorem. Amoris insidijs excepta, desidiosè viuit.

Pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cælo.

Quis non hîc Maronis interpres effusè? Ad hanc rem apprimè ille locus Eclog. 2. de Corydone amante; ex quo enim ille tinctus amore, & tinctus ignauiâ est. Sic secum ipse suam arguit ignauiam, desidiam accusat;

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est,

Plus est (inquit præclarè Seruius) *quàm si imputata diceret. Tolerabiliùs enim est, incipere aliquid, quam incepta deserere.* Sed hoc amoris est vitium. Aliter à Landino, aliter à Zerda explicatur hoc carmen, ab illo ingeniosè, ab hoc eruditè: sed Seruius ad rem meam. Lege num. sequent.

Delicias,

Delicias, conniuia, Dido sequebatur & otia, quid ni amore saucia 35
sit, & foueat impurum? Vide delicias, vide conuiuia, lib. 1.

Otiū amorem gignit & fouet impurum.

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisquè parat conuiuia tectis, &c.
Conueniunt, stratoquè super discumbitur ostro.

Quo in conuiuio *Cytharâ crinitus Iopas*
Personat auratâ.

Attende illam otiantem; nunc
Media Æneam secum per mœnia ducit,
Sydoniasquè ostentat opes.

Vbi Landinus pulchrè; *Duo ponit, quibus maximè gaudent amantes: nam & rem amatam libenter apud se habent; & siqua pulchriora habent, non sine vanitate ostentant. Nam ostendere est simpliciter demonstrare; ostentare verò est ad pompam gloriamque ostendere.* Inter hæc otia fouebat amorem. Item,

Suas, qui amant, opes ostentant.

Necnon & noctem vario sermone trahebat
Infelix Dido.

Neque sua tantùm Regina amabat otia, sed & suorum; nam
Non captæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercent, Pendent opera interrupta,

Ex his consequenter sequitur *longúmquè bibebat amorem.* Et *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.* Inter delicias, inter conuiuia, inter luxus, inter otia quid aliud certiùs misera inueniat, quàm impurum amorem? quid securius, quàm vt foueat eundem? Virgilianus ille Pastor eclog. 2. vt amorem fugeret, vt ab amore resiliret, hoc sibi antidothum vltrò propinat, *Negotium:* inquit enim,

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est;
Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget vsus,
Viminibus, molliquè paras detexere iunco.

In hunc sensum explicat Landinus hæc Carmina, ingeniosè sanè. *Remedium* (inquit) *aduersus amorem adhibet, vt vacando rebus vtilibus otium fugiat. Nam hoc est, quod apud Terentium Menedemus obiurgat in filio. Et Ouidius idem sentit, cum ait, Quæritur Ægystus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. Et Florentinus Petrarcha, Amorem ex otio, & humana lasciuiâ natum refert.* Neque futuro vsus est verbo *Parabis*, sed præsenti *Paras*; præsenti enim remedio opus est & constanti, vt pestis hæc auellatur ex animo. Quasi dicat, Ne procrastines Corydon, medelam actutùm adhibe huic morbo, ne serpat in dies, & immedicabiliter illo tabescas, & pereas. (Operæpretium duxi hoc loci addere explicationē Zerdæ illius vocis *detexere. Est detexere* (inquit) *perfectè texere, ex vsu Latij; & nunquā, retexere, quod vulgus male putat, & doctè monet Lambinus, in Plaut. Pseud.* Quod probat authoritate) Ideò Salmacis est turpiter lapsa, quia tota semper in otio; quia fouit otium, fouit

 amorem.

amorem. Contempsit illa sæpè sorores salubriter monentes, lib. 4. Metamorph.

Sæpè suas fama est illi dixisse sorores;
Salmaci,vel iaculum,vel pictas summe pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia misce;
Nec iaculum sumit, nec pictas illa pharetras,
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.

Delitiis indulgebat, & otio, sororum contempto consilio;

Sed modò fonte suo formosos perluit artus,
Sæpè Cytoriaco deducit pectine crines,
Et quid se deceat, spectatas consulit vndas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Sæpè legit flores.

Ab aspectu interim illam Amor inuasit otiantem, & flosculos hinc inde legentem,

Sæpè legit flores, & tunc quoque fortè legebat,
Cum puerum vidit, visumquè optauit habere.

Quàm cito lapsa Salmacis est! *Vidit* inquit, & *optauit*. Si pharetram sagittasquè tractat, si venatum exerceret, si montes cursu fatigaret & syluas, si sudori assuefieret, non amoris grauissimum iugum tam facilè subijsset. Audi hoc loco Georgij Sabini Ethicam interpretationem. *Porrò Salmacidis Nymphæ fabula non tam ad vitium aquæ, quàm ad inertiam,& desidiosum otium,quo vires hominum eneruantur, referenda est.* Et paulò inferiùs. *Describitur primum ab Ouidio locus delitiarum, ac voluptatis, nempè,*

Hic stagnum lucentis ad imum
Vsque solum lympha, &c.

Deinde describitur Nympha inertissimo otio, & amoribus dedita;

Nympha colit, sed nec venatibus apta,nec arcus
Flectere quæ soleat. &c.

Etenim hæc omnia mollium, & luxuriosorum hominum propria sunt, sequi otium, pectere capillos, sese ad speculum intueri, & illo docente vultum componere. Amor siquidem otiosa res, & quemadmodum, ait Menander, amat specula, & flauas comæ tincturas, fugit labores. Hæc Sabinus expurgatus. Ideò casta illam Diana non nouit, quia otiosa Salmacis vagabatur.

Solaquè Naiadum celeri non nota Dianæ.

Quid causæ est,cur Cupido Mineruam adortus nunquam esse fingatur,cum reliquos Deos & aggressus sit, & expugnauerit,nisi quia Armorum illa litterarúmque Dea ab armis ad litteras, à litteris ad arma confugiat? nunquam deses? nunquam otiosa? Sic Lucianus in Deorum Dialog. in eo, quem de Venere & cupidine inscribit. Sic Venus ad cupidinem. *Ab vnâ semper Minerua temperas, cum*

omnes

omnes Deos, & me Matrem adortus expugnaueris, & aduersus hanc neque vllum habet incendium tua fax, & iaculis vacua est pharetra; tùm & ipse arcu cares, neque iaculari noris. Totus hic Dialogus in hanc rem. Otium fuge,quisquis impurum amas fugere amorem.

Ingeniosè notauit Donatus Iunonem,inimicam Troianis & Veneri,vel tunc cum sese in Veneris amicitiam insinuat,prauæ mentis venena fudisse. Quid illa ad Venerem? 36

Reconciliatus hostis fundit sæpè in ipsâ reconciliatione venenū.

Liceat Phrygio seruire marito,
Dotalesquè tuæ Tyrios permittere dextræ.

Quod dixit, Phrygio, ibi est subtile conuitium; quasi abiecto, & infimæ gentis homini; & quod dixit Tuæ dextera, quasi indignæ. Tyrij, pro animo dicentis, potentes & magni tradebantur in dotem, addicti vtique, & quasi potioribus seruituri. Addit deinde. *Obliqua hæc dictio fuit; dicebat enim velut tota simplicitate verborum,tenens tamen interius,quod inimicitias Iunonis integras demonstraret.* Reconciliata erat inimica Troianis & Veneri, & in ipsis verbis,quibus videtur illa fauere, venenum inest, quo maximè lædit;in oratione ipsâ quâ mulcere Veneris animum simulat, subest aculeus, quo pungit acerbè. Æneam notat abiectum, Venerem turpem. Concludit hoc monito morali Donatus. *Ecce Virgilius docet, facilè inimicorum posse nosci consilia, cum sub imagine concordiæ latent.* Nota fuerunt satis illa Iunonis; Venus enim,

Sensit simulatâ mente loquutam.
Quò regnum Italiæ lybicas auerteret oras.

Sensit fieri non potuisse, (inqnit idem interpres) *vt atrox, & vetus inimica repentè beneuola redderetur, poneretquè semel inimicitias,quas longâ ætate seruauerat.* Quò magis amicitiam illa profitebatur, eò grauiùs clanculùm feriebat. Nonne vides? quam ob causam beneuolam sese Veneri Iuno præbebat? Audi,

Vetus inimicus facilè credendus non est.

Quò regnum Italiæ Lybicas auerteret oras.

Fingebat beneficium, maleficium exequebatur; simulabat amicitias,simultates exercebat. *Denique in eo ipso beneficio obesse voluit potiùs,quàm prodesse. Nouerat enim quid Æneæ deberetur, quò magis nitebatur, vt si fieri potuisset,potestas omnis, quam fata Italiæ decreuerant, in Carthaginis opes,felicitatémquè transiret.* Ita Donatus. Caue caue huiusmodi amicos.

Nouerat Venus simulatâ mente loquutam esse Iunonem, annuit tamen illius votis, ne grauiùs irrìtet. 37

Interdū expedit annuere aliquid inimico,ne illum grauiùs irrites.

Quis talia demens (inqnit)
Abnuat?

Pulchrè rationem Donatus assignat. *Meliùs visum est dolos dolis excludere,velut approbatis per dissimulationem præsentibus,ne deteriorem viam nocendi perquireret atrox,& pertinax inimica, si contrariam se ostenderet Venus.*

39 Quàm blanda Venus erga Iunonem, quâ cum inimicitias perpetes gessit! Ad Iouem illam remittit, cuius in nutu suam Venus positam voluntatem ait; Et in his blanditiis maiorem Iunonis prævenit illa molestiam; nam certum habebat, à Ioue petitionem huiusmodi Iunoni esse negandam, Quam petitionem? Hanc nimirum, vt vna Tyrijs & Troianis vrbs esset, eædem leges & iura;

Ab hoste bläditiæ sæpè insidiæ sunt.

Si Iuppiter vnam
Esse velit Tyriisquè vrbem, Troiâquè profectis;
Misceriue probet populos, aut fœdera iungi.

Insidiosè per blanditias loquuta Venus est; ad Iouem suam remittit inimicam, quem sciebat iam inde decreuisse, vt Æneas Italiæ imperium teneret, vt à Ioue Iuno repulsa gemeret grauiùs, excruciaretur acerbiùs. Acutè Donatus. *Dimisit eam ad Iouem, vt ex ipso potius contraria reportaret, & gemeret se destinata non potuisse complere.*

40 Miratur Seruius, & iure miratur, cum Æneas Didonis amasius expeditus iam esset, & paratus ad venationem, & Pœnorum primores Reginam suam comitaturi operirentur ad limina, quid est quod illa ita cunctetur, ita muliebri in gynæceo demoretur,

Vanitatis affect⁹ prædominatur in fœminis.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant?

Si Æneam amat, quid in illius conspectum venire non festinat, cum ardenter amantis natura sit, nullas interponere moras, quominus quam citissimè videat amatum, & illius conspectu fruatur? Amor enim, qui verus est amor, odit moras, qualis Reginæ fuit erga Æneam: nam hæc

Graui iam dudum saucia curâ
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Respondet autem idem interpres ingeniosè, adeò vehementem esse in fœminis vanæ æstimationis affectum, vt, cum acer in eisdem sit amoris stimulus, hunc sæpè vanitatis vincat, ac superet, & quicunque alij prædominetur affectui. Exaggerauit ergo Poëta in Didone muliebrem vanitatem, hanc amori præferens. Luctabantur in Reginæ pectore duo hi fortissimi affectus & vanus & amans; vicit tandem Vanus amantem. Immoratur igitur, cunctatur, moras trahit, vt fœminea vanitas, & affectata Maiestas, posthabito amore, satietur. Maluit vna ab omnibus expectari ex hoc affectu vanitatis, quàm ex illo amoris ad amati conspectum expediri. *Cunctantem, idest, morantem* (inquit Seruius) *Atqui amatrix ad eum, quem amabat, debuit festinare. Sed pathos naturale superat, vt fœminam se, & Reginam ostendat.* Adeò fœminis innata vanitas est, insitaque superbia, vt acerrimum etiam amoris vincat affectum.

Cunctabatur Dido, expectabat Æneas; sed hæ amantis Reginæ moræ sunt incentiuum & incrementum amoris: in hac cunctatione festinatio est. Quid ita? cunctabatur enim, vt se comeret, vt muliebribus se munditiis ornaret, in amati conspectum proditura. Tardatur exire, vt festinet amari. Pulchrè Seruius, & verè. *Morabatur placendi studio. Hic enim inducitur veste, armis, auro, purpura comptior, cum suprà naturalis pulchritudinis gloria contentâ sit; vt* 41 Amoris causâ moræ interpositæ, è sunt incrementû Amoris.

Regina ad templum formâ pulcherrima Dido,&c.

Ita Seruius. Et Zerda in explicatione. *Cunctantem inducit ex affectu amoris; nam cupiebat placere Æneæ; ideò Seruius, Morabatur placendi studio.* Ideò moratur, vt placeat amasio. Non ergo hoc dispendium Amoris, sed compendium fuit.

Pulchra illa est Seruij de pulchritudine annotatio, hoc loci, vbi Æneas pulcherrimo comparatus Apollini est. Præcessit Apollinis pulchra descriptio, sequitur deinde, 42 Pulchritudo fortis est, ignaua turpitudo.

Haud illo segnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore.

Si verba componas, hunc videntur sensum efficere; *Æneas non ignauior, non inertior ibat Apolline*; sed non ita est. Audi Seruium. *Haud segnior illo, idest non illo deformior; nam plerunque virtus & pulchritudo pro se inuicem ponuntur. Hinc est lib.*8. *Æneid.*

Satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus.

Nam Herculi satis incongrua est pulchritudo. Sic Plaut. Pyrgopolynice de muliere; Ecquid fortis est? idest, pulchra. Hæc Seruius. Consule *Singularia* Roæ IESVITÆ, lib.... cap.... Pulchra, quæ fortia.

Quando in venatione illâ Tyrij Troianique feras sectantur capras, fugitiuæ illæ pernici celeritate se subtrahunt, vt vulnera vitent, cædem effugiant. 43 Instantia tibi damna prouidus fuge.

Ecce feræ saxi deiectæ vertice capræ
Decurrêre iugis.

Maronis ingenium attende; vt in suam capras incolumitatem prouidas dicat, non præsenti vsus est tempore, sed præterito; cum adhuc illas in præsenti venatores sequantur, *Decurrêre iugis.* Quæ nimia videri prouidentia posset, nisi grauissimi illas periculi propinquitas instantis vrgeret. Præclarè Seruius hoc notauit acumen; *Benè præterito vsus est tempore, ad exprimendam nimiam in fugiendo celeritatem.* Nulla est nimietas in venatorum vrgentium fugiendo tela, vulnera, cædem. Altius in hac caprarum ferarum fugâ nobis est documentum, vt nimirum prouidi instantia corpori, instantia animo damna fugiamus; vixdum appetat instétque periculum, cum elusum iam illud in cassúmque lætemur.

mur. Præueniat medecina morbum, fuga sagittam, antidotum venenum.

44 Puerili adhuc ætate erat Ascanius, cum in venatione,

In pueris futuri temporis spes præsentium factorũ coniecturâ colligitur.

Medijs in vallibus acri
Gaudet equo, iamquè hos cursu, iam præterit illos,
Spumantémquè dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

In puero futuri temporis spes maximas præsentium factorum coniecturâ colligimus; naturam nobilem, generosum pectus, fortem audaciam, inconcussum animi iam inde robur Iulius ostendit, qui inerti contempto pecore, neglectis capris, aut spumantem aprum, aut fuluum leonem sibi dari votis optabat. Pulchrè Donatus. *In pueris futuri temporis spes præsentium factorum coniecturâ colligitur, quòd magna velocitatis equum habuisset, & discurreret gaudens, quòd cursu nunc hos, nunc illos præteriret; nec dignum habuit feras & inertia pertinaciter sequi, sed optabat occurrere suis discursibus leonem aut aprum.*

45 Inter virtutes Principe dignas equitatio strenua extrema non est. Iam inde à primis annis equitationi assuetus Ascanius Troianos iussit ludos in Quinto, & strenuissimè cum spectantium omnium plausu & laude peregit.

Principem decet strenua equitatio.

Extremus, formâquè ante omnes pulcher Iulus
Sidonio est inuectus equo, &c.

In hoc vides illum acri gaudentem equo, & hos modò, modò illos strenuè cursu prætereuntem. Hanc Doctissimus simul & suauissimus Mendoza IESVITA suo Principi virtutem attribuit, in Epistola Dedicat. tom.2. in libros Regum; quæ quia pulchra & digna tanto viro descriptio est, huic inserendam loco duxi. *Equum natiuâ superbiâ ferocientem quàm feliciter domas! quàm molliter frangis! quàm acriter incitas! quàm leuiter reuocas! quàm fortiter sistis! quàm volubiliter circumagis! trahis, retrahis! laxas, vrges! ac denique tuum ad nutum moderaris! Plaudunt, plaudunt, qui te vident tam feliciter equitantem, fauentésquè benè precantur, eat, irruat, lacessat, & Mauros feroces Vexet eques metuendus hastâ.* Sic pulchrè Mendoza.

46 Expendit Seneca Epist.64. hunc locum Maronis, vbi Ascanius pueri acri insidens equo huc vlluc in venatione discurrit,

Ad fortiter, aut ignauiter faciendũ magnã vim habet aliorum exemplum.

Spumantémquè dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, &c.

Viderat Iulius Patrem Æneam & venantes Tyrios auidè feras iaculis configendas requirere; horum ille impulsus exemplo spumantem aprum aut lybicum leonem optat ad iaculum. Nimium omninò votum in puero, audacia præter ætatem; sed quem non impellat maiorum exemplum? Sanchez Doctissimus

Bibliorum

Bibliorum explanator ſacrorum in Iob. cap. 38. pag. 450. num. 11. in hanc rem adducit hunc locum. *Accipiunt* (inquit) *homines etiam ignaui & timidi illum animum, quem ex Sextij cuiuſdam, viri magni exemplo ac verbis accepiſſe ſe dicit Seneca Epiſt. 64. In quacunquè, inquit Philoſophus, poſitione mentis ſim, cum lego hunc, libet omnes caſus prouocare, libet exclamare, Quid ceſſis fortuna? congredere, paratum vides: illius animum induo, qui quærit vbi ſe experiatur, vbi virtutem ſuam oſtendat,*

Spumantémquè dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Libet aliquid habere, quod vincam, cuius patientia exercear. Hæc apud ſanchez Seneca. 47

Puerilem Virgilius animum oſtendit in Iulio, qui vel ſpumantem aprum, vel leonem Lybicum optaret in campum, quibus cum congredi ſe facilè poſſe puerili mobilitate & inſcitiâ putabat,

Spumantémquè dari pecora inter &c.

Quot huius notæ barbatulos puerulos videt hæc ætas? vidêre priores? qui optant ſibi timenda offerri diſcrimina, mobiles, inſcij, immaturi ingenij & genij homunciones? Seruius notauit. *Benè puerilem oſtendit animum, qui per mobilitatem, & inſcitiam frequenter optat timenda.*

Puerili mobilitatem & inſcitiam induit, qui ſibi optat timenda offerri diſcrimina.

Vide, Mundi gaudia quàm tragicè ſæpè intercipiantur & pereant! 48
Vix venatio inducitur apud Maronem, vbi cum voluptate & gaudio venatores feruntur in plana, tranſmittunt campos, conſcendunt montes, iuga percurrunt, nemora luſtrant; cũ ecce tibi omnia hæc tragicè inuerſa. Coniurant venti, elementa miſcentur, emicant fulgura, tonitrua immurmurant, fulmina erumpunt, commixtâ grandine nymbus inſequitur.

Mũdi gaudia tragicè ſæpè intercipiuntur, & pereunt.

Intereà magno miſceri murmure cælum
Incipit, inſequitur commixtâ grandine nymbus.
Ruunt de montibus amnes

Nota illud *Intereà, a penas comienza proſpera, quando ſe agua la fieſta.* Præclarè Donatus. *Intereà mouetur cælum, tonitrua concrepant, nymbi funduntur, grando exitium portat, & contrà naturam rerum de sũmis verticibus montium amnes innumeri præcipitãtur; tunc omnes deſertâ venandi voluptate diffugiunt.* Nota hæc Donati verba *Deſertâ venandi voluptate diffugiunt.* Intercepta voluptas eſt nimbo. Eodem ferè tempore & cæpit, & perijt. Sic ſe habent humana.

Vt perageretur Æneæ cum Didone coniugium, quas non artes excogitat, quos non dolos Iuno molitur? His ſtatim conſentiunt artibus, his dolis elementa aſſentiuntur, & fauent. 49

Superior nequam faciè ſecum inferiores trahit.

Intereà magno miſceri murmure cælum
Incipit, inſequitur commixtâ grandine nymbus.
Fulſere ignes, & conſcius æther

Speculuncam Dido, Dux & Troianus eandem
Deueniunt.

Visus Iunoni locus ille est his insidiis aptissimus, in quo facilè ad turpitudinem ab honestate deficerent. Quid ita? Audi. In antris olim & speluncis fœdæ huiusmodi voluptates exercebantur; vnde meretrices *Lupæ* & *Leænæ* dicuntur, meretricationis verò loca *Lustra*, *Fornices*, *Antra* sunt appellata. *Vnde natum* (ait Zerda) *Latinis verbum Fornicor.* Hùc igitur, ait Iuno, compellantur amantes quibus ita parietes ipsi sedis turpissimæ, & inertia saxa famulabuntur ad Venerem, vt facilè ex inanimatarum etiam rerum consortio turpiter illi labantur, & mei ego voti compos existam, quæ Afræ & Troiani Principum coniugium intendo. Tanta prauæ societatis est vis, vt vel à rebus inanimatis cauendum sit, quæ habere possunt prauitatis saporem contagium turpitudinis, infecturam libidinis. Prælare ergo Donatus inquit loci necessitate Reges hos fuisse in turpia compulsos. *Tantum Iunonis dolosa speluncæ fecit inuentio.* (Donati verba) *vt Æneas in illa coniunctione non voluntatem habuisse, sed vim quandam passus esse videretur*, Caue caue huiuscemodi insidias, & cum casto Iosepho vel pallium dimitte in turpis Ægyptiæ manus, ne contagio lædaris, vt expendit Ambrosius.

56 Sibi temerè sæpè blandiuntur amantes.

Suæ solent amantes voluptati blandiri, affectui adulari, etiam cum nullæ suppetunt adulationis causæ, deplorationis multæ: sese ipsos felicissimos canunt, cum vel præ oculis habent infelicitatem, præquè manibus illam experiuntur. Quando Æneas, & Dido indulgent voluptati sub antro, Nymphæ inquit Virgilius, Visæ sunt Regibus summo vertice montis vlulasse.

Summoquè vlularunt vertice Nymphæ.

Hoc est, vt aliqui existimant, Nymphæ visæ sunt applausisse coniugio, (nam sic Dido rem turpem.

Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.)

Accinuisse voluptati, amantibus arrisisse; nam *vlulare* pro re lætâ posuit Lucanus, lib....

Lætis vlulare triumphis.

Quas constabat Furias esse, Nymphas appellant; qui vlulatus est verè, falsò plausum existimant; Numinum fauentiam putant, quæ turpitudinis erat commissæ vera proditio. Sic est, vt sibi temere misselli palpētur amantes. Animadvertit hanc poëtæ accuratissimam curam diligentissimus Zerda. *Herens vestigijs Seruij, & Nannij* (inquit IESVITA) *existimo per Nymphas intelligi. Diras, quas Poeta tamē vocauit Nymphas, vt errorem amantium indicaret, qui, cum vlulantes Furias audiuissent, decepti voluptate, Nymphas se audiuisse putarunt; sed esse re verâ Furias Virgilius voluit patefacere, cum intulit verbum vlulo: atquè ideò Nymphæ erant amantium opinione, re ipsâ vlulantes furiæ.*

Quam

Quam vt firmet interpretationem, addit deinde. *Id vt credam, facit imitatio Ouidij, apud quem Dido in Epist. de hoc ipso loquens, ait;*

Audieram voces, Nymphas vlulare putaui ;
Eumenides fatis signa dedere meis.

Sententia est; Audiui vlulantes Furias in meam perniciem, ego tamen mihi illudens existimabam eas esse Nymphas ; dementer, nam Nymphæ vlulare quî poterant ? Hæc Zerda.

Nullus datur equus magis effrenis, quàm amans est, qui aliquando tamen succubuit turpitudini. Succubuit Elysa, statimquè illam ita videas effrenem, vt dicat Virgilius, 57 Qui succũbit libidini, totus in præceps ruit.

Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,
Coniugium vocat.

Vbi grauiter & acutè Landinus. *Iam ab incontinentia transit ad intemperantiam ; non enim iam amplius luctatur aduersus libidinem, nec pudet, aut dolet facti, nec latebras quærit peccato.*

Sed ante quàm vlteriùs progrediamur, audi Donatum, expendentem ambitiosa Iunonis vota ideò in cassùm omnia recidisse, quia ambitiosa; nam quæ ad omnia omninò nititur ambitiosa petitio, plerumquè nihil assequitur. Quid Iuno petebat, imò ambibat his dolis ? illud primùm, ne Æneas Romanum occuparet imperium Didonis coniugio retardatus in Africa; deinde, vt Carthaginem suam, 58 Qui omnia omninò petit, nihil assequi solet.

Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Posthabitâ coluisse Samo,

Elysæ Troianiquè connubio nobilitaret; & Romanorum gloriam, quam fatis deberi videbat Æneæ, *Lybicas aduerteret oras*, hoc est, transferret in Lybiam. Multa petis, ô Iuno, (inquit Donatus) quàm vereor, ne tua hæc omninò vota euanescant. Proculdubio omnia euanuerunt; ille namquè dies, qui primus has dolosas Iunonis artes vidit, primus etiam oppressit, irritas reddidit, & mala penitus inuexit innumera;

Ille dies primus lethi, primusque malorum
Causa fuit.

Neque illa Æneadas à Romano auertit imperio, neque profuit Carthagini, imo grauiter obfuit, Reginâ interim sublatâ, mucrone præ dolore transuerberatâ. *Ecce Æneæ* (Donati verba) *fortuna, & consiliorum exitus, quæ habuit Iuno, dum vult sua prodesse, & commoda fouere Carthaginis, Æneã verò ab Italiæ partibus separare, sic Didoni non coniugium, sed vltimum procurauit interitum ; nec profuit Carthagini, & æmulum suum tenere non potuit.* Omnia Iuno tentauit amplecti, complecti nil potuit. Fraudes sæpe authorẽ illudunt.

59 Diuinatione opus nõ est, vt dicatur adesse pœnam, vbi adsit & culpa.

Digna etiã illa notula est, quæ proponatur hoc loco. Cum cõstet, Didonis lethum, post egressum Carthagine Æneam, fuisse, & longò post tempore deletam esse Carthaginem, cur Poeta dixerit, illum diem, qui primus culpæ fuit, primum lethi & malorum extitisse ?

quam, obortis lachrymis conquieuiſſe, cum in feruentiſſimum illum mentis actum erupit,

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Ante, pudor, quàm te violem, aut tua iura reſoluam.

Landinus ait, illas lachrymas ex appetitu victoriam & ſuperato manaſſe; rationem vero victricem conquieſſe; nam ſequitur,

Sic effata, ſinum lachrymis impleuit obortis.

Sic effata, impleuit ſinum obortis lachrymis (Landini verba) *quia repugnat appetitus rationi, & coactus obtemperat.* Quæ *ſic eſt effata*, quid ni cogat appetitum rationi ſuccumbere?

27 In cauſæ difficilis tractatione beneuolè animus præparetur audientis.

Cum difficilis eſt cauſæ tractatio, illius eſt animus beneuolè præparandus, qui deliberat. Hoc vſus artificio Anna ad deliberantem de matrimonio ſororem, & neganti parti propenſiùs adhærentem;

Anna refert. O luce magis dilecta ſorori.

Vbi pulchrè Donatus. *Hoc dicto parauit ſibi ſororis animum: non enim cauſam eius leuiter tractare debuerat, quam plus ſe amare profeſſa eſt, quàm lucem. In eo autem omnis cardo fuerat, quia Dido amare ſe confeſſa eſt, & amori ipſi propter prædictas cauſas negauerat ſe eſſe ceſſuram.*

28 Priùs aduerſarij remouendi, deinde amici conciliandi ſunt.

Cum aliquid volumus ex animi ſententia venire, prius nitamur, quod aduerſarios nouimus, placatos reddere, quàm in rem noſtram conciliemus amicos. Expendit Seruius, cur Dido, (cum poſt ſuaſoriam ſororis *ſpemquè dedit dubiæ menti, ſoluitquè pudorem,*) ſacrificia inſtituit priùs Cereri, Apollini, & Baccho, deinde Iunoni?

Mactat lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboquè, patriquè Lyæo:
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Eſt hic ſenſus altior (ait interpres) *Nam facturi aliquid, antè aduerſos placamus, deinde propitios inuocamus, vt*

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Ergo modo nuptura placat Cererem, quæ propter raptum filiæ, nuptias execratur; Apollinem, qui expers vxoris eſt; Lyæum, qui niſi raptam coniugem habere non potuit: & ſic deinde Iunonem conciliat, Cui vincla iugalia curæ. Aduerſarios priùs, ne obſtiterint, deinde Iunonem, vt fauerit. Ex Amantis ingenio.

29 Moræ impatiens eſt Amor.

Neſcius moræ Amor eſt, imò impatiens. Adhuc in animalium pectoribus, quæ mactabantur, exta ſpirabant, cum amans Dido, inhians, & amoris impatiens, illa conſulit,

Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Spirantia, inquit Seruius, *quaſi adhuc viua. Et hic impatientia expectandi* (addit præclarè Landinus) *ex nimio amore oſtenditur; vt hoſtias adhuc ſeminiuas aperiret.* Et Donatus. *Quærebat futura in interioribus pecorum. Conſulit, ſic poſuit, quaſi exta poſſent reuocare reſponſum;*

pensum; sed videntur respondere, dum consulentium visibus signa commissæ consultationis ostendunt. An fausta de amore vel infausta portenderent illæ hostiæ, satagebat inspicere, sed illam Amor impatiens moræ in expirantia adhuc & semiuiua exta amantem compulerat.

Notatu dignus est ille dicendi modus in magno Marone, quo de Didone. 30

Illum tibi pulcherrimum diem computa, quo erga Deum pius, erga homines liberalis extiteris.

Instauratquè diem donis.

Vtitur verbo *Instauro*, quod *integrare*, *renouare*; *reficere* sonat. Quid ergo? diem illa renouauit? integrauit lucem? Solis radios refecit? quî potuit? Adiecit Poëta Voculam *Donis*, qua adiectione mirus omnino sensus resultat. Ille integratus, ille renouatus dicitur dies, illa instaurata tibi lux est; illum tibi Solem pulcherrimum, illum iuuenescentem computa diem quo erga Deum pius, aut erga homines liberalis extiteris. Quid dies largâ erga Deum pietate, largæ munificētiæ notâ insignitur, quæ lux multiplici dono erga homines insignis est, dies ille, illa lux multiplici die, multiplici luce nitescit, illustratur. Tot viuis dies, tot bibis luces vna in luce, vno in die, quot beneficia præstas, quot dona præbes: instauras verè diem, renouas verè soles & integras, cum munera donas, cum liberali manu dona largiris. Donato simul ac Seruio debetur acumen. Ait hic; *Donis, idest muneribus, quæ Dido aut Dijs offerebat, aut donabat Tyrijs, vel Troianis.* Addit ille; *Nequè hoc semel, sed sæpius faciebat, vt produceret diem*, Dona ergo diem producunt, dilatant; lucem integrant; soles solibus augent, & renouant. Quot dona in die, tot in die dies; quot munera in luce, tot in luce luces, Plurimos igitur vt viuas annos in anno, liberalem te præsta, munificum age; temporum spatia munerum largitate, & donorum copiâ facilè vinces.

Tot habes dies in die, quot dona præstas.

Quali pede superior, tali moneri vt plurimum solet inferior. 31 quam & sui oblita Regina Dido & pudoris, & honoris, atque suorum! quàm amoribus intenta suis! quam vanis cogitationibus occupata!

Quo Superiores, eodē inferiores pede graduquè ferūtur.

> *Nunc media Æneam secum per mœnia ducit,*
> *Sidoniasquè ostentat opes, vrbemquè paratam.*
> *Nunc eadem labente die conuiuia quærit.*

Huius notæ reliqua. Hanc Reginæ suæ desidiā Sidonij imitabātur.

> *Non cæptæ assurgunt turres, non arma iuuentus*
> *Exercet, portúsve, aut propugnacula bello*
> *Tuta parat, pendent opera interrupta, minæquè*
> *Murorum ingentes, æquataquè machina cœlo.*

Hinc Donatus moraliter. *Hoc loco ostenditur Rectorem complere omnia, cum insistit & iubet; atquè eius negligentiâ omnimodò frigere omnia, quæ ante feruebant.* 32

Notat præclarè Landinus conari impossibilia Didonem, cum fallere conatur amorem.

Amorem fallere, est maximè arduum.

Infandum si fallere possit amorem.

Quasi dicat (inquit) *conabatur impossibilia*; *nam amor falli non potest.* Et Zerda ita vocem *Infandum* explicat. *Propriè capio* (ait) *volebat enim fallere eum, cuius astutias nemo facilè eloqui, aut assequi queat.*

33 Absentem amãs videt, audit, affatur amatũ. Amoris maximi affectus ille est, vt absentem amans videre, audire, affari sibi videatur amatum. Huius notæ Didonis amor, quæ Æneam suum.

Absens absentem auditquè vidétquè.

Vbi Nascimbænus. *Pulcherrimâ alliteratione amantis affectum ante oculos constituit.* Et Zerda. *Qui amant, in absentiâ etiam videntur cernere, & audire quos amant, cum illis etiam colloqui.* Huc reuocandus locus ille Eclog. 2. vbi Corydon, qui formosum ardebat Alexin, cum absenti Amato loquebatur, quasi præsentem illum haberet; Absens, inquam, erat Alexis, cum Corydon suprà.

incondita solus

Montibus & syluis studio iactabat inani.

Quid ergo ex hoc affectu Corydon ad absentem Alexin? audi,

Quem fugis ah demens?

Fugiebat ne ille? quo? vnde? quem? nullus ibi Alexis erat, qui fugeret; quid ergo illius fugam, quasi apud se esset, conqueritur? Præclarè hîc & eruditè Seruius; *Quomodo discedere dicit, quem suprà cum eo diximus non fuisse? nam ait Solus Montibus & syluis, Sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem*; *vnam, quæ percipitur, & alteram imaginariam, scilicet eam, quæ nascitur ex cogitatione. Vnde ita debemus accipere hunc vsum per cogitationem illâ imaginariâ voluptate, quia & cernere & alloqui videbatur absentem.* Hæc Seruius.

34 Amor desides facit amantes. Ex quo Elisa indulsit amori, induxit ignauiam. Quæ nuper sine amore erat *Instans operi, regnisquè futuris*, iam amoris militans castris nihil curat, præter amorem. Amoris insidijs excepta, desidiosè viuit.

Pendent opera interrupta, minequè

Murorum ingentes, aquataquè machina cælo.

Quis non hîc Maronis interpres effusè? Ad hanc rem apprimè ille locus Eclog. 2. de Corydone amante; ex quo enim ille tinctus amore, & tinctus ignauiâ est. Sic secum ipse suam arguit ignauiam, desidiam accusat;

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est,

Plus est (inquit præclarè Seruius) *quàm si imputata diceret. Tolerabiliùs enim est, incipere aliquid, quam incepta deserere.* Sed hoc amoris est vitium. Aliter à Landino, aliter à Zerda explicatur hoc carmen, ab illo ingeniosè, ab hoc eruditè: sed Seruius ad rem meam. Lege num. sequent.

Delicias,

Delicias, conuiuia, Dido sequebatur & otia, quid ni amore saucia sit, & foueat impurum? Vide delicias, vide conuiuia, lib. 1. 35

Otiũ amorem gignit & fouet impurum.

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, medijsquè parat conuiuia tectis, &c.
Conueniunt, stratoquè super discumbitur ostro.

Quo in conuiuio *Cytharâ crinitus Iopas*
Personat auratâ.

Attende illam otiantem; nunc

Media Æneam secum per mœnia ducit,
Sydoniasquè ostentat opes.

Vbi Landinus pulchrè, *Duo ponit, quibus maximè gaudent amantes: nam & rem amatam libenter apud se habent; & si qua pulchriora habent, non sine vanitate ostentant. Nam ostendere est simpliciter demonstrare; ostentare verò est ad pompam gloriamque ostendere.* Inter hæc otia fouebat amorem. Item,

Suas, qui amant, opes ostentant.

Necnon & noctem vario sermone trahebat
Infelix Dido.

Neque sua tantùm Regina amabat otia, sed & suorum; nam

Non captæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercent. Pendent opera interrupta,

Ex his consequenter sequitur *longúmquè bibebat amorem.* Et *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.* Inter delicias, inter conuiuia, inter luxus, inter otia quid aliud certiùs misera inueniat, quàm impurum amorem? quid securius, quàm vt foueat eundem? Virgilianus ille Pastor eclog. 2. vt amorem fugeret, vt ab amore resiliret, hoc sibi antidothum vltrò propinat, *Negotium:* inquit enim,

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est;
Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget vsus,
Viminibus, molliquè paras detexere iunco.

In hunc sensum explicat Landinus hæc Carmina, ingeniosè sanè. *Remedium* (inquit) *aduersus amorem adhibet, vt vacando rebus vtilibus otium fugiat. Nam hoc est, quod apud Terentium Menedemus obiurgat in filio. Et Ouidius idem sentit, cum ait, Quæritur Ægystus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. Et Florentinus Petrarcha, Amorem ex otio, & humana lasciuiâ natum refert.* Neque futuro vsus est verbo *Parabis*, sed præsenti *Paras*; præsenti enim remedio opus est & constanti, vt pestis hæc auellatur ex animo. Quasi dicat, Ne procrastines Corydon, medelam actutùm adhibe huic morbo, ne serpat in dies, & immedicabiliter illo tabescas, & pereas. (Operæpretium duxi hoc loci addere explicationē Zerdæ illius vocis *detexere. Est detexere* (inquit) *perfectè texere, ex vsu Latij; & nunquā, retexere, quod vulgus malè putat, & doctè monet Lambinus, in Plaut. Pseud.* Quod probat authoritate) Ideò Salmacis est turpiter lapsa, quia tota semper in otio; quia fouit otium, fouit

amorem. Contempſit illa ſæpè ſorores ſalubriter monentes, lib. 4. Metamorph.

Sæpè ſuas fama eſt illi dixiſſe ſorores;
Salmaci, vel iaculum, vel pictas ſumme pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia miſce;
Nec iaculum ſumit, nec pictas illa pharetras,
Nec ſua cum duris venatibus otia miſcet.

Delitiis indulgebat, & otio, ſororum contempto conſilio;

Sed modò fonte ſuo formoſos perluit artus,
Sæpè Cytoriaco deducit pectine crines,
Et quid ſe deceat, ſpectatas conſulit vndas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Sæpè legit flores.

Ab aſpectu interim illam Amor innaſit otiantem, & floſculos hinc inde legentem,

Sæpè legit flores, & tunc quoque fortè legebat,
Cum puerum vidit, viſumquè optauit habere.

Quàm cito lapſa Salmacis eſt! *Vidit* inquit, & *optauit*. Si pharetram ſagittaſquè tractat, ſi venatum exerceret, ſi montes curſu fatigaret & ſyluas, ſi ſudori aſſuefieret, non amoris grauiſſimum iugum tam facilè ſubijſſet. Audi hoc loco Georgij Sabini Ethicam interpretationem. *Porrò Salmacidis Nymphæ fabula non tam ad vitium aquæ, quàm ad inertiam, & deſidioſum otium, quo vires hominum eneruantur, referenda eſt.* Et paulò inferiùs. *Deſcribitur primum ab Ouidio locus delitiarum, ac voluptatis, nempè,*

Hîc ſtagnum lucentis ad imum
Vſque ſolum lymphæ, &c.

Deinde deſcribitur Nympha inertiſſimo otio, & amoribus dedita;

Nympha colit, ſed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quæ ſoleat. &c.

Etenim hæc omnia mollium, & luxurioſorum hominum propria ſunt, ſequi otium, pectere capillos, ſeſe ad ſpeculum intueri, & illo docente vultum componere. Amor ſiquidem otioſa res, & quemadmodum, ait Menander, amat ſpecula, & flauas comæ tincturas, fugit labores. Hæc Sabinus expurgatus. Ideò caſta illam Diana non nouit, quia otioſa Salmacis vagabatur.

Solaquè Naiadum celeri non nota Dianæ.

Quid cauſæ eſt, cur Cupido Mineruam adortus nunquam eſſe fingatur, cum reliquos Deos & aggreſſus ſit, & expugnauerit, niſi quia Armorum illa litterarúmque Dea ab armis ad litteras, à litteris ad arma confugiat? nunquam deſes? nunquam otioſa? Sic Lucianus in Deorum Dialog. in eo, quem de Venere & cupidine inſcribit. Sic Venus ad cupidinem. *Ab vnâ ſemper Minerua temperas, cum*

omnes

omnes Deos, & me Matrem adortus expugnauerit, & aduersus hanc neque vllum habet incendium tua fax, & iaculis vacua est pharetra; tùm & ipse arcu cares, neque iaculari noris. Totus hic Dialogus in hanc rem. Otium fuge, quisquis impurum amas fugere amorem.

36 Ingeniosè notauit Donatus Iunonem, inimicam Troianis & Veneri, vel tunc cum sese in Veneris amicitiam insinuat, prauæ mentis venena fudisse. Quid illa ad Venerem? Reconciliatus hostis fundit sæpè in ipsâ reconciliatione venenū.

Liceat Phrygio seruire marito,
Dotalesquè tuæ Tyrios permittere dextræ.

Quod dixit, Phrygio, ibi est subtile conuitium; quasi abiecto, & infimæ gentis homini; & quod dixit Tuæ dexteræ, quasi indignæ. Tyrij, pro animo dicentis, potentes & magni tradebantur in dotem, addicti vtique, & quasi potioribus seruituri. Addit deinde. *Obliqua hæc dictio fuit; dicebat enim velut tota simplicitate verborum, tenens tamen interius, quod inimicitias Iunonis integras demonstraret.* Reconciliata erat inimica Troianis & Veneri, & in ipsis verbis, quibus videtur illa fauere, venenum inest, quo maximè lædit; in oratione ipsâ quâ mulcere Veneris animum simulat, subest aculeus, quo pungit acerbè. Æneam notat abiectum, Venerem turpem. Concludit hoc monito morali Donatus. *Ecce Virgilius docet, facilè inimicorum posse nosci consilia, cum sub imagine concordiæ latent.* Nota fuerunt satis illa Iunonis; Venus enim,

Sensit simulatâ mente loquutam.
Quò regnum Italiæ lybicas auerteret oras.

Sensit fieri non potuisse, (inquit idem interpres) *vt atrox, & vetus inimica repentè beneuola redderetur, poneretquè semel inimicitias, quas longâ ætate seruauerat.* Quò magis amicitiam illa profitebatur, eò grauiùs clanculùm feriebat. Nonne vides? quam ob causam beneuolam sese Veneri Iuno præbebat? Audi, Vetus inimicus facilè credendus non est.

Quò regnum Italiæ Lybicas auerteret oras.

Fingebat beneficium, maleficium exequebatur; simulabat amicitias, simultates exercebat. *Denique in eo ipso beneficio obesse voluit potius, quàm prodesse. Nouerat enim quid Æneæ deberetur, quò magis nitebatur, vt si fieri potuisset, potestas omnis, quam fata Italiæ decreuerant, in Carthaginis opes, felicitatémquè transiret.* Ita Donatus. Caue caue huiusmodi amicos.

37 Nouerat Venus simulatâ mente loquutam esse Iunonem, annuit tamen illius votis, ne grauiùs irrîtet. Interdū expedit annuere aliquid inimico, ne illum grauiùs irrîtes.

Quis talia demens (inquit)
Abnuat?

Pulchrè rationem Donatus assignat. *Meliùs visum est dolos dolis excludere, velut approbatis per dissimulationem præsentibus, ne deteriorem viam nocendi perquireret atrox, & pertinax inimica, si contrariam se ostenderet Venus.*

39 Quàm blanda Venus erga Iunonem,quâ cum inimicitias perpetes gessit! Ad Iouem illam remittit,cuius in nutu suam Venus positam voluntatem ait; Et in his blanditiis maiorem Iunonis prauenit illâ molestiam; nam certum habebat, à Ioue petitionem huiusmodi Iunoni esse negandam, Quam petitionem? Hanc nimirum, vt vna Tyrijs & Troianis vrbs esset, eædem leges & iura;

Ab hoste bláditiæ sæpè insidiæ sunt.

Si Iuppiter vnam
Esse velit Tyriisquè vrbem, Troiâquè profectis;
Miscerive probet populos, aut fœdera iungi.

Insidiosè per blanditias loquuta Venus est; ad Iouem suam remittit inimicam, quem sciebat iam inde decreuisse, vt Æneas Italiæ imperium teneret, vt à Ione Iuno repulsa gemeret grauiùs, excruciaretur acerbiùs. Acutè Donatus. *Dimisit eam ad Iouem, vt ex ipso potius contraria reportaret, & gemeret se destinata non potuisse complere.*

40 Miratur Seruius, & iure miratur, cum Æneas Didonis amasius expeditus iam esset, & paratus ad venationem, & Pœnorum primores Reginam suam comitaturi operirentur ad limina, quid est quod illa ita cunctetur, ita muliebri in gynæceo demoretur,

Vanitatis affect⁹ prædominatur in fœminis.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant?

Si Æneam amat, quid in illius conspectum venire non festinat, cum ardenter amantis natura sit, nullas interponere moras, quominus quam citissimè videat amatum, & illius conspectu fruatur? Amor enim,qui verus est amor,odit moras,qualis Reginæ fuit erga Æneam: nam hæc

Graui iam dudum saucia curâ
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Respondet autem idem interpres ingeniosè, adeò vehementem esse in fœminis vanæ æstimationis affectum, vt, cum acer in eisdem sit amoris stimulus, hunc sæpè vanitatis vincat, ac superet, & quicunque alij prædominetur affectui. Exaggerauit ergo Poëta in Didone muliebrem vanitatem, hanc amori præferens. Luctabantur in Reginæ pectore duo hi fortissimi affectus & vanus & amans; vicit tandem Vanus amantem. Immoratur igitur, cunctatur, moras trahit, vt fœminea vanitas, & affectata Maiestas, posthabito amore, satietur. Maluit vna ab omnibus expectari ex hoc affectu vanitatis, quàm ex illo amoris ad amati conspectum expediri. *Cunctantem, idest, morantem* (inquit Seruius) *Atquì amatrix ad eum, quem amabat, debuit festinare. Sed pathos naturale superat, vt fœminam se, & Reginam ostendat.* Adeò fœminis innata vanitas est, insitaque superbia, vt acerrimum etiam amoris vincat affectum.

Cunctabatur

Cunctabatur Dido, expectabat Æneas; sed hæ amantis Reginæ moræ sunt incentiuum & incrementum amoris: in hac cunctatione festinatio est. Quid ita? cunctabatur enim, vt se comeret, vt muliebribus se munditiis ornaret, in amati conspectum proditura. Tardatur exire, vt festinet amari. Pulchrè Seruius, & verè. *Morabatur placendi studio. Hic enim inducitur veste, armis, auro, purpura comptior, cum suprà naturalis pulchritudinis gloria contentâ sit; vt* 41

Amoris causâ moræ interpositæ sæpè sunt incrementũ Amoris.

Regina ad templum formâ pulcherrima Dido,&c.

Ita Seruius. Et Zerda in explicatione. *Cunctantem inducit ex affectu amoris; nam cupiebat placere Æneæ; ideò Seruius, Morabatur placendi studio.* Ideò moratur, vt placeat amasio. Non ergo hoc dispendium Amoris, sed compendium fuit.

Pulchra illa est Seruij de pulchritudine annotatio, hoc loci, vbi Æneas pulcherrimo comparatus Apollini est. Præcessit Apollinis pulchra descriptio, sequitur deinde, 42

Pulchritudo fortis est, ignaua turpitudo.

Haud illo segnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore.

Si verba componas, hunc videntur sensum efficere; *Æneas non ignauior, non inertior ibat Apolline*; sed non ita est. Audi Seruium. *Haud segnior illo, idest non illo deformior; nam plerunque virtus & pulchritudo pro se inuicem ponuntur. Hinc est lib.8. Æneid.*

Satus Hercule pulchro.
Pulcher Auentinus.

Nam Herculi satis incongrua est pulchritudo. Sic Plaut. Pyrgopolynice de muliere; Ecquid fortis est? idest, pulchra. Hæc Seruius. Consule *Singularia* Roæ IESVITÆ, lib.... cap....

Pulchra, quæ fortia.

Quando in venatione illâ Tyrij Troianique feras sectantur capras, fugitiuæ illæ pernici celeritate se subtrahunt, vt vulnera vitent, cædem effugiant. 43

Instantia tibi damna prouidus fuge.

Ecce feræ saxi deiectæ vertice capræ
Decurrêre iugis.

Maronis ingenium attende; vt in suam capras incolumitatem prouidas dicat, non præsenti vsus est tempore, sed præterito; cum adhuc illas in præsenti venatores sequantur, *Decurrêre iugis.* Quæ nimia videri prouidentia posset, nisi grauissimi illas periculi propinquitas instantis vrgeret. Præclarè Seruius hoc notauit acumen; *Benè præterito vsus est tempore, ad exprimendam nimiam in fugiendo celeritatem.* Nulla est nimietas in venatorum vrgentium fugiendo tela, vulnera, cædem. Altius in hac caprarum ferarum fugâ nobis est documentum, vt nimirum prouidi instantia corpori, instantia animo damna fugiamus; vixdum appetat instetque periculum, cum elusum iam illud in cassúmque læte-

 mur.

mur. Præueniat medecina morbum, fuga ſagittam, antidotum venenum.

44 *In pueris futuri temporis ſpes præſentium factorū cõiecturâ colligitur.*

Puerili adhuc ætate erat Aſcanius, cum in venatione,

Medijs in vallibus acri
Gaudet equo, iamquè hos curſu, iam præterit illos,
Spumantémquè dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

In puero futuri temporis ſpes maximas præſentium factorum coniecturâ colligimus; naturam nobilem, generoſum pectus, fortem audaciam, inconcuſſum animi iam inde robur Iulius oſtendit, qui inerti contempto pecore, neglectis capris, aut ſpumantem aprum, aut fuluum leonem ſibi dari votis optabat. Pulchrè Donatus. *In pueris futuri temporis ſpes præſentium factorum coniecturâ colligitur, quòd magna velocitatis equum habuiſſet, & diſcurreret gaudens, quòd curſu nunc hos, nunc illos præteriret; nec dignum habuit feras & inertia pertinaciter ſequi, ſed optabat occurrere ſuis diſcurſibus leonem aut aprum.*

45 *Principem decet ſtrenua equitatio.*

Inter virtutes Principe dignas equitatio ſtrenua extrema non eſt. Iam inde à primis annis equitationi aſſuetus Aſcanius Troianos iuſſit ludos in Quinto, & ſtrenuiſſimè cum ſpectantium omnium plauſu & laude peregit.

Extremus, formâquè ante omnes pulcher Iulus
Sidonio eſt inuectus equo, &c.

In hoc vides illum acri gaudentem equo, & hos modò, modò illos ſtrenuè curſu prætereuntem. Hanc Doctiſſimus ſimul & ſuauiſſimus Mendoza IESVITA ſuo Principi virtutem attribuit, in Epiſtola Dedicat. tom.2. in libros Regum; quæ quia pulchra & digna tanto viro deſcriptio eſt, huic inſerendam loco duxi. *Equum natiuâ ſuperbiâ ferocientem quàm feliciter domas! quàm molliter frangis! quàm acriter incitas! quàm leuiter reuocas! quàm fortiter ſiſtis! quàm volubiliter circumagis! trahis, retrahis! laxas, vrges! ac denique tuum ad nutum moderaris! Plaudunt, plaudunt, qui te vident tam feliciter equitantem, fauentéſquè benè precantur, eat, irruat, laceſſat, & Mauros feroces Vexet eques metuendus haſtâ.* Sic pulchrè Mendoza.

46 *Ad fortiter, aut ignauiter faciendũ magnã vim habet aliorum exemplum.*

Expendit Seneca Epiſt.64. hunc locum Maronis, vbi Aſcanius pueri acri inſidens equo huc vllue in venatione diſcurrit,

Spumantémquè dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, &c.

Viderat Iulius Patrem Æneam & venantes Tyrios auidè feras iaculis configendas requirere; horum ille impulſus exemplo ſpumantem aprum aut lybicum leonem optat ad iaculum. Nimium omninò votum in puero, audacia præter ætatem; ſed quem non impellat maiorum exemplum? Sanchez Doctiſſimus

Bibliorum

Bibliorum explanator sacrorum in Iob. cap. 38. pag. 450. num. 11. in hanc rem adducit hunc locum. *Accipiunt* (inquit) *homines etiam ignaui & timidi illum animum, quem ex Sextij cuiusdam, viri magni exemplo ac verbis accepisse se dicit Seneca Epist. 64. In quacunque, inquit Philosophus, positione mentis sim, cum lego hunc, libet omnes casus prouocare, libet exclamare, Quid cessas fortuna? congredere, paratum vides: illius animum induo, qui quærit vbi se experiatur, vbi virtutem suam ostendat,*

Spumantémquè dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere, quod vincam, cuius patientia exercear. Hæc apud Sanchez Seneca. 47

Puerulimobilitatem & inscitiam induit, qui sibi optat timenda offerri discrimina.

Puerilem Virgilius animum ostendit in Iulio, qui vel spumantem aprum, vel leonem Lybicum optaret in campum, quibus cum congredi se facilè posse puerili mobilitate & inscitiâ putabat,

Spumantémquè dari pecora inter &c.

Quot huius notæ barbatulos puerulos videt hæc ætas? vidère priores? qui optant sibi timenda offerri discrimina, mobiles, inscij, immaturi ingenij & genij homunciones? Seruius notauit. *Benè puerilem ostendit animum, qui per mobilitatem, & inscitiam frequenter optat timenda.*

Vide, Mundi gaudia quàm tragicè sæpè intercipiantur & pereant! 48

Mundi gaudia tragicè sæpè intercipiuntur, & pereunt.

Vix venatio inducitur apud Maronem, vbi cum voluptate & gaudio venatores feruntur in plana, transmittunt campos, conscendunt montes, iuga percurrunt, nemora lustrant; cũ ecce tibi omnia hæc tragicè inuersa. Coniurant venti, elementa miscentur, emicant fulgura, tonitrua immurmurant, fulmina erumpunt, commixtâ grandine nymbus insequitur.

Intereà magno misceri murmure cælum
Incipit, insequitur commixtâ grandine nymbus.
Ruunt de montibus amnes

Nota illud *Intereà, a penas comienza prospera, quando se agua la fiesta.* Præclarè Donatus. *Intereà monetur cælum, tonitrua concrepant, nymbi funduntur, grando exitium portat, & contrà naturam rerum de sũmis verticibus montium amnes innumeri præcipitãtur; tunc omnes desertâ venandi voluptate diffugiunt.* Nota hæc Donati verba *Desertâ venandi voluptate diffugiunt.* Intercepta voluptas est nimbo. Eodem ferè tempore & cæpit, & perijt. Sic se habent humana.

Vt perageretur Æneæ cum Didone coniugium, quas non artes excogitat, quos non dolos Iuno molitur? His statim consentiunt artibus, his dolis elementa assentiuntur, & fauent. 49

Superior æquam facilè secum inferiores trahit.

Intereà magno misceri murmure cælum
Incipit, insequitur commixtâ grandine nymbus.
Fulsere ignes, & conscius æther

Connubij.

Dea quippe ætheris, & cæleſtis plagæ Regina Iuno ſecum inferiores facilè traxit. Ingenioſè Donatus. *Mouetur cælum, tonitrua concrepant, ignes de cœlo fulgent, grando exitium portat, & contra naturam rerum de ſummis verticibus montium amnes innumeri præcipitantur.* Addit deinde. *Tantum valuit Iuno, vt etiam ipſa elementa fauere viderentur.* Magnam ſine dubio vim habuit Iunonis dignitas, vt elementa has in fraudes facile raperentur *Tantum valuit Iuno.* Niſi Superior illa eſſet, ita facilè fauentia elementa non habuiſſet.

50 Aqua & ignis cōnubia ſtabiliunt. Digna hoc loco notatu eſt illa Landini commentatio, qui eruditè aſſerit in hoc Æneæ cum Didone coniugio, (ſic illa, vt ſuam prætegeret culpam, coniugium vocauit, ita enim habes.

Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.)

In hoc, inquam, coniugio, Aquam & Ignem interueniſſe, quæ duo elementa connubia ſtabilirent. *Quia vt ait Varro* (inquit interpres) *in connubijs adhibebatur ignis & aqua; nam ſecundum Taletem Ignis & Aqua omnia gignunt. Hinc Ouid.*

Quippe vbi temperiem ſumpſere humórquè calórquè.
Concipiunt, & ab ijs generantur cuncta duobus. Ita Land.

Ruunt de montibus amnes, en aquam. *Fulſere ignes*, en ignem

51 Vel maximè anûs nomine iraſcitur. Aliqui Maronem reprehendunt, quod Aſcanium dixerit *Nepotem Veneris.*

Dardaniuſquè Nepos Veneris.

Sic enim *Auiam* Venerem dixit, pulchritudinis Deam, Matrem Amoris; quod omnino dedecet huiuſmodi Deam, & iniuria non illi irrogari non potuit; Auia enim cum Anu conuertitur. *Quidam (*inquit Seruius*) indecenter dictum volunt, vt Venus Auia ſit.* In Anticyras exulet huiuſmodi nomen, cum ad fœminam, vel de fœminâ pulchrâ loquamur.

52 Secretus locus venereis eſt præcipuè culpis obnoxius. Et ſecretus locus, & nox facilem præbent anſam audaciæ, ilicem Veneri! Et ille & illa grauiſſimum fuere Didoni offendiculum; tenebris illa, ille ſeceſſu; nam tempeſtates cæcæ vi auſa Regina eſt, ſpeluncam adire cum Rege Æneâ, & ab oculis venantium abeſſe. Tunc heu! miſerè lapſa eſt, cum in ſecretiori loco, & nocte delituit; ſi adſpectum hominum non fugiſſet, ſuum non amiſiſſet fortaſſè pudorem.

Speluncam Didō, Dux & Troianus eandem
Deueniunt.

Quod ita grauiter Donatus expendit. *Deueniunt, hoc eſt, malè veniunt; quia perſonis Regum non conueniebat ſpeluncæ depreſſio. Dedit igitur occaſionem coniunctioni perficiundæ locus ſecretus; dedit tempus, quo periculi vitandi cauſâ nullus audebat exire de ſuffugio; dedit ſolitudo, quia ſoli fuerant duo; dedit perſona, quia vterquè in prima ætate, vterquè formoſus.*

Nota

Nota obiter. Culpam patrastiste ipsum, quamtumvis Princeps sis, depressisti. Notat ingeniosè Donatus vocem in superiori carmine *Deueniunt*, cum Regina Dido & Æneas, fœdæ vi tempestatis coacti, speluncam adierunt.

Culpa deprimit quãtumvis Principem.

> *Speluncam Dido, Dux & Troianus eandem*
> *Deueniunt.*

Deuenerunt Reges (inquit) *hoc est, malè venerunt; quia personis Regum non conueniebat spelunca depressio. Gran baque dieran en su dignidad con su culpa.* Signanter Poëta hoc vsus est verbo.

Quem tu diem felicissimum computas, quòd in eo voluptate potiaris, is sibi eâdem de causâ accidit infelicissimus. Quando tibi videris inuenisse vitam in culpâ, tunc te mors maximè inuasit in pœnam. Deueniunt Reges hi in speluncam, & illum sibi computant felicissimum diem, & lætissimum, quo vetitâ voluptate fruuntur quam Parthenius poëta explicare noluit præ modestiâ, vt notauit pulchrè Donatus, sed tantùm dixit. 53

Qui tibi voluptuosæ dies est culpæ, idem tibi dies est pœnæ.

> *Speluncam Dido, Dux & Troianus eandem*
> *Deueniunt.*

Factum autem (verba sunt Donati) *intelligi voluit Poëta, non dici)* Sed eundem diem addit statim Maro vtriquè fuisse infelicissimum, & lethi primum, primúmquè malorum;

> *Ille dies primus lethi, primúsquè malorum*
> *Causa fuit.*

Qui dies primus voluptuosæ fuit culpæ, primus ipse sæuæ fuit pœnæ. Quem effectum Nymphæ nouerunt, quæ in tantâ vtriusquè infelicitate gemuerunt, vlularunt;

> *Summóquè vlularunt vertice Nymphæ.*

Vbi Seruius præclarè. *Vlularunt Nymphæ; in luctu autem vlulari non dubium est.*

Nequè Donati locum sine expensione prætermittamus. Cum dixisset poëta.

Periculosa omninò est maris & fœminæ solitaria conuentio.

> *Speluncam Dido, Dux & Troianos eandem*
> *Deueniunt.*

Quid prætereà fœdè patratum fuerit, non adiecit; satis enim constat de facto, cum pulchram fœminam cum viro pulchro, & vtrumquè iuuenem dixerit, seclusis arbitris, in antrum conuenisse. Ita credo sensisse Donatum in illis verbis, *Factum autem intelligi voluit* (ex præmissis) *poë.a, non dic:.* Solitaria maris, fœminæquè conuentio (quicunquè illi sint) omnem ferè de patrati fœdè sceleris fide dubitationem excludit. Dicere necesse non est, quod patet adiunctis.

Non potuit exprimi meliùs, quanta praui consortij sit vis, quàm illo Maronis ingeniosè commento, quo in speluncam Reginam compulit & Æneam. 54

Praui consortij vis expenditur.

Speculuncam Dido, Dux & Troianus eandem
Deueniunt.

Visus Iunoni locus ille est his insidiis aptissimus, in quo facilè ad turpitudinem ab honestate deficerent. Quid ita? Audi. In antris olim & speluncis fœdæ huiusmodi voluptates exercebantur; vnde meretrices *Lupa* & *Leana* dicuntur, meretricationis verò loca *Lustra, Fornices, Antra* sunt appellata. *Vnde natum* (ait Zerda) *Latinis verbum Fornicor.* Hùc igitur, ait Iuno, compellantur amantes quibus ita parietes ipsi sedis turpissimæ, & inertia saxa famulabuntur ad Venerem, vt facilè ex inanimatarum etiam rerum consortio turpiter illi labantur, & mei ego voti compos existam, quæ Afræ & Troiani Principum coniugium intendo. Tanta prauæ societatis est vis, vt vel à rebus inanimatis cauendum sit, quæ habere possunt prauitatis saporem contagium turpitudinis, infecturam libidinis. Prælare ergo Donatus inquit loci necessitate Reges hos fuisse in turpia compulsos. *Tantum Iunonis dolosa spelunca fecit inuentio.* (Donati verba) *vt Æneas in illa coniunctione non voluntatem habuisse, sed vim quandam passus esse videretur*, Caue caue huiuscemodi insidias, & cum casto Ioseplio vel pallium dimitte in turpis Ægyptiæ manus, ne contagio lædaris, vt expendit Ambrosius.

56 Suæ solent amantes voluptati blandiri, affectui adulari, etiam cum nullæ suppetunt adulationis causæ, deplorationis multæ: sese ipsos felicissimos canunt, cum vel præ oculis habent infelicitatem, præquè manibus illam experiuntur. Quando Æneas, & Dido indulgent voluptati sub antro, Nymphæ inquit Virgilius, Visæ sunt Regibus summo vertice montis vlulasse.

Sibi temerè sæpè blandiuntur amantes.

Summoquè vlularunt vertice Nymphæ.

Hoc est, vt aliqui existimant, Nymphæ visæ sunt applausisse coniugio, (nam sic Didò rem turpem.

Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.)

Accinuisse voluptati, amantibus arrisisse; nam *vlulare* pro re lætâ posuit Lucanus, lib....

Lætis vlulare triumphis.

Quas constabat Furias esse, Nymphas appellant; qui vlulatus est verè, falsò plausum existimant; Numinum fauentiam putant, quæ turpitudinis erat commissæ vera proditio. Sic est, vt sibi temere miselli palpētur amantes. Animadvertit hanc poëtæ accuratissimam curam diligentissimus Zerda. *Herens vestigijs Seruij, & Nannij* (inquit IESVITA) *existimo per Nymphas intelligi. Diras, quas Poeta tamē vocauit Nymphas, vt errorem amantium indicaret, qui, cum vlulantes Furias audiuissent, decepti voluptate, Nymphas se audiuisse putarunt; sed esse reverâ Furias Virgilius voluit patefacere, cum intulit verbum vlulo: atquè ideò Nymphæ erant amantium opinione, re ipsâ vlulantes furiæ.*

Quam

Quam vt firmet interpretationem, addit deinde. *Id vt credam, facit imitatio Ouidij, apud quem Dido in Epist. de hoc ipso loquens, ait;*

Audieram voces, Nymphas vlulare putaui;
Eumenides fatis signa dedere meis.

Sententia est; Audiui vlulantes Furias in meam perniciem, ego tamen mihi illudens existimabam eas esse Nymphas; dementer, nam Nymphæ vlulare qui poterant? Hæc Zerda.

Nullus datur equus magis effrenis, quàm amans est, qui aliquando tamen succubuit turpitudini. Succubuit Elysa, statimquè illam ita videas effrenem, vt dicat Virgilius, 57 Qui succũbit libidini, totus in præceps ruit.

Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,
Coniugium vocat.

Vbi grauiter & acutè Landinus. *Iam ab incontinentia transit ad intemperantiam; non enim iam ampliùs luctatur aduersus libidinem, nec pudet, aut dolet facti, nec latebras quærit peccato.*

Sed ante quàm vlteriùs progrediamur, audi Donatum, expendentem ambitiosa Iunonis vota ideò in cassùm omnia recidisse, quia ambitiosa; nam quæ ad omnia omninò nititur ambitiosa petitio, plerumquè nihil assequitur. Quid Iuno petebat, imò ambibat his dolis? illud primùm, ne Æneas Romanum occuparet imperium Didonis coniugio retardatus in Africa; deinde, vt Carthaginem suam, 58 Qui omnia omninò petit, nihil assequi solet.

Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Posthabitâ coluisse Samo,

Elysæ Troianiquè connubio nobilitaret; & Romanorum gloriam, quam fatis deberi videbat Æneæ, *Lybicas aduerteret oras,* hoc est, transferret in Lybiam. Multa petis, ô Iuno, (inquit Donatus) quàm vereor, ne tua hæc omninò vota euanescant. Proculdubio omnia euanuerunt; ille namquè dies, qui primus has dolosas Iunonis artes vidit, primus etiam oppressit, irritas reddidit, & mala penitus inuexit innumera;

Ille dies primus lethi, primusque malorum
Causa fuit.

Neque illa Æneadas à Romano auertit imperio, neque profuit Carthagini, imo grauiter obfuit, Reginâ interim sublatâ, mucrone præ dolore transuerberatâ. *Ecce Æneæ* (Donati verba) *fortuna, & consiliorum exitus, quæ habuit Iuno, dum vult suæ prodesse, & commoda fouere Carthaginis, Æneã verò ab Italiæ partibus separare, sic Didoni non coniugium, sed vltimum procurauit interitum; nec profuit Carthagini, & æmulum suum tenere non potuit.* Omnia Iuno tentauit amplecti, complecti nil potuit. Fraudes sæpe authorẽ illudunt.

59 Diuinatione opus nõ est, vt dicatur adesse pœnam, vbi adsit & culpa.

Digna etiã illa notula est, quæ proponatur hoc loco. Cum cõstet, Didonis lethum, post egressum Carthagine Æneam, fuisse, & longò post tempore deletam esse Carthaginem, cur Poeta dixerit, illum diem, qui primus culpæ fuit, primum lethi & malorum extitisse?

Ille dies primus lethi, primusquè malorum

Quia profectò diuinatione opus non est, vt prævideatur & præcanatur adesse pœnam, vbi adsit & culpa. Culpæ indiuidua comes est pœna, vt effectus est causæ; vbi hæc ponitur, & ille ponatur necesse est. Non hæc miraculosa præuentio est, sed certa prædictio.

60 Virtutis nomine amantes solent suos amores tegere

Amantium est virtutis nomine suos tegere amores, & sub honestatis specie turpitudinem dissimulare. Fecit hoc amans Dido, quæ turpem lapsum

Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Culpa quærit à virtute velamen, vt sibi securiùs indulgeat.

Vbi Donatus. *A matrimonij nomine turpissimam culpam credidit tegendam.* Benè. Sed illud melius. Quasi pudore culpa suffundebatur, quæ exposita omnium oculis, omnium aspectibus esset; quæsiuit ergo à virtute velamen, quo prætextâ pudere non posset, & sic, abiecto pudore, indulgeret amoribus.

61 Cõtra spem ipsam sperat amator.

Hîc Donatus contrà spem ipsam ait sperasse Didonem Æneæ coniugio, tædisquè potiri. Erat quippe amans, quæ contrà spem ipsam nitebatur in spem. Audi interpretis verba. *Quâ autem spe matrimonij ducebatur Dido, quod eo genere contraxerat, cum ipsa Æneam in conuiuio referentem audisset, responso Creusæ vaticinantis accepto, & Regnum Italiæ iam sibi paratum esse, & coniugem regiam? Apollinis quoque, & Deorum Penatium, Heleni etiam vnum idemquè extitisse prædictum, quo non tantùm Æneæ, verùm etiam liberis, & posteris eius, per vxoris Italicæ consortium, Italiæ, atque orbis totius deberi memoratum est regnum?* Vide quàm præcisa Reginæ spes esse debebat habendi in coniugio Troianum, & tamen *Coniugium vocat.*

62 In malum Principum exemplum omnes offendunt.

Faciliùs in malum Principum exemplum inferiores offendunt, quàm virtutes admirantur, & bona. Quæ non vrbes finitimæ, qui non populi miserum Didonis defectum notarunt? improbarunt? illius virtutes, & bona non ita. Miram Seneca ad hanc rem comparationem inducit. Vt enim nullum ferè sol habet admiratorem, imò nec spectatorem sui, cum fulgentissimam spargit lucem, producit flores, fructus mollificat, metalla ingenerat, cogit vniones, & huiusmodi multos parit effectus; at verò cum deficit, & eclypsin patitur, nemo non in illum oculos mentémquè conuertit, eiusque defectum demiratur, laborem loquitur: sic contingit omninò Principibus, dum illorum deficit lux, fuscantur radij, existimatio bona laborat. *Sol* (inquit Cordubensis) *spectatorem non habet, nisi cum deficit; Lunam nemo conspicit, nisi laborantem.* Hæc obiter de Didone, cuius proba ad id tempus existimatio passa tunc est, vt ita dicam, eclypsin, & turpis conclamata est;

Extemplo Lybiæ magnas it fama per vrbes.

Et, *Hæc tum multiplici populos sermone replebat.*

Et, *Hæc passim Dea fœda virûm diffundit in ora.*

Opportuna

Opportuna est Landini commentatio in illud Virgilij de Famâ, 63

Ingrediturquè solum, & caput inter nubila condit. Vel maioribus vel minoribus fama nō parcit.

Ostendit Poëta (inquit interpres) *neque humilioribus, neque maioribus illam parcere.* Non humilioribus, ideò dictum *Ingrediturquè solum*, non maioribus, ideò *& caput inter nubila condit.*

Qui aliis viuit legibus, quàm eæ sunt, quas communitas sequitur, 64 monstrum omninò est. Quærit Donatus, quam potissimum probationem Virgilius afferat, vt *monstri* nomen quadret in Famam? sic enim Poëta de illâ, Monstrum ille omninò est, qui à communi exorbitat lege.

Monstrum, horrendum, ingens.

Et pulchrè pariter & acutè respondet. Illam crediderim irrefragabilem probationem esse, quæ sequitur,

Viresquè acquirit eundo.

Non communes illa sequitur leges, à tritis exorbitat. Naturalis illa, & communis est lex, vt itinèris defatigatione, & labore viæ vires deperdantur. Hanc fama legem inuertit, hanc fugit, cum ipsa *vires acquirat eundo.* Alijs illa legibus viuit, communitati contrarijs; *Monstrum* ergo, & *horrendum* est monstrum. *Citò ambulat* (Donati verba sunt) *& fit fortior; vires enim non perdit, sed acquirit, nam contrarijs iuuatur, vtpotè monstrum.* Nota, *Nam contrariis iuuatur, vtpotè monstrum.*

Benè Seruius expendit, quare Virgilius dixerit Famam *Nocte volare, Luce sedere,* in hac eiusdem descriptione. Sic Poëta, 65 Quare Fama nocte volare, die quiescere dicatur.

Nocte volat cœli medio, terraquè per vmbram.

Luce sedet custos.

Benè (inquit Seruius) *naturalem rem dixit; nam quantò magis celatum est aliquid, tantò magis requiritur; & sine dubio incipiens fama semper obscura est, quæ diuulgata, conquiescit. Vnde ait, Luce sedet custos.*

Vt Fama prodat Didonem & Æneam turpibus amoribus indulgere, quibus vtitur verbis? his, 66 Conuiuiis & luxu libido nutritur & fouetur.

Nunc hyemem inter se luxu, quàm longa, fouere.

Illos ait conuiuijs hyemem, otio, luxu, delicijsquè fouere. Non potuit expressiùs & modestiùs turpem prodere culpam. Proposuit causam, vnde hic effectus necessariò consequitur. Notauit pulchrè Donatus. *Hac fama referebat illos conuiuiis suis vacare, ac luxui, hoc est, libidinis partibus. Positis partibus, Totum ponitur.*

Ea est in turpitudine vis, vt vel turpis narratio narrantem fœdet, 67 & inficiat audientes. Zerda in Carmen illud, Contagium à turpitudine facilè trahitur.

Hæc passim Dea fœda virûm diffundit in ora.

Adiectiuum *Fœda* cum substantiuo *Dea* coniungit; & fœdam tunc fuisse Famam interpretatur; quare vero? quid Famæ cum fœditate? quia Troiani & Elysæ turpes amores decantaret. Turpiloquium illam *fœda* adiuncto dignam effecit. *Ideò Fœda,* (inquit) *quia*

fœditatem narrando ſpargebat. Ab huiuſmodi fece facilè inficimur, contrahimuſquè contagium. Dicatur *Fœda*, quæ rem turpem vel ore tenùs attingit.

Alienum malum hominum ſermone diffunditur, bonum non ita.

Sed Donatus epitheton *Fœda* ſubſtantiuo *Ora* putat eſſe iungendum. *Dea diffundit hæc in ora fœda virûm.* Quare ergo fœda dicuntur virorum ora, in quæ res turpis illa diffunditur? Quia vt bona ex ore in os plerumquè minuuntur, ita & mala ex ore in os plerumquè augentur, & amplificantur. Communis hæc hominum conditio eſt, ac fermè natura. Dicantur ergo *fœda ora*, quæ, quod admiſſum eſt mali, acriter carpunt, turpiter augent, fœdè diffundunt. *Non Dea fœda*, (inquit interpres) *ſed fœda ora, vbi enim quid ſecùs admiſſum in hominum ſcientiam venerit, turpiùs, quàm admiſſum eſt, carpitur.* Fœda huiuſmodi ora! turpes linguæ!

68 Cum Iarbas Rex inuectus in Iouem fundit incondita, illum Maro *Amentem animi* vocat;

Amens animi eſt, qui peccat in Deum.

Iſquè amens animi, & rumore accenſus amaro,

Sic ad Iouem; *Aſpicis hæc?* Illi prouidentiam adimit impius. Hæc omnino animi dementia eſt, aliæ non ita. Aliæ ad intellectum dementiæ pertinent, hoc ad voluntatem; ita vocem *Animi* interpretor. Benè Landinus. *Oratio plena indignationis, & in Deum nimis aſpera. Non immeritò dixit, Amens animi; nam quis amentior eſt, quàm qui in Deos ſæuit?*

69 Notat acutè Seruius Iarbam Regem, cum ad Iouem iratus de Didonis coniugio conqueritur, officia erga Iouem memoraſſe præſentia, quæ magnā vim habent, non vel præterita vel futura, quæ intermortua ſunt; viuidiora maluit, & quæ mentes impellunt. Sic ait,

Quæ præſentia deferuntur officia, plurimū mouent.

Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris lenæum libat honorem,

Benè nunc dixit; nam quamuis officia in Deos habeant æternam gratiam, & ſpectent tam præteritum, quàm futurum, tamen in præſenti plus valent: Ita Seruius. Sic res apud Iouem vehementiùs vrgetur, ſi apud Deos huiuſmodi officia vim habere maximam fingitur, quidni apud homines?

70 Proximi ſunt atheiſmo amantes turpes illuſi. Illuſum ſe à Didone putabat Iarbas, quem illa præ Troiano contempſerat. Quid tum ille ad Iouem?

Turpis amor illuſus atheiſmum ferè inducit.

Aſpicis hæc? an te, Genitor, cum fulmina torques,
Nequicquàm horremus? cæciquè in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Vbi Donatus atheiſmum ſubolet in hoc amante. *Quid eſt Aſpicis hæc? Si hæc vides, cur non punis? ſi non vides, non eſt dignus, qui colaris Deus.* Sic Donatus; & Landinus. *Oratio plena indignationis, & in Deum nimis aſpera.* Et addit deinde; *Secundum Epicurum, qui Deos negat humana curare.* Et prouidentiam negat, & Deitatem adimit.

Polyphemus

Polyphemus apertè apud Ouidium lib. 13. Metamorph. atheiſtam ſe profitetur à Galatea contemptus;

Quiquè Iouem & cœlum ſperno, & penetrabile fulmen;
Nerei, te veneror.

Vbi Anonymus in margine pulchrè ſanè. *Facilè patitur naufragium pietatis, qui ſeſe immittit in æſtus amoris:* turpis nimirùm.

In hæc Carmina, quæ Iarbas Rex effudit in Iouem, 71

An te Genitor cum fulmina torques
Nequicquam horremus, cacique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Suis Rex prodeſſe deber, non nocere.

Notat Seneca lib. 2. Naturalium cap. 43. & 44. Regem (qui ſub Iouis perſona intelligitur) non debere in ſuos torquere fulmina, vt noceat, ſed vt eis metum inijciat. Illa capita conſule, vbi fuſiùs Philoſophus. Et recurre ad illa Carmina lib. 1. Æneidos, vbi Venus ad Iouem ipſum,

O qui res hominúmquè Deûmquè
Æternis regis imperijs, & fulmine terres.

Terrendo fulmine Iuppiter regit imperijs & res hominum, & Deorum. Interim hîc audi hæc paucula Senecæ. *Quare id ſolum fulmen, quod Iupiter mittit, placabile eſt; pernicioſum id, quod deliberauit, & quod alijs quoque Dijs authoribus miſit? Quia Iouem, ideſt Regem, prodeſſe etiam ſolum oportet, nocere non, niſi cum pluribus viſum eſt. Diſcant hi, quicunquè magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine conſilio nec fulmen quidem mitti. Aduocent, conſiderent multorum ſententias, placita temperent, & hoc ſibi proponant, vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem ſuum ſatis eſſe conſilium.* Pulchrè quidem & verè!

Sine aliorũ cõſilio Princeps, aut ſuperior in ſupplicia ferri non debet.

A Didone dum ſe excluſum Iarbas conqueritur, quidquid excludentis eſt, súſquè déquè habet, & deformat affectu amantis excluſi. Audi. 72

Excluſus amans ſuſquè déquè habet quidquid eſt excludentis.

Fœmina, quæ noſtris errans in finibus, vrbem
Exiguam pretio poſuit, &c.

Non Reginam vocat, ſed *Fœminam*, illuſtriſſimam tunc Carthaginem, *vrbẽ* appellat *exiguã*. Vidit Donatus. *Ait Fœmina, quaſi abiecti ſexûs; & vrbem exiguam, non quòd verè exigua eſſet, ſed tales dicere voluit, qui amens animi deformantis animo loquebatur.* Sic Donat.

Poſtquam expendiſſet Donatus iratum Iarbæ animum, quo in Reginam inuehitur, ab illo carmine, *Fœmina quæ noſtris* &c. ita pulchrè concludit. *Hæc non ſunt omnia pro veris accipienda, quæ amens fundebat, & amans excluſus, quæ iactabat inimicus, quæ clamabat iratus.* 73

Vera habẽda nõ ſunt, quæ fundit iratus.

Amantis Iarbæ, ſed deſpecti, amentia illa amentiſſima eſt, vt expendit Donatus. Tunc maximè hic peccat in Iouem, cum eum ſibi beneuolum cupit & propitium. Sic Iarbas ad Iouem. 74

Amantium amentia eſt, in eos ſæpè

peccare, quos tunc maximè beneuolos cupiunt.

Nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamquè fouemus inanem.

Ac si diceret (inquit Seruius) *Non mirum si hæc patimur te colentes*: Et Donatus. *Quando, inquit, alia vides, & probas, non tuis cultoribus, sed alienigenis prodes; in cassùm tuis templis ferimus dona, & Numen putamus esse, quod non est.* (Ita hi duo graues interpretes; quamuis aliâ Zerda incedat viâ.) Et addit statim Donatus. *Ecce & ipsum, quem ad hanc partem necessarium putabat, lædit. Quod facit amentia malum, & doloris impatiens animus; cui nonnunquam datur venia, quoniam mentis interueniente corruptione peccatur.*

75 Sæpè iniurias debet, suas dissimulare Superior.

Sed has Iuppiter dissimulauit iniurias, (inducitur enim à Marone Superioris Idæa) nam amens animi illas effuderat, & impos amorum.

Isquè amens animi, & rumore accensus amaro.

Quare contumeliosum hominem sine vllâ animi commotione Iuppiter audiit.

Talibus orantem dictis, arasquè tenentem
Audijt omnipotens.

Quia nonnunquam datur venia, cum mentis interueniente corruptione peccatur. Quod suprà Donatus. Et addit, *Denique ipse Iuppiter commotus non est, sicut ipse Poeta monstrauit, dicens, Talibus orantem* &c.

76 Suis Deus aris immunitatẽ tuetur & seruat.

Crediderim tamen Iouem in iniuriosum hominem grauissimo tunc non irruisse supplicio, quia ad aras ille confugit, & inter Diuorum Numina constitit. Nam paulò antè esse

Dicitur ante aras, media inter Numina Diuûm.

Et nunc, *Talibus orantem dictis, arasquè tenentem*
Audijt omnipotens.

Quidni Iuppiter illum non puniat, qui confugit ad aras, illasquè tenebat? Ingeniosè Donatus. *Quamuis contumeliosis dictis vsus fuerat, tamen quia tenendo aras deuoti officium testabatur, hunc Iuppiter audijt.* Locus itaquè sacer, consortiumquè Diuorum à supplicio merito redemêre nocentem. Et suis Deus aris, suis templis immunitatem tueri voluit, & inuiolatam seruare.

77 Sacerdotum Deus honori parcit & consulit.

Hic fortassè Iarbas & Rex erat, pariterquè sacerdos, ex antiquo more, quo Regia dignitas cum sacerdocio conuertebatur. Noluit igitur Iuppiter sacerdotem suum publico supplicio multare, peccantem licet & nocentem offenderit: quia sacerdotibus Deus inter aras & altaria honorem defert, & tantæ dignitatis existimationi parcit & consulit. Ita sensisse credo Donatum, (quamuis sacerdotem Iarbam fuisse non dicat expressè.) In ijs verbis, quæ antecedenti numero retuli. *Quamuis contumeliosis verbis vsus fuerat, tamen quia tenendo aras deuoti officium testabatur, hunc Iuppiter audijt.*

78 Cum conaris aliis iniuriam inferre, eandem tibi, ipsi irrogas, & sæpè

sæpè grauiorem. Conatur Iarbas iniuriam inferre Didoni apud Iouem, quippe quæ *Vrbem Exiguam pretio posuit* Criminatur Reginæ, quod vrbem condiderit, & sibi sitûs pretium persoluerit. Crimen hoc Didonis an Iarbæ? *Nos* (interpretatur Donatus) *ei exiguum spatium pretio vendidimus*. Iarbæ ergò crimen potiùs est, quam Didonis, cui ille & Reginæ Rex, & spatiũ exiguum, & pretio vendiderit: malignæ ille, parcæque naturæ, qui exiguum terræ spatium, & terræ infœcundæ, (erat quippe littus; ipse testatur, Cum iniuriã alij tentas inferre, tibi ipsi eandẽ irrogas.

Cui littus arandum

Cuiquè loci leges dedimus.

Vbi Seruius. *Et infertilem & angustam terram, hoc est, talem illi dedimus terram, qua nulli esset necessaria.*) non sine maximo fœnore dedit. Se ipsum deformat, cum deformare tentat Didonem. Deinde stulti est sine causa conqueri. Quid Iarba de Didone conquereris? non illa tibi pretium omninò persoluit? stultè ergo agis, ac sinè cerebro apud Iouem causã instituis. Benè hic Seruius. *Si vendidit, quid conqueritur?* Et se probat esse malignum & parcum maximè, hac conquestione, & stultitiæ sibi notam invrit, cum Reginæ iniuriam conatur inferre.

Pulchra illa omninò sunt verba, quibus Donatus vtitur in hoc emistichium. 78

Nihil aliud agit, aut cogitat amans prçter amóres.

Oblitos famæ melioris amantes.

Vbi enim (inquit) *amor intervenerit, nihil præter libidinem cogitatur: non vtile aliquid quæritur, commoditas nulla, honestas nulla tractatur; subit negligentia omnium rerum, negotia differuntur, officia languent sic in oblivionem veniunt omnia, quasi vniuersorum commoditas actuum in solo amore consistat.*

Vt Iuppiter Didonis & Æneæ turpes culpas præcideret, vide quantâ ille celeritate Mercurium vocet, qui ad sui oblitos legatus acer mittatur amantes. 80

Amoris culpa ocyùs est præcidẽda, ne serpat.

Vade age Nate, voca Zephyros, & labere pennis.

Summâ hæ voces celeritate feruntur, *Vade, age Nate:* & quasi solis pennis Mercurium ferri parum esset, Zephyros iubet acciri, qui quàm ocyssimè pennas impellant. Et vrget instantiùs.

Et celeres defer mea dicta per auras.

Et pedes sunt vocesquè celerrimæ Et vt mandatum ipsum rei necessitati respondeat, addit.

Nauiget; hac summa est.

Vnicâ ille voce *Nauiget* mandatum includit. Expende deinde ad hanc rem, vix Carthaginem attigisse Mercurium, cum, *alatis* adhuc *plantis*, & *continuò*, inuadit Æneam; nullam ille temporis moram fecit.

Vt primùm alatis tetigit magalia plantis
Continuò inuadit (Æneam scilicet)

Acutè Donatus. *Vade, age, voca Zephyros, & labere pennis. Penna enim sine ventorum flatu tardiores sunt, accepto autem Ventorum adiumento in celeritatem nimiam concitamur, vt totâ maturitate ad destinatos amantes perveniret.* Si amantes illi non essent, necesse non erat, vt tantâ Mercurius celeritate ferretur. Sed in turpi amore quæcumquè morula multum habet illa periculi. Fusiùs Zerda in Explicatione. *Totus versus celeritatem expirat; illum expende. Audis enim, Vade, Age, & voca Zephyros, quibus veharis: neque his contentus pennas adde, quibus delabaris. Ipse versus mentem Iouis indicat, qui quàmprimum voluit, vt turpi malo occurreretur. Inde etiam suo nuntio Mercurio paucissima prabet mandata. Deinde, vt hac mandata celerrimè perferantur, iubet, hortatur, blanditur. Iubet, cum ait Vade; hortatur, Age; blanditur, Nate.* Veniat igitur, vt turpi occurratur malo. Mercurius ab Ioue missus, Numen ab Numine, & alatis veniat plantis, & Zephyros vocet, qui alas impellant, & vt primùm alatis tangat plantis locum, vbi amantes erāt, continuò illos inuadat, & carpat. Tota hæc celeritas omninò necessaria est, vtinamquè sufficiat, vt pestis hæc turpis præcidi possit & vinci.

81 Iube Superioris imperio, & patris amore.

Neque totum te Patrem exhibeas, ne totum Superiorem. Iunge imperium amori. Iubet illud, hic hortatur; impellit vtriusquè coniunctio. Felicissimum illa iussio exitum habet, quæ vtrumquè coniungit. Grauissima Iuppiter Mercurio mandata commendans, quæ ad felicissimum cupiebat exitum pervenire, sic loquitur.

Vade age, Nate, voca Zephyros, & labere pennis;
Dardaniùmquè ducem
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.

Ingenosè iubet; quare Imperatiua tempora concinnauit, *Vade, Voca, Alloquere, Defer*; sed se etiam meminit esse Patrem, addendo, *Age*, *Nate*, hortationis blandæ vox prima, amoris secunda vox est. Primis illis iubet vt Rex, his blanditur vt Pater: & Patrem agit, & Regem. Ingeniosè & pulchrè Donatus. *Consideremus cuiusm odi verbis vsus est Iuppiter. Vade imperatiuum est, Age hortatiuum. Cum imperatiuo autem religiosum connectit & pium. Voca, Labere, Alloquere, Defer, qua imperatiua sunt, quorum alia expectant ad personam patris, Regis verò alia; vt ille duplici necessitate constrictus voluntatem Patris impleret & Regis.* Compendiosa planè ad felicem effectum illa via est, quâ geminata proponuntur officia, geminatæ rationes congeruntur, illæ amoris, illæ seueritatis, seueritatis in Rege, amoris in Patre. Rude imperium est Regis, quod non olet & Patrem.

82 Cum Deus aliquid iubet, iuuat impensas.

Ea diuinæ iussionis natura est, vt ad id, ad quod vocat, iuuet impensas. Mercurium Iuppiter vocat, qui moneat Æneam, vt continuò Troianos Africâ excedat, & naues conscendat in Italiam; Et ita prouidus Deus est, quò iussio exequutioni mandetur,

vt antequam iubeat, iuuet impensas. *Voca,* inquit, *Zephyros*, quibus Troianus nauiget, & celerrimè in illas deferatur partes, in quas illum cæleste vocat imperium.

Vade age Nate, voca Zephyros.

Sic in rem meam interpres est Seruius. *Voca Zephyros, quibus Æneas nauiget.* Et hanc ille certam carminis interpretationem existimat: siquidem Mercurius posteà ad Æneam, nauigationem vrgens, sic ait.

Non Zephyros audis spirare secundos?

Vt Æneam ergo ferrent, præuenti sunt venti. Sed esto, vtrique Iuppiter ventos præuenerit, & Mercurio, quem legatum mittit; & Æneæ, cui ille legatus mittitur. Vterquè iubetur à Ioue, ille Carthaginem ire, iste abire Carthagine. Vtriquè igitur Deus iuuat impensas.

Expende obiter, quæ debeant esse Superioris partes, verbulis illis tribus inclusas.

Vade, Age, Nate.

Constantiam in præcepto; *Suauitem* in modo; *Amorem* in executione. *Vade*, quàm forti præcepto! *Age*, quàm suaui modo; *Nate*, quam amanti executione! Animauit hoc acumen Iesuita Zerda; *Vt celerrimè mandata perferantur, Iubet, Hortatur, Blanditur.* Vidit priùs Seruius; *Iubet, cum ait, Vade; Hortatur, Age; Blanditur, Nate.* Vide, quàm breui emistichio vtilissimum Poëta prudentissimus inclusit oraculum. Superioris partes in præcipiẽdo.

Maioris suæ felicitatis oblitus Æneas commorabatur Carthagine, Italiæ immemor, quo ad Romanum vocabatur imperium. Quem cum cœlum ad tantam vult tandem dignitatem evehere, priùs illum reprehendit; priùs deprimit, quam attollat. Audi Mercurium, deprimentem priùs, deinde attollentem; qui Æneam. 85. Illos Deus solet priùs sæpè deprimere, quos vult attollere.

Continuò inuadit; Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramquè vxorius vrbem
Exstruis, heu regni, rerumquè oblite tuarum!

Stultum vocat, *mollem*, *inertem*, *oblitum*, *immemorem* ex sententia Donati. *Obiurgatio est, potiùs quàm inuectio; Tu nunc &c. Stulti est aliena curare, sua negligere. Vxorius, id est, mollis, iners; Oblite, qui tuarum rerum & curam, & memoriam, & studium deponas.* Obiurgauit acerrimè, grauissimè depressit; sic securiùs attollit. Sequitur deinde.

Respice, cui regnum Italiæ, Romanaquè tellus
Debentur.

Quid huic magnificæ promissioni est cũ primâ illa obiurgatione cõmune? Pulchra sanè connexio depressionis præuiæ, & subsequentis evectionis. Mirè sibi respõdent & quæ præcedũt, & quæ sequuntur. Cœleste ingeniũ est depressioné præmittere, vt securior offeratur &

indulgeatur evectio. In hunc sensum præclarè Gaspar Sanchez expendit hæc carmina, in Iob. cap. 38. vers. 2. num. 12. *Quos ornare vult Deus,*(inquit) *priùs aliquid obijcere solet, quo illos & pudore suffundat, & suæ tenuitatis conscios reddat, quo se ad maiora comparent beneficia,& si quid habent inflati spiritûs, id totum abijciant. Sic apud Virgilium &c.*

Hanc didicit lectionem Mercurius à Ioue, qui cum legatum filium Carthaginem misit ad Æneam, mandata priùs proponit iratus, & Æneam deprimit & obiurgat; deinde attollit & laudat. Hæc ad illum perferas volo, inquit Iuppiter, & cum stomacho perferas.

Non illum nobis Genitrix pulcherrima talem
Promisit.

Vbi Donatus. *Quod ait Talem, hoc significat, amatorem, desidiosum, negligentem, obliuiosum. Post hanc vituperationem sequitur plena laudatio* Vide quàm plena,

Sed fore, qui grauidam imperijs, belloquè frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.

Quam Æneæ laudem paraphrasis pulchra Donatiana commendat. *Bis euasit infortunia patriæ suæ, vt feroces Italiæ populos domet, & pullulantia imperia virtutis suæ maiestate compescat, repetatquè orientem patriam,& genus Teucri cum omni orbe feliciori fortuna conseruet; ad hanc felicitatem natus est, ad hoc illum Genitrix sua suscepit, & aluit.* Præcessit obiurgatio & depressio, post tanta rerum dignitas sequitur. Necessarium illud cæmentum fuit, quo tanta niti moles posset Imperij.

84 Benè Landinus notat in Emistichium illud,

Legibus debent Reges nō suâ libidine populos temperare.

Ac totum sub leges mitteret orbem.

Sub leges inquit, nam optimi Reges non suæ libidini, quod Tyrannorum est, sed iuri & legibus, quos subiectos habent, parere volunt.

85 Cum laudabilis illa obedientia sit,quæ cæca dicitur,nec causas inquirit; expedit tamen, in re præsertim difficili rationem iussionis Superior reddat interdum. Quod IESVITA Pontanus expendit in verba illa Iouis ad Mercurium, quem legatum mittit ad Æneam.

Expedit rationem reddat Superior interdū, cū rem difficilē iubet.

Nauiget; hæc summa est.

Breuiloquentia (inquit) ad imperandum est aptissima; & reges, ac Principes pro maiestate suâ paucis verbis dare mandata conuenit. Quæ præcesserunt causam mandati continebant, cum obiurgatiuncula Æneæ. Et fuisset durum hoc vnum precisè nunciari Æneæ, Nauiga Ænea, Iuppiter iubet. Reddita causa difficilem alleuat obedientiam.

Breuiloquētia Principes decet.

Omnino

Omninò Dei vox est;quæ nos ad labores hortatur & vocat. Securè illam audiamus, exequamur securè. Iubet Iuppiter mandata ad Æneam per Mercurium citissimè deferantur, 86 Quæ nos ad labores vocat, Dei vox est.

Vade age, Nate, voca Zephyros & labere pennis.

Et quæ illa mandata? hæc,

Nauiget, hæc summa est.

Proculdubio à Deo mandatum hoc, quod multiplicis infelicitatis continet summam. Ad nauigationis incommoda, pericula, labores vocat Æneam. Defert hoc mandatum à Ioue Mercurius, quod Æneas ipse agnoscit à Ioue, quia ad multa vocaret incommoda, commodis, quibus ille potiebatur, abiectis.

Quid struis? aut quà spe lybicis teris otia terris?

Quietem desere, inquit Mercurius, metire maria, pericula aggredere, labores appete, relinquè Lybiam, quære Italiam. Quid Æneas ad hæc? Manifestè noui à Deo vocem esse, quæ ad labores impellit. Sic ille ad Didonem,

Ipse Deum manifesto in lumine vidi,
Intrantem muros, vocémquè his auribus hausi.

Dubium non est, quin vox, quam auribus hausi, cœlestis omninò sit, qua nauigationis pericula & labores iubeor intrare. Vide lib. 3. num. 55.

Nota item, Necessariam è cœlo vocem interdum esse, vt labores aggrediamur. Nouit Deus eam mortalibus esse naturam, vt labores fugiant, quare illos sua impellat voce necesse est, vt *optimam hanc* (quod ait Tertullianus) *negociationem suscipiant*. Vide lib. 3. n. 46.

Iuppiter Mercurium vrget, vt actutum, sine mora Carthaginem adeat, & moneat Æneam, vt nauiget in Italiam; 87 Obedientia sine tergiuersatione aut mussitatione laudatur.

Vade age, Nate, &c.

Statim ille obedit imperanti, quin tergiuersetur, quin mussitet.

Ille Patris magni parere parabat
Imperio.

Iubet ille, exequebatur hic: præsens est iussio, de præterito executio est. Præclarè Seruius. *Non respondet, vt Numen inferius, sed obtemperat.* Deo & superioribus sine vlla mora, & mussitatione obediendum est.

Expende in Mercurio, (qui à Deorum legationibus fingitur,) quando ad Iouem sistitur legandus Carthaginem, sine alis sistitur, cum semper alarum remigio humeros ille & talos ornasse dicatur. Quid hoc? Vt indifferentem se Superiori exhibeat inferior, sine alis, hoc est, sine propria libertate (quæ per alas significatur, & ipso alarum patet ex vsu) se sistit, quancumquè in partem æquè propendens, in quam voluntas Superioris propenderit. Cum verò expressa illi voluntas est Iouis, ad executionem statim nectit ille talaria, 88 Indifferentem sese superiori exhibeat inferior.

 Pedibus

Pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora suprà,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Ex Maroniana imitatione eundem Mercurium Statius inducit lib. 1. Thebaid. sine alis, dum Iouis mandata audit; cum alis, vt illa faciliùs, & citiùs exequatur;

Paret Athlantiades dictis Genitoris, & inde
Summa pedum properè plantaribus illigat alis.

In hanc me mentem induxit acutissimus apud Mendozam locus Tom. 2. Annot. 2. in cap. 3. Sectionis primæ num. 3. quem eisdem tibi Mendozæ verbis subijciō. *Hanc obedientiam ad omnia promptissimam profiteri videbantur illi Seraphini, qui ante Dei solium stabant, & volabant, non quidem illis alis, quas ad capita habebant; ne ad sublimia tantùm anhelare viderentur; neque illis, quas habebant ad pedes; ne viderentur ad sola infima determinari: sed illis, quas habebant ad mediam cordis sedem. Isaiæ 6. num. 2. Ad designandum (inquit Lyranus) quòd Angeli semper sunt parati ad diuina ascendere, & ad inferiora descendere, secundum Domini voluntatem. Sic enim fiebat, vt nullum præceptum diuinum, siue facile, siue difficile; siue gloriosum, siue onerosum detrectarent; sed ad omnia promptissimi accingerentur. Quamuis igitur vera obedientia ad omnia imperata extendatur; possunt nihilominùs claritatis gratiâ ad duas rerum classes reuocari ea omnia, in quibus obedientia exercetur. Nam quædam sunt faciles, & obedientiæ genio conformes; alia difficiles, & ab illius natura penitus abhorrentes. In vtrisquè perfecta obedientia expectatur, &c.*

Ad vtrumquè paratus Mercurius erat, siue ad sublimia, siue ad infima,

Siue æquora suprà,
Seu terram, &c.

Hanc fortasse Theologiam Maro (si quisquam Ethnicorum alius) ex sacris libris didicerat, quippe qui (vt ait Macrobius lib. 1. in Somn. Scip.) *Nullius disciplinæ expers.* De quo ita Crinit. lib. 10. *Satis compertum est, adeo multiplici & variâ Virgilium præstitisse doctrinâ, vt & cœlestia pariter & humana maximè intellexerit.*

89 Nostra interdum detrimenta solet, vt emolumenta, b'ādiri nobis.

Quoties id contigit, vt nos cum voluptate id agamus, quod nobis est detrimento, reputantes idem emolumento futurum? Carthagine moratur Æneas, arces erigēs, fundans muros, nouās tecta illius vrbis, quā infestior Æneæ minoribus nulla vnquā fuit in orbe terrarum.

Æneam fundantem arces, & tecta nouantem
Conspicit.

Vix ipsa Dei voce à dānis auertimur, quæ nobis vide-

Ita illum vidit Mercurius, cum à Ioue missus Carthaginem attigit. Monet ergo Deus hominem huius amentia, & Dei voce vix à tantâ deterretur insaniâ; sic enim Mercurius ad Æneam;

Tu nunc Carthaginis altæ

Fundamenta

Fundamenta locas, pulchrámquè vxorius vrbem
Extruis.

bâtur æmolumenta.

Non videris quos extruas muros? quas arces erigas? quam vrbem munias? Carthaginem proculdubio tuis olim Romanis acerrimam æmulam futuram. Quæ maiora tibi & tuis detrimenta sunt, tibi quasi maiora emolumenta blandiuntur. Stultus es, qui nocitura facias, profutura deferas. In Italiam perge. Carthaginem linquè. Hoc ingeniosè Landinus expendit in voce *Carthaginis. Carthaginis, inquit; quasi dicat, terra aliena, & quæ tuis nocitura sit. Vehemens ergo dissuasio, vt nocitura faciat, profutura deserat.*

Obcæcat nos amor impurus, ne nostra dispiciamus damna.

Nota obiter vocem *Vxorius*, quæ certè non vacat; Didonis amore irretitus, cui vt vxori inseruis, vt explicat Seruius. Stultescere facit homines amor impurus, ne sua damna dispiciant. Quod pulchrè Donatus; *Stulti amantis est aliena curare, sua negligere.*

Vocabantur Æneas, & Ascanius filius ad Romanum Imperium. Immemor Pater à Ioue promissi, Carthagine immorabatur. Dolet 90
ergo Mercurius, quòd & Patris & filij spes decipiatur, qui ad altiora vocentur.

Miseratione digni, qui ad altiora vocati, infima, quæque sectantur.

Tu nunc Carthaginis alta
Fundamenta locas, pulchramquè vxorius vrbem
Extruis, heu regni, rerumquè oblite tuarum!
Respice, cui regnum Italiæ, Romanaquè tellus
Debentur.

Vbi in rem meam interpretatio Donati. *Dolet Mercurius decipi spem Æneæ & filij, qui ad altiora vocantur; quod non faceret, si accusatoris animum gereret.* Inuectiua hæc ergo Mercurij oratio non est, sed doloris plena, quòd Æneæ animus, contemptis altioribus, deprimatur ad infima.

Postquam Mercurius, quæ iuberet Iuppiter, intimauit Æneæ, 91
statim auolat Deus, & relinquit Æneam. Quid ita? Odit Deus excusationem, in ijs, quæ ipse iubet. Et quia posset Æneas aliquas afferre, dum Mercurius Iouis mandata proposuerat auolat Deus, vt liberum illi non sit, ab intimato præcepto aliquâ excusatione resilire.

Excusationem in ijs, quæ Deus præcipit odit.

Tali Cyllenius ore loquutus
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul, in tenuem ex oculis euanuit auram.

Præclarè Donatus; *excusationem fieri Mercurius passus non est; non enim ad hoc fuerat missus, vt peractis mandatis, referret etiam ipse responsum. Neque vllo modo permissus est Æneas assistere partibus suis; aliqua vtique ab illo dicerentur, si responsum hominis Deus præsens potuisset accipere.* Diuinæ iussioni humana non audeat contraire voluntas.

Proposuit ab Ioue mandata Mercurius Æneæ, qui cum apertè

92 rationi consona Troianus audisset, ita conuictus est, vt obmutesceret.

At verò Æneas aspectu obmutuit amens,
Arrectaquè horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

Aperta ratio ita conuincit, vt intercludat vocem, & verba præripiat.

Non tam stupore affectus est ob præsentiam Numinis, quod se alloquebatur, quàm quòd rationis euidentiâ conuinceretur. Ita ingeniosè sentit Landinus. *Contra verissimam accusationem, nullam excusationem, quam proferret, inueniebat; ideò stupore affectus est, & vocem emittere non potuit.* Est ita sanè, vt aperta ratio ita conuincat, vt intercludat vocem, & verba præripiat.

93 Dulces iam Æneæ terræ Lybicæ erant, sed cum illas relinquere iubetur à Ioue, actutùm, sine mora, imò ardenter agit, & anxiè satagit, quò vocatur, abire.

Vincat ratio appetitum, & hominē Deus.

Ardet abire fuga, dulcésquè relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperióquè Deorum.

Vicit appetitum ratio, & hominem Deus. Notauit pulchrè Landinus. *Quomodo relinquere, si dulces? Ostendit sibi vehementer charam esse Didonem, sed tamen malle Deo obtemperare. In pugna ergo, quæ erat inter appetitum & rationem, superabat ratio.*

Qui ingenuè reprehensionem admittit, ad maiora beneficia disponitur.

Hîc illud expende, illum ad maiora beneficia disponi, qui ingenuè reprehensionem admittit. Reprehenderat Mercurius Æneam, & acriter reprehenderat; Quæ illa reprehensio?

Continuo inuadit. Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchrámquè vxorius vrbem
Extruis, heu! regni, rerúmquè oblite tuarum.

Dura sanè in Ducem, acris in nobilem reprehensio! Donatus verè. *Inuectiuam fore dictionem Poeta ipse prænuntiauit, dicendo, Continuò inuadit,* Quod præmisit Poëta, significat, acrem nimis futuram esse reprehensionem. Quid ad hæc Troianus? verborum nihil, nihil non operum; statim morem gerit ille præceptis: nam

Ardet abire fugâ, dulcesquè relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperioquè Deorum.

Hæc Æneam summissio, & ingenua reprehensionis admissio tanto illum imperio dignum effecit. Promittentem Iouem audi.

Fore, qui grauidam imperiis, belloquè frementem
Italiam regeret; genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.

Meruit sanè, quod imperium promittitur, quæ futura canitur gloria, tam ingenua Æneæ reprehensionis admissio. Ingeniosè Donatus huic causæ hunc attribuit effectum. *Cum secum considerasset visa, & audita, elinguis effectus est; neque inanis deliberatio apud eum fuit, quem constabat Deorum esse cultorem. Addidit deinde cumulum laudis. Euasisti infortunia patriæ tuæ, inquit Iuppiter, vt feroces Italiæ populos domes, & pullulantia imperia virtutis tuæ maiestate compescas, repetasque orientem patriam, & genus Teucri cum omni orbe feliciori fortunâ conserues.*

conseruet. Ad hanc felicitatem natus es, ad hoc te genitrix tua suscepit & aluit. Qui ad iustam reprehensionem elinguis est factus, non inanem ferat summissionis mercedem necesse est, sed amplissimam, sed cumulatissimam.

Cum abire Carthagine voluit Æneas, suos præmonuit aliquot duces, vt classem taciti aptarent ad fugam 94

Superioris præsentia omnia diligentius, & ardentiùs curantur.

Classem aptent taciti &c.

Illi verò statim, *Imperio læti parent, ac iussa facessunt.*

Accingunt sese operi, necessaria disponunt, admouent manus. Secessit paulùlum intereà à suis Æneas, vt apud Reginam excessum excusaret; iterùm reuersus ad suos mirum est, quantam suâ præsentiâ diligentiam, ardorem quantum addiderit!

Tum verò incumbunt Teucri.

Studiosè priùs exequebantur ducis præcepta sui; sed ad illius conspectum non studiosè solùm, sed & ardenter; auxerunt curas, studia citarunt; Voces illæ *Tum verò*, & *incumbunt* mirè rem explicant. Quòd benè Landinus. *Tum verò, Quasi dicat, quòd præsentia Ducis omnia diligentiùs, & ardentius curantur.*

Vix Regina Dido, quos tendebat Æneas, dolos præsensit (amans 95 quippe difficilè falli poterat) *motusquè excepit prima futuros,* cum vltrò apud Æneam querelas deponit, longas illas quidem, & acres,

Amans moræ impatiẽs est.

Tandem his Æneam compellat vocibus vltrò.

Vide amantis impatientiam in vocibus *Tandem* & *vltrò*. Ad præsensionem futurorum illa motuum vltrò accusat Æneam; & quasi multum interpositum esset temporis, multúmquè secum ipsa rem expendisset, priusquàm Æneam aggrederetur, ait Poëta, *Tandem*, vt amantis explicaret affectum. Pulchrè Landinus; *Tandem compellat vltrò; & quia amantes moræ impatientes sunt; & quia, quoad posset, à principio rem præuenire cupiebat, & malo, antequam eueniret, occurrere.*

Abrepta dolore Dido cœpit obijcere fugam Æneæ, & illi perfidiam exprobrare, sanè grandioribus verbis! Tu lector expende; 96

Lenis reprehensio felicem sortitur euentum.

Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas?

Dissimulatorem vocat, perfidum appellat, nefarium dicit. Sed vix iratam illa orationem ad secundi carminis medietatem perduxit: quæ deinde sequuntur, temperata omninò sunt, blanda, mellea: audi,

Tacitúsquè meâ decedere terra?

Quærit hîc Donatus, quare tam citò illa mentem mutauit & verba? in primâ periodo adeò rigidior, adeò acrior? in secundâ adeò mollior, adeò lenior? Et ingeniosè respondet. Illius expugnare cupiebat animum, qui fugam Carthagine moliebatur; non apta satis

fore ad hunc effectum exprobratoria verba cognouit, aptissima verò, lenia; illa infelicem vt plurimùm, hæc felicissimum solere euentum sortiri. Sibi ergo in ira temperat, lenitate vtitur, & dulcem in ipsis verbis miscet affectum. *Dictio temperata est*, (ait Donatus, in secundi carminis emistichium *Tacitusque decedere terra. Quid est terra meâ? Mea, quæ te suscepit naufragum, seruauit ignotum, inopem fouit. Tacitus, hoc est, qui praestitis beneficiis, vel verborum obsequio non ageret gratias; proindeque esset ingratus, quod est admodum inter homines graue, non sentire beneficium.* Addit deinde; *Ecce suppressa sunt, quæ lædere potuerunt; ea verò, quæ audientis animum vexare non possunt, dicũtur apertius.* Sed quare? *Ne iniuria nõ reuocet, sed vrgeat properātē.* Aptior enim suasioni lenitas, ineptior seueritas.

97 Alium etiam amantis affectum expende hoc loci. Hîc Regina dolet, & amat; in prima verba erupit præ dolore, acria illa dolor expressit; secunda dictauit amor, & suppresso tantisper dolore, quo pungitur, miscet mellea, quibus reuocet. Huic Dido attentior est parti, ne lædat amasium. Ita acutè Donatus, si laudata illius verba velis expendere. *Dictio temperata; ne iniuria non reuocet, sed vrgeat properantem.* Et illa; *Ecce suppressa sunt, quæ lædere potuerunt; ea verò, quæ audientis animum vexare non possunt, dicuntur apertiùs.* Quod & in amante rustico videre est, ne id solum in Reginâ comi & ingenuâ ingenium mireris. Idem amor amantes omne sine discrimine solet instruere. Maronianus ille Corydon Eclog. 2. formosum ardebat Alexin; sed ab illo reiectus *nec quid speraret, habebat.* Centenis puer vicibus lacessitus & vocibus, respuebat Corydonis amorem; qui cum amaret, & doleret, amaret puerum, repulsam doleret, sic in illum inuehitur, vt tamen ingeniosè suffugeret, quibus lædi posset amasius. Ita Corydon, audi.

Cautio amantis est, ea suffugere, quibus lædi possit amasius.

Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcam?
Quamuis ille niger, quamuis tu conditus esses.
O! formose puer.

Volebat amarum aliquid obijcere puero amoris impatiens, & cum cæpisset iam illa voce *O!* vocem simul & affectum repressit, & *formosum* vocat, quem *Tygrin* debuerat. Acutissimè Donatus cautionem hanc expendit amantis apud Seruium; *Rectè Donatus ait, suspendendum O! & dicendum deinde, Formose puer; vt intelligamus, aliud per iram dicere voluisse, sed, ne Alexin offenderet, in hac verba, amoris necessitate fuisse compulsum.* Vlterius lege in hac Eclog. (quæ & pulchra est, & viuida) quæ sequuntur Carmina, in quibus amans hic promittit amasio nescio quos Capreolos, vt faciliùs in pueri sese amorem insinuet.

Præterea duo, nec tutâ mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;

Bina

Bina die siccant ouis vbera; quos tibi seruo.

Addit deinde, eos anxiè expeti à Testyli,

Iampridem à me illos abducere Testylis orat.

Quid tum postea? illos à me, inquit, Testylis conatur abducere, at ego non feciam, *faciet* ipsa, vt sibi dedantur. Subterfugit amans offensionem amati quam facisse incurreret, si dixisset. *Et faciam*; *Et faciet* dixit, vt præcaueret offensam. Quod notauit hîc Seruius. *Non dixit, Et faciam, ne lædat, quem amat.*

In emistichium illud, in quo de Didone amante Virgilius. 98

Metúsquè excepit prima futuros.

Amantes semper omninò in metu sunt.

Sic præclarè Landinus, *Metus futuros, idest, motus nondum præsentes; sed quoniam non sit verisimile, vt ea, quæ nondum sunt, sentiamus; reddit verisimile ex amantium natura; nam amantes timent etiam tuta, ideò sequitur. Omnia tuta timens. Quapropter facile miserrimi sint necesse est; qui enim est in metu, miser est at qui etiam tuta timet, semper est in metu, vt ait Socrates*; ergo hîc miserrimus.

Ideò miserrimi.

Multa in vno vitia Dido obiecit Æneæ, cum ingrati animi notam obiecit. 99

Dissimulare etiam sperasti, tantum
Posse nefas? tacitúsquè meâ decedere terrâ?

Ingratitudo multorum semen vitiorum est.

Quid erat, abire tacitum, (inquit pulchrè Donatus) *nisi beneficiorum immemorem confiteri? Semina quædam plurimorum criminum inter initia spargit, & summatim congesta in vnum congregat.* Ab illo cœpit crimine inuectionem suam, quod omnia ferè crimina virtute contineret. Semen est ingratitudo multorum vitiorum; obiectâ hâc, plurimorum congestio criminum in Troiani pectus dominari intelligitur,

Quem sua damna non mouent, quî possint aliena? Hoc Regina conqueritur, apud Æneam; 100

Nec moritura tenet crudeli funere Dido.

Si tua te dâna non mouent quid aliena?

Itane? vt iam iam morituram crudeli funere Didonem nil cures? Sed quid mirum hoc? cum de tuis etiam damnis, quæ certò minantur, nihil labores?

Quin etiam hiberno moliris sydere classem,
Et medijs properas Aquilonibus. Ire per altum,
Crudelis.

Vbi Seruius, *Crudelis in te odio mei. Sic Lucanus, Sæuitia est voluisse mori* Vtrumquè iunxit locum Donatus. *Sed cur, inquit, arbitrer te moueri posse contemplatione salutis meæ, quando tuam quoquè perniciosâ obstinatione contemnis? vt eiectus naufragio in has terras, quid tempestates, quid hyemes, & quid sydera valeant, quantamquè perniciem ferant, animo recordante non tractas; tantam scilicet crudelitatem professus, vt vtriusquè salutem diuerso, sed tamen detestabili genere, simul velis extinguere.* Satis apparet amoris parum esse in

Amati dãnis æquè ac suis verus amor afficitur. Æneâ, si enim ille ardenter amaret, amati damnis æque ac suis, imò grauiùs afficeretur. Quod & notauit bene Donatus in carmen illud, *Nec moritura tenet crudeli funere Dido.* Sic enim ille. *Prædixit in vltimo mortem suam, & ipsum amare existimans, & ex eo flecti in misericordiam posse.* Sed sua illam fefellit spes; ideò subiunxit, amoris Deam illi matrem non esse, qui ita perstaret surdus amanti; *Nec tibi Diua parens.* Et apud Ouid. in Epist. ad Æneam, negat illum esse fratrem Amoris; & Amorem rogat, vt durum fratrem amplectatur, vt mollescat amplexu, *Durúmquè amplectere fratrem, Frater Amor.*

101 Amor fauet etiam offensus. In præcedentia carmina *Qui etiam hiberno &c.* Donatus ingeniosè expendit, Amorem vel offensum ab amati fauore non desistere. Suam Dido Æneæ obiecerat mortem, si Carthagine sese ille fugâ subtraheret; sequitur immediatè.

Quin etiam hiberno moliris sydere classem.
Et medijs properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis.

Quasi dicat; Facilè vitæ meæ patior esse iacturam, non ita tuæ, quam temerè exponis Aquilonibus, tempestatibus, hiberno syderi, miseroque naufragio; infensa tibi sum, sed inoffensam tibi precor esse fortunam, amans quippe, cuius natura, licet offensæ, fauere est. *Ecce amantis* (Donati verba) *permotio; licet læsa dispositionibus inimicis, tamen ostendit se & pro ipsius Æneæ incolumitate sustectam.*

102 Oculi & lachrymæ omni receptione maiores sunt testes quemcumquè ad effectum. Nullos Regina potuit testes potiores adhibere amantissimi sui affectùs, quàm oculos & lachrymas. Ideò illos primâ in orationis fronte locauit;

Per ego has lachrymas, dextramquè tuam te,
Miserere domus labentis & istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.

Quod expendit pulchrè Donatus. *Tantum fidei oculi gerunt, vt latentes angores fletibus probent, & abstrusas interiùs causas manifestius probationibus prodant. Nec putes has lachrymas inaniter fundi, testes ista sunt pœnarum pectoris mei, & quidquid interna discruciat, celare non possunt.*

Amor sæpè miscet incondita. Nota obiter in emistichio primo, quàm incondita verba, quàm turbatè posita misceat Didonis amor! *Per ego has lachrymas, dextramquè tuam te.* Quæ, precor, est hæc vocum perturbatio? quis huic orationi grammaticus medeatur? Si, vt iacet oratio, illam alio reddas idiomate, Cantabricâ peiùs oratione sonabit; ridiculum planè pronuntiabis anfractum. Huius confusionem orationis, & causam vidit Donatus. *Multa simul effudit; quod ipsum summâ cum obscuritate prosequuta est; quia confusa ex plurimis motibus animi loquebatur. Posuit itaquè Per, Et ego, & has lachrymas, & tuam dextram, & Te, & contexuit omnia, & sic dixit, Oro.* Confusio vocum confusionem amantis mentis ostendit.

Quidquid

Quidquid amantes præcogitant in rem suam eventurum feliciter, infelicissimum experiuntur. Existimabat Dido, sui Ethnam pectoris extinguendum, cum cessit amori; sed evasit hæc illi longè vana persuasio. Non extinctum est amoris incendium, sed extinctus est pudor; non extincta libido, sed fama extincta est. 103

Errant omninò amátes in præcogitationibus suis.

Te propter eundem
Extinctus pudor, & , quâ solâ sydera adibam,
Fama prior.

Non dixit, *Pectoris extinctus est ignis*, cum libidini satisfeci meæ, sed *Pudor extinctus* est meus, & fama deperijt. Ingeniosè Donatus. *Benè posuit, Extinctus pudor; cum enim quæreret incendia amoris absumere, non ipsa, sed spem proprij pudoris extinxit.*

Vbi notes velim irreparabilem esse amissionem pudoris; ideò dixit, *Extinctus pudor* nulla iam potest reparandi pudoris ostendi via, nulla vspiam allucere spes. Ita Oenone Paridi apud Ouid. in Epist.

Pudoris amissio irreparabilis est.

Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Pulchrè Socrates apud Stobæum Serm. 61. quod tu ad rem præsentem facilè accommoda; *Alea ludo similis est vita; & quidquid evenit, veluti quandam tesseram disponere oportet. Non enim dennò iacere licet, neque tesseram aliter ponere.* 104

A Diuinâ voluntate nihil humanũ possit avertere.

Ea mentis nostræ debet esse constantia, vt illam à diuinâ voluntate nihil humanum valeat avertere. Cum ingratitudinem, perfidiam, fallaciam, crudelitatem Dido exprobraret Æneæ, quibus pudore fieri & confundi posset & deberet Æneas, nec quid, nec à quâ, nec quo tempore sibi exprobraretur, attendit, sed omnia protriuit, omnia contempsit, ne à Iouis monitis vel vnquem deviaret. *Dixerat* Dido; ille verò quid?

Ille Iouis monitis immota tenebat
Lumina, & obnixus curam sub corde premebat.

Non tanto est illius mens expugnata conflictu, quia solum Iouem habuit ob oculos. Ita consideravit pulchrè Donatus. *Dixit Dido pro causâ suâ, allegans iusta, humana, miseranda, quæ Æneæ mentem flectere potuissent, & deberent. Cõstabat enim etiam ipsum magno pudore confundi, vtpote qui ingrati, qui fallacis, qui fugitiui personam contrà institutum suum, Ioue cogente, suscepisset. Sed ille assistebat reuerenter cælestibus monitis, ideoque Poeta dixit, Ille Iouis monitis &c. Scilicet non respiciens qua rogaret, nec lachrymas eius attendens; solum Iouem videbat animo, solum stare ante oculos suos, à cuius iussis & præceptis moueri non poterat.* genuo obedienti præcepta & iussa necessaria non fuerunt, sed tantùm *Monita.*

Commonitio sola, non iussio obedientem cogit ingenuum.

Ille Iouis monitis. &c.

Vbi Donatus. *Rectè autem dixit, Iouis monitis & non iussis Iouis; Æneas enim commonitione potiùs, quàm iussu instructus erat.* Obe-

dientis ingenuitas æquè fortiter solis obtemperat monitis, lubenter æquè mouetur, ac iussis.

105 Luctã patitur, qui posthabet humana diuinis.

Sed ne existimes humana Æneam gratis posthabuisse diuinis, luctam expende in vocibus illis *Obnixus* & *premebat*.

Et obnixus curam sub corde premebat.

Passus est luctam, dum ab humanis ad diuina secedit. Quid non pulchrè Donatus? *Obnixus dixit, quia monebatur quidem,& dolorem animi tegere laborabat, postponens humana cælestibus.* Et Landinus; *Obnixus, afficiebatur amore Didonis, sed cum mallet Deo, idest, rationi potius quàm libidini obtemperare, obnitebatur, idest, nitebatur contra libidinis ardores. Premebat, reprimebat, quod est continentis potius quam temperantis, vt freno rationis coërceret libidines.*

Et magnam ille,qui libidinem castitati.

106 Turpe vitiũ ingratitudo est.

Multorum vitiorum reum Regina Dido fecit Æneam. Sed quod priùs ille dissoluit? ingratitudinem vtiquè; vtpote quod sibi visum est omnium maximè turpe; cuius nec minimam passus est suspicionem apud se residere;

Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, Regina, negabo
Promeritam, nec me meminisse pigebit Elyssæ,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Vbi grauissimè Donatus; *Videamus nunc vnde ille coperit multorum criminum reus. Cœpit illinc, vnde illa ingrati conflauit inuidiam, ne nausea turpis immoraretur.* At cætera crimina causæ, turpes non erant, ô Donate? erant maximè, sed istius comparatione multò illæ leniores. Addit deinde idem interpres, ex rei ipsius momento, & ex consilio rhetorico id Æneam fecisse. *Quo exemplo* (inquit) *docemur, vt quoties multa è diuerso proponuntur, fortiora primitus excludamus, ne ludentes in leuibus aspera metuere videamur, quæ pro magnis obiecta sunt, & ad victoriam conquisita.*

107 Mũdanæ curæ extremi pulueris memoriâ sopiuntur.

Non te illud hoc loco documentum prætereat, Mundanas curas pulueris memoriâ & cinerum aspectu sopiri. Quod crediderim sensisse Æneam eâ in responsione, quam Didoni reddidit.

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspicijs, & sponte meâ componere curas;

Si mihi, inquit integrum esset,animi mei sopire curas,& ex meo consilio & voluntate vitam traducere omninò quietam.

Vrbem Troianam primùm,dulcesquè meorum
Reliquias colerem.

A Troianæ vrbis cineribus non discessissem, nequè meorum dulces reliquias deseruissem. Sic enim curas pungentes animum abiecissem, & in cupitam libertatem me vindicassem. Aptissimum [illegible] remedium est puluis, & cinis, vt animi quiete & tranquillitate potiamur. Acutè Donatus; *Si mihi liberum esset viuere,* (qui animi curis angitur,nescio an viuat.)*præstabat, remanere in cineribus patriæ, & meorum memoriam colere.* Promissæ

Promissa Æneæ & Iulio erant ab Ioue Italiæ regna & Romanum imperium. Ne ergo ignauè ille se gerat & inerter, ad tantam vocatus gloriam, vrgetur à Patre, nec semel vrgetur, sed sæpiùs, & à defuncto in somnis vrgetur; 108

Patres sunt de filiorum prouectione solliciti.

Me patris Anchisæ, quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago.

Sic Æneas ad Didonem. Vbi pulchrè Donatus. *Similem obiurgantis video patrem meum, instantem, vt Italiam petam; quoties astra ignea surgunt, & nox operit terras, & somnus me habet, adest ille cum grauibus monitis, officium sequens pietatis & patris.* Mortuus etiam patrem se meminit, & patris officium & pietatis exequitur erga filium, de meâ adhuc prouectione sollicitus.

Tanta vis est paternæ in filios potestatis, vt cum parentis vitâ illa extingui non possit. Parentis imago ob Æneæ oculos sæpius est obuersata, admonentis filium in somnis, vt pergeret in Italiam, quò illum fata vocabant: neque oblitus Anchises se parentem esse, *turbidus* monet, & iratus filio, quod parentis iussa neglexisset. 109

Patris in filium coërciua potestas cum vitâ non extinguitur.

Me patris Anchisæ, quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago.

Coërciua patris potestas, cum ipsa patris vitâ extincta non est. Ita Seruius in hunc locum. *Turbida*, inquit, hoc est, *terribilis; quod conuenit parentis authoritati.*

Amantium præsertim hic morbus est, vt eâ ipsâ re, quam in frigido solent amasio vituperare, seipsos damnent. Æneam Dido vituperat, & damnat mendacij, qui parentes auos & proauos sibi Deos iactarit, & Reges; & seipsam simul obiurgat & damnat, quæ facilè Troiano crediderit. Æneæ vituperatione ipsiusmet damnatio continetur. Quid illa? 110

Sæpè cum alium vituperas, te ipsum damnas.

Nec tibi Diua Parens, generis nec Dardanus author,
Perfide.

Vbi Seruius. *Non solùm in Æneam est vituperatio, sed etiam in se obiurgatio; nam dixerat supra Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum; nunc non credit esse genus Dardani.*

Landinus pulchrè notat hoc loco, fœminam aut amare, aut odisse, medij nihil habere. *Principium*, inquit, *abruptum est, quod conuenit animo ex irâ præcipiti; & amantis est, cum ardet amore nimium laudare, & rem amatam diuinam putare, vnde dixit, Credo equidem genus esse Deorum: & rursus cum irascitur, palinodiam canere, & contraria ijs, quæ dixerat, dicere, vt hîc, Nec tibi Diua parens, Præsertim hoc est fœmina conueniens, quæ aut amat, aut odit, nihilquè habet medium.* 111

Mulier aut amat, aut odit, nil habet mediũ.

Suum Dido ardentiorem exsuscitabat amorem, cum Æneam ad 112

 amantis

Sine respõsione ardẽtior est amor. amantis verba nullam omninò beneuolæ mentis significationem reddidisse, ipsa secum agitaret,

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

Illa Troiani aurium occlusio, & obfirmata pertinacia candentiores Didoni ministrabant prunas, vehementiores flammas ardebant. Sic enim est, vt sine vllâ responsione amor, efficiatur ardentior. Hùc illud reuoca primum Carmen Eclog. 2.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

Vbi Seruius notat *Alexin* idem esse, ac *sine responsione.* Quid ergo mirum si Corydon *ardeat*, cum *Alexin* amet, hoc est, *sine responsione* puerum? Rogent interpretes, quare arderet hic pastor; alij alias reddant causas ardoris: ego illam potissimam dixerim, quòd amarit *Alexin*, sine responsione puerulum. Quòd autem hic sine responsione fuerit, satis apertè sequens Carmen ostendit,

Nec quid speraret habebat. Et Etymon,

113 Amantis est perditi in Superos inuehi. Perditi amantis est, & reiecti, in Superos inuehi, sed ita occultè interdum, vt laus in verbis, inuectio appareat in sensu. Perdita omninò, & exorbitans amans Dido à Marone depingitur, cum sic ad Æneam,

Iam iam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

Quis non credat ad Iunonis laudem vocem illam *Maxima* conducere, & ad Iouis, adiunctum illud *Saturnius?* sed si affectum hic Didonis inspicias, contumeliosum dicterium; latet sub hac verborum speciositate blasphemia. Nemo mortalium est, nisi omninò amens, qui apertè Superos petat; est enim illorum animis insitus Deorum cultus. Dissimulat ergo verbis, quod venenum eiectat. Præclarè Seruius. *In Iunonem maledictum est, vt eam non esse maximam dicat, sicut etiam in Iouem; nam conuitium est, quod eum Saturnium dicat, hoc est, nocentem.* Deos præ amoris impatientia lacessit, sed lacessit occultè, alioquin incredibilis esset impudentia, & præter humanam consuetudinem furor.

114 Stultum est, quam culpã vnus commisit, omnibus attribuere. Insana omninò stultitia est, & amantium propria, quos amor elusit, in omnes sine discrimine crimen reijcere, quod vnus admisit. Huius notæ illa Didonis est, cum *Perfidum* sic & fœdifragum arguit Æneam.

Nusquam tuta fides.

Nusquam? vltrà fidem rem eleuas, amans Ælissa. Amantem te prodis, & amantem elusam, cum nullam vbiquè fidem inueniri queraris. Notauit Landinus. *Nimis amatoriè queritur nusquam esse, quod in vno non inuenit.*

115 Vehemen- Expende in Didone amante vehementioris amoris affectum, Tunc maximè trahit, cum videtur expellere; actu negat, quod videtur

detur actu concedere; odisse videtur, cum maximè amat; despuit infesta, quod incensa complectitur; & repudiare omninò videtur inuisa, quod amoris vulnere saucia cupit irrepudiatum. Simul igitur expellit, & trahit; concedit, & negat; odit, & amat; despuit & complectitur; repudiat, & irrepudiatum vult. Sic illa ad Æneam; tioris amoris affectus est, id actu negare, quod actu concedit.

I, Sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Reijciunt voces illæ, *I, sequere Italiam, pete regna*, & imperiosè nimis, & fastidiosè reijciunt. Attrahunt verò illæ, *Ventis, per vndas.* In Italiam illum Dido relegat, & extera regna; sed ipsâ *ventorum*, & *vndarum* difficultate obiectâ maximè retinet. *Ventos* & *vndas* obijcit, quibus ille possit deterritus manere Carthagine. Pulchrè pariter & acutè Donatus. *Quod dixit, I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas, non ex animo dicebat; nam obiecit vndas, & ventos, quibus terreret properantem. Quod si animo hortantis hæc diceret, ita debuit loqui, I, sequere Italiam, pete regna; non adiungeret, quod timeri debuisset, quodquè, impediente formidine, reuocaret instantem.* Tribus illum verbis fugere iubet, *I, sequere, pete*; fortissimis pariter duobus inuitat, *Ventis, per vndas.* Orationem hanc Landinus artificiosam appellat ab amoris affectu. *Artificiosa concessiò*, (inquit) *quæ habet aliquam correctionem; nam si per vndas, & ventos, non debet sequi.* Et ad meam rem Statij locum adducit, vbi quidam, huiusmodi affectionis impatiens, interfici iubet, quem ardenter amabat.

Moue pharetras, arcusquè intende sonoros
Insignémquè animam letho demitte.

Quod concedit *verbo*, negat *adiecto*. *Letho demitte*, inquit, sed animam vocat *insignem*. *Si insignis ergo, non meretur mori*, expendit Landinus. Quod voces illæ annuunt, *Demitte letho*; illa vox abnuit, *Insignem*.

Præ amoris impatientià vtrumquè coniunxit. Vide infrà n. 118. & 119. Quo in Statij loco illud quoque notetur non ineptè, in ipso quoque supplicio oportere vt plurimùm inueniri clementiam. *Moue*, inquit, *pharetram, & arcus sonoros intende*; pharetræ motus, & arcuum sonora intentio clementiam potius, quàm supplicium prædicunt; illa enim supplicij fugam, non supplicium intendunt. Quis enim supplicij appetens inimicum monet, vt fugiat? quis priùs inimicum terret, vt lædatur leuiùs, aut non omninò lædatur? Videtur sanè velle ferire, cum parcit; parcere videtur velle, cum ferit. Ferit & parcit; parcit & ferit; cum minatur grauiùs, exequitur leuius. Adde; in supplicij iussione spondæis vti, quasi de supplicio ipso grauetur; in præmonitione verò dactilis, quasi celerem fugam hortetur. Hæc Dei natura est miserentis, præmonet enim peccatores interdum, *Vt fugiant à facie arcus.* Imitare tu quisquis Superior es, aut Princeps. Vide lib. 12. num. 53. Sit in ipso quoque supplicio clementia.

Eâ animi vi, eâ verborum acrimoniâ perorauit apud Æneam

116 Sæuus est amor impurus. Dido, vt iure timeret Æneas, ne statim illa sibimet, laqueos, aut Æneæ vitæ ferrum vel ignem moliretur; nam cum nihil sit furenti ex amore fœminâ sæuius, alterutrum saltim, si non vtrumque meritò extimuit Æneas; vnde illum Dido.

Linquit multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere.

Vbi benè Landinus in amantis fœmine sæuitiem rejicit metum Æneæ; *Nam cum furentem videret, metuebat ne aut sibi Æneæ, aut sibi ipsi Didoni noceret; nam furente ex amore fœminâ nihil Sæuius; vnde, Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem, Commaculare manus.* Hæc Landinus. Pulchrum ad hanc rem epigramma Moleagri, quod ita Latinum vertit Lucas Fruterius,

Sæuus amor, Sæuus; quid id est, si terquè quaterquè
Ingeminem Sæuus, Sæuus, & Asper Amor?

117 Insatiabilis Amor est. In detestatione illa, quâ vtitur in Amorem Poëta,

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Interpretatur Landinus adiunctum *Improbe*, ideſt, *insatiabilis*; quod & firmat testimonijs. *Seruat*, inquit, *propon Poëta, vt exclamatione hac detestetur* Amorem. *Improbe ait, hoc est, insatiabilis, vt Nihil improbus anser, Strimoniaquè graues, & amaris intiba fibris. Insatiabilem autem amorem esse, alibi ostendit, Nec lachrymis crudelis amor, ne gramine ripæ, Nec cytiso saturantur apes.*

Ita Landinus.

118 Amor omnem alium vincit affectum. In Didonis pectore luctam inibant potentissimi affectus, despectæ amantis indignatio, regij animi magnitudo, amoris vis. Vicit Amor omnem alium affectum, vnde Regina,

Ire iterùm in lachrymas, iterùm tentare precando
Cogitur, & supplex animos submittere Amori.

Expendit pulchrè Landinus vocem *Cogitur* in victoriam amoris. *Cogitur*, (Landini verba) *nam indignatio alienabat eam a precibus, & animi magnitudo; at amor contrà cogebat. Summittere animos, indignationem intellige, quæ prouenit ex magnitudine animi; vt, Pone animos, & pulsus abi.*

119 Cum tuos tentas amores occulere, tunc maximè detegis. Operæpretium est audire notulam Seruij, qui in illud emistichium

Et supplex animos submittere amori,

Significat voluisse Didonem suos erga Æneam amores occulere. Quasi illa dixerit, Supplicem me iterùm iterúmque exhibebo non *Æneæ*, quem fastidio, sed *Amori*, cui seruio; cum certum sit, ardenti illam amore ferri in Æneam. Dum ergo tentat amorem celare, amorem detegit; & *Amorem* vocat apertè illum, quem odisse simulabat occultè. Non potuit significantiùs suum aperire animi affectum erga Troianum, quàm *Amorem* vocando, quâ voce videtur amasium fastidire, quem nec nominet quidem. Non Æneæ, inquit, sed Amori submittor; quis ille Amor, ô Elissa? dum Æneæ nomen fugis, vt

amorem

amorem occulas tuum, *Amoris* nomen substituis, quo ardentissimum tuum ostentas affectum. Breuiter Seruius, sed non leuiter. *Amori, inquit, quasi dicat, & non Æneæ; sed Æneam Amorem vocauit.*

Eodem amantis affectu ipsamet ducta paulò inferiùs, cum decreuisset mori, toro incubuisset, Iliacas vestes, notúmquè cubile conspexisset, *Paulùm lachrymis & mente morata*, in nouissima illa verba prorupit, 120 In hanc rem locus alius ex hoc l. 4.

Dulces exuuiæ,

Si vocem *Exuuiæ* consideres, quasi in hostem illam inuectam dicesnam *Exuuiæ* ab hoste sunt: si vero adiectiuum *Dulces* videas, ardenter amantem facilè deprehendes. Substantiuo nomine tegit, imò negat amorem; adiuncto detegit, imò prodit & commēdat affectum. Ingeniosa omninò proditio committitur inter *Exuuias & Dulces*, mutuò sese voces hæ produnt, secunda primam, prima secundam. Hæc occulit, illa detegit, & è contrà vicissim. Acutè Landinus. *Exuuiæ, ergo Æneam pro hoste iam habet; sed Dulces exuuias dixit, quia hoc odium non excluserat animo amorem.* Odium tunc temporis volebat ostendere, sed nequibat vtiquè; se amantē prodere recusabat, sed frustrà; suos tentabat amores celare, sed tunc maximè illos ostēdebat; illū ira repulsę, hūc vis amoris extorquebat affectū. Vide suprà n. 115.

In illâ pulcherrimâ antithesi, quâ vsa Dido est ad sororem, quam ad Æneam mittit, 121 Superbi flectūtur alienâ animi demissione.

I, soror, atquè hostem supplex affare superbum,

Notat Zerda ex Nascimbeno solere superbos homines aliorū animi demissione facilè flecti. *Supplex*, inquit, *affare superbum*, sic enim fiet fortasse vt mei ego voti, vt tui tu consilij compotes simus, cum superbi homines, quorum superbissimus Æneas est, animi demissione vincantur. *Opponuntur* (inquit Zerda) *Supplex, & Superbus, quâ antithesi insinuari à Poëta aduersus superbos & duros homines vtendum esse omni animi demissione Nascimbanus monuit.*

Notatu dignus est vocum ille contextus. Vbi Dido instantem fugæ vidit Æneam, ait; *Vndiquè conuenēre, vocat iam Carbasus auras.* 122 Quod tibi non placet, amor retardat.

Si Carbasus vocat auras, ô Regina, non iam inde actum de tuis amoribus est, cum auræ non semper, non sæpè faciles dentur ad fugam. Dixisses potiùs

Vocant iam Carbasa venti,

Sic enim propiùs instare fugam Troiani expressisses. Quid quòd Carbasus auras non vocat, sed Carbasum auræ? quod si Carbasus auras, quid singulari numero *Carbasus* dicis, cum plurima Troianæ classis suppara explicarentur ad fugam? Hoc planè est amoris ingenium, vt, quæ sibi non placent, & dicendo retardet, & verbis extenuet. Mea mens hæc, quæ caret interprete.

Verum nimis prouerbium illud est, inquit Sophodes apud Erasmū Chiliade 1. Cētur. 3. Adag. 36. quæ ab hoste sūt dona, perniciosa esse. 123 Quæ ab ho-

stibus dona sunt, perniciosa sunt.

Quàm verum id est mortalium prouerbium!
Non esse dona, dona, quæ veniunt tibi
Ab hoste, verum inauspicata, & noxia.

Hostem sibi Dido querebatur Æneam, cuius apud se relicta dona voluit incendi; sic illum ipsa suprà appellauit, cum ad sororem ita,

Supplexquè hostem affare superbum.

Ab hostis ergo donis caue, Regina, quæ perniciosa esse maximè solent. Quàm vereor ne tibi noxia sint, nisi omnia igni dones, & flammis absumas. Tuis subtrahi oculis iube machæram, quam pendentem thalamo reliquit Æneas, ne tibi sit instrumentum ad necē, quod tu donum putabas ad vitam, & verè impium voces, quem falsò suspiciebas amicū. Sibi præcauere voluit ab ense, cum ad sororē illa

Arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuuiasquè omnes, lectúmquè iugalem,
Quo perij, superimponas, &c.

Arma, inquit Seruius, *id est, gladium, quem impius reliquit Æneas. Impius, quia galdium furenti reliquit. Ex Homero est, qui gladium Aiaci datum ab Hectore, & Hectori baltheum ab Aiace refert; & hic de baltheo tractus est, ille gladio incubuit.* Incubuit & Dido gladio Troiani, quem *Munus* infrà Poëta appellat,

Ensemquè recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in vsus.

Donum ab hoste, quid aliud nisi perniciem posset afferre?

124 Iuuat hîc Landini notulàm adscribere in illud Didonis.

Vita fœminę pudicitia est, mors impudicitia.

Lectúmquè iugalem,
Quo perij, &c.

Quo perij, inquit, quia tunc actum est de pudicitiâ suâ, sine qua iure mulier perijsse dici potest. Et adducit locum Petrarchæ; *Et chi se lascia del suo honor priuare, Ne dona è piu ne viua.* Aliam addit interpretationem, quæ multis arridet. *Quo perij, inquit, nam tum demùm deuicta est extremo amore. Amantes autem perire dicuntur; neque iniuriâ, si enim perdit homo in ipsa perturbatione amoris.* Mentis perturbatio, ex amore, peritio, (vt ita dicam) est.

Amoris perturbatio, peritio est.

125 Pulchrè Seruius notauit, tunc Æneam somnum cepisse, cum ad nauigationem omnia præparata, certus eundi, ad littus haberet, quod Ducis sibi munus incumberet.

Donec muneri suo Superior satisfecerit, quietem nō capiat.

Æneas celsà in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam ritè paratis.

Quis non excuset Principis, aut Superioris cuiuslibet somnos, cum suo iam muneri fecerit satis? *Excusatur Æneæ somnus*, (Seruij verba) *nam & certus eundi erat, & cuncta ritè præparauerat.* Ab Seruio Zerda. *Sed quî Dux, & cui res tanta commissa ab Ioue, ab Iouis nuntio, somnos carpebat? excusatio sequitur, Rebus iam ritè paratis.*

Vides Æneam; rebus iam ritè paratis, & certum eundi, somnos cepisse; Et tamen à Mercurio reprehenditur, vt notauit Seruius, *Hic Æneæ somnus paulò post à Mercurio accusatur. Nate Deâ, potes hoc sub casu ducere somnos?* Fortasse, quia *Celsâ in puppi* à Superiore caperetur. Nam quiet.m publicè, aut recreationem, aut vllem animi laxationem palàm, in suorum conspectu, in suorum oculis capere vix vnquam superior debet, aut Princeps. Quæcunquè Superioris actio, quæ remissionem sapiat, aut oleat, ab inferiorum oculis est subtrahenda. Estò, licita illa omninò sit, & necessaria, si tamen laxationem illa præferat & incuriam, praui nescio quid habet exempli. Dormiat ille, laxetur, remittat animum, recreationi indulgeat & genio; non tamen *Celsâ in puppi*, non publicè, non in suorum oculis. Ita Neotericus Maronis interpres; *Accusatur Æneas, non quòd somnum postquam muneri satisfecit, indulgeat: sed quòd in suorum oculis, Celsâ in puppi, inertiæ & ignauiæ notam incurreret.* Pulchrè ad hanc rem ingeniosus Mendosa IESVITA Tom. 2. in lib. Reg. in cap. 3. num. 2. pag. 29. §. 2. cuius inscriptio est, *Principem somnolentia non decet, sed vigilantia.* Vbi ex sacris, & prophanis vbertim. 126 Quieti aut recreationi publicè indulgere vix potest Superior.

Aliâ alij incedunt viâ, & locum hunc aptissimo sensu interpretantur. Aiunt enim prudentissimè Æneam *Celsâ in puppi* somnos victum necessitate cepisse: nam quamcunquè Superiores & Principes animi laxationem & recreationem in secessu, & in abdito capiant, suspectæ fiunt, & ab inferioribus sugillantur. Et laudant Virgilium, qui Principem suum, necessario indulgentem somno, *Celsâ in puppi* locarit, in Solis huius, omniumque conspectu, quibus de illius vigilantiâ, curâ, & labore constabat. 127 Quæ laxatio animi, & recreatio capitur in secessu à Superiore, suspecta fit.

Æneas celsâ in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam ritè paratis.

In manuscriptis hæc Codicibus reperi, quorum inuenire authorem non potui. *Carpit somnos,* (verba sunt Codicum) *non in vtramquè (quod aiunt) aurem, sed carpit debitam post laborem quietem, & celsa carpit in puppe, ne suorum obnoxia reprehensioni sit, quæ abdito in penetrali, vel interiori secessu carperetur.* Quam volueris interpretationem, elige. Moralis vtraquè.

Ab ingenio illud Maronis est, vt immediatè quietum Æneæ animum, & solutum illum in somnos dixerit, postquam depinxerit inquietum Didonis; de Regina, 128 Turpes inquieto sunt animo, quieto pudicæ.

Tantos illa suo rumpebat pectore questus

De Æneâ sequitur, *Æneas celsa in puppi, iam certus eundi,*
Carpebat somnos.

Viuido Epiphonemate turpis fœminæ turbidum pectus, & fluctuantem animum exprimit; immediate verò continentis iam viri, & cœli iussis obtemperantis adeò quietum animum, vt somno conquiesceret: vt vel hâc immediatione verborum & carminum, affe-

ctûs vtriusquè declaretur effectus. Ingeniosè Landinus Maronis notauit acumen. *Hæc igitur illi* (Didoni videlicet) *propter insaniam amoris eueniebant, at Æneas tantâ curâ liber dormiebat.*

129 Superioris exemplum inferiores sequuntur.

Quàm illud est certum, Superioris exemplo inferiores trahi! Præcedat ille, sequuntur hi. Suis exemplo præcessit Æneas, nam *dixisse* tantùm parùm fuit.

Dixit, vaginaquè eripit ensem
Fulmineum, strictoquè ferit retinacula ferro.

Troianos statim idem omnes simul ardor habet, rapiuntquè ruuntquè. Vbi pulchrè Landinus. *Mora impatiens id ipse facit, quod alijs faciundum iusserat.* Vis, quicunque Superior sis, rem, quam iubes, sine morâ procedere? exemplo præcede, & moram præcìdes. Nullam faciliorem Æneas inuenit viam ad iussionis maturationem, quàm exhibitionem sui, & præcessionem exempli. Faciat ipse, quod iubet, & felicem iussio habebit euentum.

Amor vigil est, omninò insomnis.

Nota. Quàm est Amor vigil omninò insomnis! semper est in speculâ, vnde suos dispicere possit amores. Huius notæ Regina Dido, in speculis posita.

Regina è speculis, vt primùm albescere lucem
vidit.

Vbi pulchrè Seruius. *Benè hanc primum inducit vidisse crepusculum, quæ quasi amatrix totâ vigilauerat nocte. Sic in Bucolicis de Amatore;*

Nascere, præquè diem veniens age Lucifer almum.

130 Impurus Amor Seruitus est.

Estò, sis liber, sis nobili natus sanguine, regiâ stirpe satus; si in Amoris inuoles castra, tyrannidem senties turpissimam, notam seruitutis feres, & rem. Regina erat Dido; quæ, cùm Amori omninò consensit, in duram se seruitutem gemit intrusam, & extorto de potestate suâ regali sceptro, seruire coactam.

Infelix Dido, nunc te facta impia tangunt?
Tunc decuit, cum sceptra dabas.

Vbi sic fusè & ingeniosè Landinus. *Tunc decuit, cum sceptra dabas, Referamus hæc ad occultiorem sensum, & sit sententia: Nunc demum, cum habitum culpæ (ait Regina) ita obduxerim, vt non sim ampliùs mei iuris, nec possim me ab huiuscemodi furoribus explicare, ista volo; sed debebam velle, cum sceptra dabam idest, cum imperabam: nam cum in nobis ratio, appetitusquè insint, & ratio naturâ ipsâ præsit, & veluti regina cuncta ex eius imperio agat; appetitum veluti seruum illi obtemperare oporteat; tunc dicitur dare sceptra, idest, imperare, cum omnia ex ipsa ratione, quâ solâ homines sumus, agimus; nam si ratio homo est, cum ratio sit forma hominis, tunc homo agere dicitur, cum ratio agit; cum autem vitijs inuoluti sumus, & appetitus, victâ ratione, in nobis regnat, seruire dicimur, & non imperare. Vnde illud Paradoxon, Omnes sapientes liberos esse, & omnes stultos, seruos. Ergo antea quàm contra*

contrahamus habitum vitiorum, cum adhuc ratio vitæ nostræ habenas teneat, damnus sceptra; & possumus à vitijs abstinere, & appetitum coërcere. Vbi verò habitum vitij ex assiduis actibus, à quibus abstinere poteramus, fecerimus, regnat appetitus, & pulsâ ratione à suâ sede, nobis imperat; & nos serui effecti non amplius damus sceptra, sed seruimus. Allegoricè quidem, sed acutè. Seruit ergo impudicus, quamuis alioqui sceptro potiatur; seruitute premitur, licet ipse premere videatur imperio. Quòd autem verè regalis sit sanguinis ille, qui pudicitiam seruat, ac tuetur suam, vide in lib. 3. num. 79. acutum ex Donato locum.

In verba illa amantis simul & irascentis Didonis, contrà Æneam, 130

Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere? non socios? non ipsum absumere ferro
Ascanium, patrijsquè epulandum apponere mensis?

Ex ratiocinatione recandescit ira.

Pulchra est illa nota Landini. *Ex ratiocinatione, inquit, recandescit ira: & dolet, non potuisse id, quod si præuidisset, poterat; & ex hoc, quod cupit, muliebre ostenditur odium. Et probat illud Senecæ ipsam mulierem à maximo amore ad maximum odium ferri. Est autem iratis aliqua voluptas, cũ narrant rem, quam cupiunt, eo ordine, eoquè modo, quo exequi voluissent.* Est ita sanè, vt iratis voluptas sit, cum recurrit animo cogitatio vindictæ.

Voluptas irato est in cogitatione vindictæ.

Suam Regina ignauam imbecillitatem fatetur, quæ amore saucia, 131
sibi manus afferre, & necem inferre cum decreuisset, Elissam se vocat;

Dij morientis Elissæ
Accipite hæc, meritumquè malis aduertite numen.

Ignauam ille imbecillitatẽ fatetur, qui amorem fatetur impurum.

Expende quo se nomine appellet; illo vtique, quod sibi fœmellæ proprium erat, muliebre nomen, imbecillitatis indicem, proditorem ignauiæ. Non se *Didonem*, non *Reginam*, non *Sidoniam*, quæ robur animi nomina signant; Dido viraginem sonat; Regina, & Sidonia virtute animi præditam, vel à dignitate, vel à gente. Noluit ergo his vti vocibus, cum se amoris telo victam fatetur, & imbecillis adeò viribus, vt illatâ sibi nece, vitam, quærat abrumpere, inertem vitam, vitam ignauam; *Elissam* se vocat, muliebri nomine, & imbecilli. Seruius suprà in illum tractum, quo Annæ prima continetur hortatio, sic ait; *Dido Virago dicta est, quæ virile aliquid fecit; nam Elissa propriè appellata est.* Rectè in illã conuenit nomen Elissæ, cum fœmineæ imbecillitati relicta ignauam amantium conditionem in se odisset ad necem.

Non contemnenda est nota illa Landini in imprecationũ plenissimam, ex vltionis affectu, orationem Didonis. Sola illas iactat, 132

Secúmquè ita corde volutat.

Nec spes vlla furenti allucet, fore, vt cupitum sortiantur affectum; iactat tamen, & sic solamen suo quærit illa dolori, imò & voluptatem. Illam audi in Æneam; *At bello audacis populi vexatus, & armis*

Vindictæ appetens secum voluit cum voluptate vindictam.

Finibus extoris, complexu auulsus Iuli
Auxilium imploret, videatquè indigna suorum
Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaquè inhumatus arena.
Hæc precor.

Longo autem ordine narrat hæc, (ait Landinus) *tanquam si illa imperare possit. Nam hæc dicens, aliquo modo saturare iram, & explere animum videtur.*

133 Infensus amans sua. met damna optat amasio. Decreuerat Dido, spreta amans, perire ante diem; sibi per vim vitæ fila præcidere; ita de illâ Poëta paulò inferiùs.

Nam quia nec fato, meritâ nec morte peribat,
Sed misera antè diem.

Huiusmodi mortem infensa suo optat Æneæ, vt ante diem cadat, imprecatur.

Sed cadat ante diem.

Vbi Seruius aptus interpres; *Antè; diem, idest ante, fati necessitatem. Et benè, quod passura est, optat Æneæ.*

134 Quid alium odit, nec nomen ore tenus vsurpat. Doctissimus Zerda advertit in hac imprecatoriâ oratione Didonem non proprio nomine *Æneam* expressisse, sed *Infandum caput* proprij nominis loco vsurpasse, præ odio;

Si tangere portus
Infandum caput, & terris adnare necesse est, &c.

Abstinet, (inquit) *præ odio ab Æneæ nomine, & periphrastice Caput infandum vocat.* Quod & in lib. 6. Deiphobus fecit, qui, de Helenâ loquens proditrice sua, *Lacænam* dicit, *Illam* appellat, *aquella buena pieza.* *Scelus exitiale Lacæna.*

Illa chorum simulans.

Vbi pulchrè Donatus. *Nec suprà nomen eius propter odium nimium dixit, nec hîc eam nominauit, vt Helenam diceret; sed dixit Illa, dixit Lacæna.*

135 Illatarũ Amori iniuriarum ipse iustus vltor est Amor. Impossibilia in ijs, quæ sequuntur, versibus, Donatus inuenit;

Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios, ferroquè sequare colonos.

Illos itaquè in amentem amantem reijcit, & sui, præ amoris furore, non compotem. *Rem loquuta est,* (inquit) *impossibilem, & potè, quæ non esset suæ mentis, suiquè consilij: Quando enim nasci homo ex ossibus mortui hominis potest?* Zerda aliorum opinionem non admittit, *Qui multa commenti sunt,* (verba sunt Zerdæ) *de generatione humanâ, vnde putant hunc locum posse illustrari. Ego enim puto,* (inquit) *nequè huic æstui sermonis aptam esse hanc commentationem; nequè veritati, cum Dido neminem ex se genuerit.* Seruius de Annibale interpretatur; *Ostendit* (inquit) *Annibalem.* Cui videtur consentire Pontanus. *Annibalem à Poëta insinuari volunt quidam;*

&

& signatè dictum, Aliquis. Is nempè, de quo Liuius, annorum nouem puerum ab Amilcare patre altaribus admotum, & iurare coactum, se, cum primùm per ætatem posset, hostem fore populo Romano. Hæc Pontanus IESVITA. Sed hoc Donatus putat absurdum. *Absurdum est,* (ait) *nam Dido Tyria fuit, Annibal Pœnus, à genere Didonis longè remotissimus:*

Ego verò *Ossa* hæc cum *Ossibus* illis coniungens, quæ præcesserunt lib. 1. & hoc ipso lib. 4. facilem, & non inelegantem, neque iacentem interpretationem elicio. Libro primo Venus Cupidini mandat,

Incendat Reginam, atque ossibus implicet ignem.

Et de illâ iam incensâ Poëta dixit;

Ardet amans Dido, traxitquè per ossa furorem.

In ossibus ergo Didonis est *Ignis*, & *Furor*, hoc est, Amor; qui cum nec morte quidem possit extingui, (vt Propertius ait lib. 1. Eleg. 19. Amor cum ipsa morte nō moritur.

Traijcit & fati littora magnus Amor.)

Et in ipsis ille cineribus viuat, & ossibus, (vt idem canit;

Non adeò leuiter nostris Puer hæsit ocellis,
Vt meus oblito puluis amore vacet.

Hinc fit, vt clamet, asserátquè Regina, hunc Amorem ipsum suis ex ossibus vltorem proditurum, iustum inquam & adæquatum vltorem earum iniuriarum, quas ipse in Didone passus est amor; qui cum etiam in ossibus mori non possit, vltor semper existet, & sæuus vltor, iuxtà illud Eclog. 8. Amor vltor est sæuus.

Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus.

Egregius ille Didoni vindex & vltor, quia sæuus. Tanti enim doloris vltio sæuitiem requirit. Quasi ergo dicat amans spreta; Qui me ad satietatem vlciscatur ô Amor, præter te, inuenio neminem, qui mecum etiam iniurias sustinuisti ab Æneâ; Exoriare igitur meis ex ossibus, quibus iamdiu implicitus es, & de illatis mihi, de illatis tibi, ad satietatem vsque tuam, ad satietatem vsque meam, sume vindictam; & ferro & face, (fax enim tibi ferrúmquè lethalia) insectare, & absume Troianos;

Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios, ferróquè sequare colonos.

Expende verba illa, *Exoriare aliquis vltor.* Ad Amorem apostrophat, quem secum illa in *ossibus* habeat; & illum *aliquem* vocat *vltorem.* Quicumquè enim alius vltor sit, *aliquis* non est. Grauis iniuria, grauem poscit vltorem; Tu *aliquis* vltor ad tantæ iniuriæ vindictam inueniris, præterea nemo. Neque dixit *meis ex ossibus*, sed *nostris*; causam communem facit & sibi & Amori, vt sic etiam ad cumulatissimam impellat vltionem. Codices illi suprà laudati, qui

authore carent, ita vberrimè. *Hic Amorem intelligo, qui Didonis ossibus dudum illapsus æstuabat, æternùm futurus vltor, iuxtà illud Maronis lib.6. de amantibus loquentis, qui apud inferos sunt, quos Curæ, id est, Amoris æstus Non ipsâ in morte relinquunt. Vbi Donatus; Tanta vis amoris in illis fuit, vt nec in morte essent ab ipsâ curâ immunes.* An hæc sit interpretatio vera, tu videris.

136 Spretus Amor sui leuamina quærit doloris sed frustrà. Illusa ab Ænea fugiente amans Dido ethnæi sui pectoris leuamina quærens, Barcem sui nutricem Sichæi sedula vocat, cuius ipsa præsentia possit primum mariti amorem exsuscitare, abolere Troiani.

Tum breuiter Barcem nutricem affata Sichæi.

Vocationis causam Landinus. *Hâc vtitur ministra, vt per illam magis recordetur pristini mariti; atque inde magis ex animo pellatur Æneas.* Sed hæc frustrà; altis enim radicibus secundus amor inhæserat.

137 Spreti Amãtes mortem appetunt simul & vitam. Misselli omninò amantes sunt; & mori simul appetunt, & viuere; Quod in Didone videre est, quæ per Barcem aniculam hæc ad Annam sororem mandata commendat;

Annam, chara mihi nutrix, huc siste sororem,
Dic, corpus properet fluuiali spargere lymphâ, &c.

Expende verba, nuntiam expende; *Properet*, inquit; volebat mori: Aniculam mittit, lentam, anili gradu se mouentem; volebat viuere. Cum ipsâ vitâ & morte luctatur; modò in vitam inclinat, modò in mortem. Præclarè Landinus. *Properet, inquit, non quia illam cuperet properare, sed vt magis dissimulet consilium mortis. Ergo quamuis imperet festinationem, tamen multa adnectit, quibus morari illam cogat.* Addit Donatus; *Elegit personam, quæ tarda pergeret, & cum morâ remearet, vt sibi longiusculum ad mortem patrandum spatium daretur; & propter hoc dixit, Huc siste, & non, Mitte.* Diutiùs enim immoratura nutrix erat in sistendo sororem, quàm in mittendo. Et vitæ Dido adhærebat, & mortem optabat. Vterque in amantis animo luctabatur affectus.

138 Ad occasionis vicinitatẽ, quâ olim perijsti, animi angores excitãtur & lachrymæ. Dolebat maximè Dido pudorem olim perijsse suum, cum sese temerè subiugauit amori; cum verò præsentes Troiani vestes, notúmquè cubile propiùs aspexit, altiùs refricato animi vulnere, ardentes & vberes erupit in lachrymas, erupit in gemitus;

Hic postquam Iliacas, vestes notúmquè cubile
Conspexit, paulum lachrymis, & mente morata.

Obstupuit ad occasionis conspectum, quâ perierat, &, fixis præ dolore præcordijs, fleuit vberrimè. Pulchrè Donatus; *Quando vidit vestes Iliacas, & cubile, vnde malum omne contraxerat, ictum paululùm distulit, quo fuerat omninò peritura.* Distulit corporis vulnus, dum mente voluit animi vulnus, & acerbis lachrymis deplorat erratum.

Ita

Ita solet amor mortalium animis inhærere, vt auelli vix possit. 139
Altè insederat ille Didonis animo, quæ, cum Troiani perfidiam cogeretur odisse, cogitur tamen amare Troianum; odit & amat; neque excludere odium potuit amorem. Sic illa moritura ad exuuias Æneæ;

Adeò difficilè ex animo amor auellitur, vt etiam cũ oderit, amet.

Dulces exuuia, dum fata Deúsquè sinebant.

Odit, dum *exuuias* vocat, tanquam ab hoste; amat, dum *dulces* dicit, tanquam à suo. In vno Æneâ & *hostem* inuenit, & *amicum*, & causam odij, & causam amoris. Landinus expendit. *Exuuias dicimus, quibus hostem exuimus*; & addit; *simpliciter dicamus. Dulces exuuias, quia hoc odium non excluserat animo amorem.* Qui duo mirè in hoc ipso carmine patent affectus,

Dum fata, Deusquè sinebant.

In fata & Deos reijcit culpam Æneæ, quâ paulò antè ipsum onerabat Æneam. Odij plena illum accusat, amoris plena illum excusat; & inuehitur, & tuetur; & execratur, & amplectitur; & despuit, & allicit. Audi ipsum Land. in hoc emistichium. *Ex amore; ita videtur aliquo modo excusare Æneam, & rem in fata, & in Deum reijcere.* Caue, caue; difficilè hic Tyrannus auellitur, si corde potiatur.

Vel iratus Amor amati errorem excusat.

Grauis sæpè animi anxietas solatijs apertè falsis sibi blanditur, & leuamen doloris quærit doloris impatiens. Huius notæ erat illa Didonis, iam iam moritura; sic enim secum; 140

Solatijs apertè falsis sępè recreatur afflictus.

Vrbem praclaram statui, mea mœnia vidi.

Cum certum sit, nihil in ea vrbe perfectum, sed imperfectum, sed abruptum. Quod & ipsa fatetur lib. 1. quæ

Se læta ferebat
Per medios instans operi, regnisquè futuris.

Et lib. 4. ita Poëta de hac vrbe ipsâ loquens;

Non capta assurgunt turres,
Pendent opera interrupta, minaquè
Murorum ingentes, æquataquè machina cœlo.

Leuamen quærit in dolore suo, solamen in anxietate; atque ideò apertâ sibi falsitate blanditur, sui animi angori palpatur. Ingeniosè Donatus. *Statui, significat, Non perfeci. Quod ita est, vt de perfectà dixerit vrbe, Statui, etiam sic pro qualitate persona accipiendum est, vt consolationis tua causà, perfectam dixerit, quæ fuerat imperfecta.* Addit deinde. *Eo animo dixit, Vixi; hoc est enim vixisse, aliquam factorum memoriam reliquisse post mortem.* Notetur obiter hoc loco hæc Donati interpretatio pulcherrima vocis *Vixi*: ille enim vixisse dicitur, qui in præclarè factis lucis huius posuit vsuram; non ita ille, qui perperàm vixit & nequam.

Verè ille viuit, qui laudabiliter viuit.

Platonis axioma est. *Moritur quisquis amat*; nam (vt Philosophatur benè Marsilius) *amantis cogitatio sui oblita semper in amato se versat: si de se non cogitat, in se certè non cogitat. Ita neque* 141

Moritur, quisquis amat.

in se ipso sic affectus animus operatur, cum præcipua operatio, animi ipsa sit cogitatio. Qui non in se operatur, neque in se ipso est. Æqua enim inter se hæc duo esse, & operatio, sunt. Non ergo in se amantis est animus, quia in se ipso non agit: si in se ipso non est, nec viuit etiam in se ipso; qui non viuit, mortuus est. Regina ergo, cum se fateretur amantem, mortuam quoque fatetur; inquit enim,

Vixi, &, quem dederat cursum fortuna peregi.

Vixi, inquit; non ergo viuis? vita ergo defecit? Quasi dicat; eo tempore vitam duxi, quo non amaui; tandiu vitam habui, quandiu amorem non habui; desij viuere, cum cæpi amare; inter mortuos ergo adnumerer, quæ adnumeror inter amantes. Vide in libello Ouidianæ Heroydæ Rep.7. vbi loca inuenies ad rem hanc illustrandam non contemnenda.

142 Expende amantium miseram sortem; mortem appetunt & inuocant vitam, simúlquè vitæ adhærent, mortémquè precantur. Dido iam *Decreuitquè mori*, & decretum hoc *Perficere est animus, finémquè imponere curis*;

Amãtes vel in mediâ morte vitã appellant.

Dum *media iam morte tenetur*, non dixit, *Moriar, mibi necem inferam ferro, mortem oppetam, cæde peribo*, vel aliquid huiusmodi, sed *Vixi*; media in morte vitam appellat; mortis acerbitatem vitæ nomine temperat, & voce in vnâ vtramquè coniungit, & *vitam*, & *mortem*, *Vixi*. Quo tempore mori vult, appetit vitam; quo tempore vitam negligit, refugit mortem. Mauult vitam in ipsa propè morte, mauult mortem in ipsâ adhuc vitâ; cum vitâ mortem, cum morte vitam: sicquè fit vt simul moriatur & viuat; imò nec moriatur, nec viuat, *Vixi*. Iesuita Pontanus; *Vixi dixit, ne diceret Per ij, Mortua sum, quæ videbantur durinscula.* Durum enim mori est, & amores relinquere; durum sanè viuere est, & despectum pati. Nec moritur ergo nec viuit; qui vitæ status inter mortem & vitam, est sine dubio miserrima vitæ conditio.

143 Vide quàm fluctuet extremo iam in vitæ limine Dido!

Moriemur inultæ?

Sed moriamur, ait: Sic? sic iuuet ire sub vmbras.

Vbi pulchrè sanè Landinus; *Ostendit, quòd etiam in extremo temporis puncto alternatim modò huc, modò illuc fluctuans mouebatur animus; & propterea dixit, Sic? quasi non placeret. Deinde affirmauit, cum dixit, Sic. Non potuit excellentius scribere Poëta æstuationem illam animi, modò in amorem, modò in odium insurgantis. Nam quæ paulò ante dixerat ex nimio amore. Accipite hanc animam, nunc ex odio conqueritur, quod moriatur, antequàm illum vltа sit.* Hæc Landinus.

Ad extremũ vsque habitũ fluctuant amãtes impuri.

144 Non abeat sine Seruij expensione Carmen illud, vbi Regina de Pygmalione fratre loquens, qui auaritiæ instinctu Sichæum, sororis maritum, interfecerat, sic ait, *Pœnas inimico à fratre recepi.*

Auaro nulla maior pœna, quàm

Quas

Quas illa à fratre pœnas recepit? Opes subtraxit auaro, quæ grauissima auari pœna fuit; pecuniam sibi subtrahi.

Portantur auari
Pygmalionis opes pelago.

Ideò dixit, (ait Seruius) *Pœnas inimico à fratre recepi, quia re verâ nulla auaro maior pœna est, quàm amittere pecuniam, propter quam admiserat scelus. Et Recepi, inquit, tanquam debitas.* Laudat hanc Seruij explicationem Zerda; *Abstuli* (verba sunt Zerdæ in explicatione) *à fratre Pygmalione aurum, cuius cupiditate incensus virum meum Sichæum interfecerat, ac proinde & ab illo pœnas sumpsi, & vlta sum virum: quæ enim auaro maior pœna, quàm pecuniam perdere, propter quam deliquerat? Sic explicat hunc locum Seruius; Et verè; nisi enim de hac vltione, & pœnis capias, nihil aliud reperies in historia Didonis.*

Aliqualem mors præ oculis docuit prudentiam amantem Didonem. Sumpto ad necem pugione sic illa deliberat, *Moriemur inultæ?* Et concludit, sibi melius esse sine vindicta mori, quàm post vindictam. 145 Minus malum eligere, prudentia est.

Sed moriamur, ait.

Luctam adhuc sustinebat cum vltionis affectu, & illum ratione superare vix poterat, *Sic?* itane, vt sine vindicta ad vmbras discedam? discedam sic, *sic iuuat ire sub vmbras*, vbi malorum satis superquè atquè pœnarũ nocentes manet; non id vltionis committamus, vnde pœna mihi sæuior accrescat, grauiusquè supplicium. Sine vltione ergo *iuuat ire sub vmbras.* Præclarè Donatiana paraphrasis. *Melius est, inquit, me inultã mori, quàm vltionẽ quærere, & sic deterioribus casibus reseruari.* Vltioni pœna, grauiori vltioni grauior pœna respondet, illa ergo præcidatur, vt hæc leuetur. Minus me iuuat malum eligere, quæ sub vmbras eo. Prudentia hæc à mortis præsentiâ. Fortis est vltionis affectus.

Quo maiorem cupis de inimico sumere vltionem, eo ipso sæpè tibi maiorem iniuriam creas. Aliena vltio tuæ seruit iniuriæ; tua paras & exequeris damna cumulatiora, cum cumulatiorem alteri paras vindictam, vltionem exequeris. Ab Ænea Dido petit vltionem, quare ingentem sibi pyram extruit, vnde in cœlum possint attolli flammæ, volare scintillæ, ignis æstuare: quarum rerum misero aspectu Æneas præ dolore, illa verò præ vindictæ affectu rumpatur. Illam audi. 146 Quã ab alio petis vltionẽ, tuæ seruit iniuriæ.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus.

Quàm tuis impensis, Dido, tibi paras vltionem! & vindictam exequeris! Carò tibi stat vindictæ petitio. In hanc rem est Donatiana paraphrasis. *Pars, inquit, vltionis est, si recedens hostis meus rogi mei flammas aspiciat.* Quantula est hæc vltionis pars, quàm tuâ nece

emis, & rogo!

147 Meritò ille nomina amittit egregia, qui in se ipsum admittit indigna. Indignâ se nece Regina peremit, gladio incumbendo, præ amoris dolore; tunc ergo Poëta maximus nec *Reginam* vocat, nec *Didonem* appellat, (egregium vtrumquè nomen, dignitatis illud, honoris hoc, nam Dido *Viraginem* sonat. Quid igitur? *Illam* tantùm dixit.

Nomina ille amittit egregia, qui admittit indigna.

Illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites.

Nec regale tunc nomen, nec virile meretur, cum nec regio animo, nec virili se gesserit, sed intemperanti, sed abiecto: dignitatem hoc facto depressit, prætulit imbecillitatem. *Illa* ergo dicatur, quæ nobilibus titulis censetur indigna, dum admittit abiecta. Præclarè Neotericus Maronis interpres. *Nec Reginam dixit, nec Didonem, sed illam, cum præ amore impotens sui, pectus ferro transuerberat.*

148 Ingenua nobilisquè natura, etiam dum praua exercet, vestigia nobilitatis & ingenuitatis ostendit. Notauit ingeniosè Donatus hæc regij sanguinis vestigia in cæde Didonis. Vix illa dixit *nouissima verba*, *Dixerat*; cum comites eam collapsam ferro aspiciunt.

Qui nobilis sunt sanguine, in ipsis prauè factis vestigia nobilitatis ostendunt.

Dixerat; ast illam media inter talia ferro
Collapsam aspiciunt comites.

Itane? Didonis comites Didonem non præuiderunt percutientem se, sed percussam? quî fieri potuit, vt quam sibi illa vim intulit, non viderent? ictum, quo se confodit, non attenderent? violentiam, qua gladium incluit in viscera, non aspicerent? Factum Dido summâ celeritate peregit, cuius illam fœditas pudefaciebat: Regius in illa sanguis vestigia dignitatis ostendit. In fœdo facto sese nobilis natura prodidit, & clanculùm ac sine morâ rem transegit indecoram, in quam amoris impatiens ferebatur. Audi Donatum. *Non descripsit Poeta ictum, quo Dido confossa est, sed, quid fecisset, demonstrauit; vt ostenderet celeritatem facti, præ fœditate; nam nullus vidit percutientem, sed cadentem, & ferrum spumare inundatione sanguinis.* Non facilè ingenuitatis, & nobilitatis lumen extinguitur.

149 Quàm cæcus fertur amor impurus in sui executionem furoris! Vbi primùm Regina

Suos serò furores norũt & damnant amantes impuri.

Concepit furias, euicta dolore,
Decreuitquè mori.

Mortis tempus, & modum secum ipsa non deliberauit, sed temerè exegit.

Tempus secum ipsa, modúmquè
Exigit,

Quam ipsa temeritatem ita breui cæcitate, cæcáquè breuitate exequuta

exequuta est *Subitoquè accensa furore*, vt sine vlla iam vitæ spe inflictum sibi vulnus gemuerit, effusum sanguinem, necem illatam. Facti pœnitudinem satis illa declarant, quæ sequuntur.

Ter sese attolens, cubitoquè innixa leuauit;
Ter reuoluta toro est, oculisquè errantibus alto
Quæsiuit cœlo lucem, ingemuitquè repertâ.

Vbi præclarè Donatus. *Signa, quæ moriens dedit, ostendebant, eam facti plenitudinem gemere, quod iam emendari non poterat.* Tunc noscit & damnat furorem amantis, cum factum emendari non potest.

Plus debes ei, qui damnum impedit tuum, quàm illi, qui ab incursu te redimit. Non maximum præstitit beneficium Iuno Didoni, cum. 150 Plus debes tuum impedienti damnum, quam ei, qui ab incursu te redimit.

Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosquè resolueret artus;

Præstitisset maximum, si prohibuisset à damno, vel ictam ferro reseruasset ad vitam. Non se Iuno Didoni liberalem exhibuit, sed parcam, cui tot Elissa debiti cultûs præstitisset officia. Est ita sanè, vt leuiora Principes faciant etiam erga eum sæpè, cuius officijs maxima debent. Expendit hoc loco vtrumquè Donatus. *In hac parte Iunonis est Nota iuuantis morientem, vt celeriùs vitam efflaret; quæ, si quid posset vitam præstare debuerat, aut viuenti subuenire, cum decerneret mori.* Notat igitur Maro Iunonem, non laudat; vlteriùs enim potuisset, si voluisset vlteriùs. Sæpè Principes leuiora faciunt etiam erga eũ, cui maxima debent.

Item expende in hoc tractu, quam parciu sunt Principes, qui eis, à quibus officia sibi præstita sunt, melioris status, & leuatioris vitæ commoda quærant. Quot & quanti iuuant, vt celeriùs vitam efflent ij, à quibus sibi accuratè diligenterquè seruitur? Vt vitam duceret commodiorem Dido curare debueras, ô bona Iuno, non vt mortem celeriùs accerseret. Morientem vrges? animam extrahis ei, quæ studiosè tibi, dum vixit, inseruijt? Hùc reuoca laudata suprà verba Donati. *In hac parte Iunonis est Nota iuuantis morientem, vt celeriùs vitam efflaret.* Nonnulli Principes suorũ mortis causa sunt sæpè.

Multis erga se officijs tenebatur Iuno opem ferre Didoni. Templum eius Carthagine celeberrimum struxerat, opimat aras erexerat, frequenti opobalsamorum odore perfuderat, ipsa Iunoni addictissima Dido. Sic lib. 1. 151 Potentissimus in fœminis est vitionis affectus, præsertim in Primatibus.

Hîc templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & Numine Diuæ.

Attende quàm parcam illa prçstiterit opem, quando Didonis vita cum morte luctaretur.

Irim demisit Olympo.
Quæ luctantem animam, nexosquè resolueret artus.

Non per se ipsa Didoni subuenit, sed Irim demisit; nequè alli-

gauit vulnus, nequè refecit moribundam, neque recreauit afflictam; nequè illam, quæ

Nec fato, meritâ nec morte cadebat,
Sed misera ante diem, subitoquè accensa furore.

Vitæ integræ saluam restituit, cum posset; imo parcam eam opem tunc attulit, post longum Didonis dolorem, longumquè luctamen

Longum miserata dolorem.

Vitiosa omninò hæc Iunonis parcitas & malignitas est erga Reginam, Eam illi Donatus notam merito inurit. *In hac parte* (inquit) *Iunonis est. Nota iuuantis morientem.* Quid ergo causæ? illud augurror fuisse: Exceperat suâ vrbe Regina Troianos, quorum Regem ita adamauerat, vt præ illius desiderio, præ illius amore in eas esset Dido angustias adducta, vt mortem consciuerit, Troianos, inquam, & Æneam Iunonis inimicos; sic Iuno ad Æolum de Troianis.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.

Vt ergo suum satiaret vltionis affectum, aliqualem, & tardam, & per Irim opem attulit moribundæ, cui tot tantisquè nominibus egregiam, tempestiuam, ac per se ipsam debuisset afferre, cum à iuuando Iuno dicatur. Exhibita sibi Iunò à Didone officia pessundedit, & in ipsa Didone, quòd Troianos fouisset, vltionem etiam irata Dea fuit exequuta. Potentissimus hic vindictæ affectus in fœminis est, præsertim Primatibus; Omnia ferè gratitudinis, pietatis, officij iura iusquè dequè habent, dummodò cupitâ satientur vltione. Ad exaggerationem hæc dicta sint de Iunone, sed an *defœminâ*, & *Primate*, verè? tu videris.

152 Notauit Seruius, cum Regina præ amoris impatientiâ sibi manus attulit, *flauos* illi Poëtam crines attribuisse, turpitudinis notam.

Flauus capillus turpitudinis indicium.

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Hoc est, fuco rufatum, aureumquè lixinio. Amans quippe capillorum pulchritudini studuit, & ascititium illorum colorem quæsiuit. *Dat. huic ergo* (ait Seruius) *flauum crinem, quasi turpi.* Hæc Seruij interpretatio Landino non placet, qui ita subscribit; *Non placet quod Seruius scribit, mulieres pudicas non esse vsas flauo crine; nam Ouid. lib. de Fastis sic ait de Lucretâ, cui palma pudicitia tribuitur.*

Forma placet, niueusquè color, flauiquè capilli,
Quodquè aderat nulla factus ab arte color.

153 Vrebatur Dido Amoris incendio, sic suprà Virgilius.

Ad vltimum vsquè halitum durat amoris affectus.

Vritur infelix Dido.

Quod vt in amante sopiretur, en tibi Iris rore fluens per cœlum deuolat, & ad Didonem fertur gladio transfixam, vt vel in extremo iam halitu, cœlesti illo rore turpis ille moreretur affectus;

Croceis

Croceis per cœlum roscida pennis
Deuolat, & suprà caput astitit.

Necessarius omninò ros ille fuit, vt tantus ignis deficeret in exangui Didone; tunc enim.

Omnis & vnà
Dilapsus calor.

Quid est *Omnis calor* nisi calor corporis, & animi æstus amantis? nam *Omnis* pluralitatem significat. Fortasse Donatus id acutè præuidit in emistichium illud *tequè isto corpore soluo. Hoc, inquit, facio, ne vulnere & amore crucieris.* Ita Donatus.

Cum Iris crinem Didoni venit ablatura fatalem, vt amarâ illam luctâ liberaret, ne fortè argueretur, quòd in alienum se munus ingereret, factum suum, pium etiam, excusat obedientiâ; 154 Alieno te muneri non inferas, nisi obedientiæ impulsus.

Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, tequè isto corpore soluo.

Expendit ingeniosè vocem illam *Iussa* Donatus. Quasi dicat; si alienum vsurpo munus, constet oportet Superioris coactam me fuisse vi potestatis; ne crimini mihi vertatur, quod, nisi *iussa* facerem, non crimen esse non poterat. *Benè dixit iussa*, (sic Donatus) *quia quod factura fuerat, alieni fuit officij; perindequè ab vsurpationis crimine potuit excusari, quòd potioris habuit faciundi authoritatem.*

Ideò, ait Landinus, vsa est Iris hoc verbo *Soluo* in illo emistichio. 155 Corpus animæ vinculum est.

Tequè isto corpore soluo.

Quia corpus animæ vinculum est. *Soluo, inquit; quia secundum Platonicos homo anima est, quæ in corpore, veluti molestissimo in carcere includitur. Ergo Soluo, tanquam corporis vinculis.* Lege Macrobium in Somnium Superioris lib.1.cap.11. vbi de hac re multa philosophatur & pulchra, in locum illum, *Qui è corporum vinculis, tanquam ex carcere &c.*

Antè quàm Iris demandatum sibi à Iunone munus exerceat, qualis, quanta, & à quo Numine sibi potestas facta sit, exponit, vt omnibus, antè factum, de potestate, & facultate constaret. 156 De tuâ priùs potestate constare debet quàm traditum tibi munus exerceas.

Sic ait; & dextrâ crinem secat;

Mirus ordo verborum! *Sic ait*; post expositam verò facultatis rationem; illam exequitur, tunc *dextrâ crinem secat.* Præcessit expositio, sequitur execuutio.

Quam tibi pœnam imprecaris, sic à iuratâ lege discedas, caue, ne periurij reus eandem subeas. Ingeniosè Donatus in extremo huius libri carmine, vbi Didoni.

Omnis, & vnà
Dilapsus calor, atquè in ventos vita recessit.

Ingeniosè, inquam, Donatus expendit, eâdem Reginam mulctatam esse pœnâ, quam sibi, initio huius libri, imprecata est, si pudorem soluisset, & castitatem violasset. Debitam tulit pœnam culpa periurij. Quid Dido supra?

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemquè profundam,
Ante pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.

Inconstans animo subiacuit culpæ, subiaceat & pœnæ. *Impleta est*, (inquit Donatus) *pœna periurij; suprà enim dixit, Sed mihi vel tellus &c.*

R. P.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER QVINTVS.

HINC fluctus Aquilone atri, inde conflagantis Elisæ flammæ consurgunt. Medius tamen Æneas curæ suæ nèquaquàm oblitus. *Mœnia respicit.* Vrget in mari tempestas; si terram respicit, inuenit incendia; & tamen periculi immemor sui, sui memor affectûs, vrbem aspicit, vnde soluit, quæ etiam flammas minatur. Inter aquæ ignisquè pericula ab intemperato sibi amoris affectu non temperat. 1

Nulla amātem pericula à sua cura deterrent.

Intereà medium Æneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusquè atros Aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elisæ
Collucent flammis.

Hic Zerda. *Vide quàm magna representetur, & illa formidanda. In mari est tempestas, flammæ in vrbe.* Et tamen immemor periculi oculos ab vrbe non amouet. Quid ita? Donatus & Landinus ad rem meam.

meam. Ille, *Quod dixit Mœnia respiciens, affectus loci fecerat, quem inuitus reliquerat.* Hic clarius. *Respiciens ex amore ; nam quamuis Italiam peteret, tamen non poterat non moueri amore, quem erga Didonem gerebat.*

2 A Mercurio monitus Didonem reliquit Æneas. Sic lib. 4. ipse ad Didonem,

In virtute adhuc tyro, terrenis interdum arridet.

Sed iubet ire Deus.

Vix tamen in altum progredi cœpit, cum in Vrbem oculos reijcit, vbi dudùm perierat.

Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elissæ
Collucent flammis.

Recens occasionem reliquerat, illuc interdum respicit, & non potest non aliquantulum de abiecta iam ab animo curâ commoueri. Audi Landinum. *Discedere Æneam à Didone nihil est aliud, quàm virum egregium à Ioue per Mercurium monitum, id est, à Deo per doctrinam eruditum ad bonam vitæ frugem transire. Sed cum nondum in eo virtutum genere, quæ animi purgati dicuntur, consistat, sed in virtutibus purgatorijs constitutus sit ; quamuis diuina præcepta, quibus cœlestia contemplari, & terrena despicere iubemur, sequi decreuerit, tamen non potest non interdum commoueri cupiditate rerum terrenarum.* Sic Landinus.

3 Vix Carthagine excedit Æneas, cum *Mœnia respiciens* prouectus in altum, illustrissimam considerat vrbem, fortissimam, ditissimam, pauci interiectu temporis deformatam ignibus, luctu consternatam; voluit animo humanæ gloriæ inconstantiam, atque ita illam animo voluit, vt oculos etiam semel iterúmquè conijciat,

Inconstátes omninò sút sæculi gloriæ.

Mœnia respiciens, quæ iam infelicis Elissæ
Collucens flammis.

Amoris incendiũ cuncta deuastat.

(Reginæ flammis conflagrat vrbs, Dominæ incendio Carthago deformatur, flammis inquam, & Amoris incendio. Benè Donatus. *Dum Carthaginem respicit, quàm intento animo intuebatur, quámquè incolumem & florentem reliquerat, repentè videt ardentem.* Repentè intereunt humanæ gloriæ ; hac attenti animi consideratione, breuissimâ florentissimæ vrbis mutatione defixus *Mœnia respiciebat :* Et quamuis Aquilonibus classis quateretur insolitis, & fluctibus atris, periculi oblitus sui, humanæ gloriæ inconstantiam contemplabatur. *Infelicis* mœnia dixit, quam nuper viderat felicissimam.

4 Adeò amantis fœminæ grauis est dolor, cum se sentit spretam, vt quod supplicium sumere de spernente se vellet, si per infirmitatem sexus non possit, vertat in seipsam. Quod expendit Donatus in illud,

Amans fœmina in se ipsam vertit supplicium, quod de spernente se nequit exigere.

Duri magno sed amore dolores
Polluto, notúmquè furens quid fœmina possit.

Fœminarum

Fœminarum dolores (inquit) *vel maximè in causa amoris vult Virgilius ostendere satis esse grauiores. Quantùm enim in vltione reportanda per infirmitatem sexus minùs possunt, tanto in se supplicio vertunt, quod exigere de alio nequiuerunt.* Quod & euenit Elissæ; quæ quam pœnam ab Ænea fugiente non potuit exigere, intulit sibi.

Vixdum Æneas Africâ excesserat, cum fœda tempestate deprehenditur. 5 Vicinâ spe fortunæ melioris, præsentes labores mollescunt.

Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius vlla
Occurrit tellus, maria vndiquè & vndiquè cœlum.
Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hyemémquè ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Tunc illum Palinurus nauis rector, vt in præsenti labore soletur, sic admonet,

Vertamus iter, nec littora longè
Fida reor fraterna Erycis.

Propè tunc esse littora fratris Erycis (nam Veneris filius Eryx fuit) opportunè dixit, vt vicinâ spe fortunæ melioris, illa remitteret & mollesceret, quam Æneas patiebatur aduersam. Donati mens hæc. *Erycis commemorationem fecit, qui ante Acestem Siciliam tenuit, vt commemoratione fraterna memoria æquo animo Æneas ferret illius nauigationis euentum.*

Ab institutâ nauigatione coactus Æneas est diuertere, vi tempestatis, nam 6 Rectum sæpè ab errore.

Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contrà (ait Palinurus) *nec tendere tantùm*
Sufficimus: superat quoniam fortuna, sequamur, &c.

Assensit Æneas nauis rectori, & ad Sicanos tandem portus appellit, vbi & Dardanius erat Acestes Rex, & Anchisæ parentis ossa quiescebant. Notat ipse Æneas *Rectum sibi ab errore* accidisse. Sic enim ad Palinurum,

Flecte viam velis: an sit mihi gratior vlla,
Quam quæ Dardanium tellus mihi seruat Acestem?
Et Patris Anchisæ gremio complectitur ossa?

Pulchrè Donatus. *Duos admiranda inuentione posuit in illo aduerso nauigationis euentu Acestem, & Tumulum patris. Cum hanc, inquit, terram tetigero, erit mihi mirum in modum gratulandum, sic me vitio malæ nauigationis errasse, vt Acestem iterum videam, & terram mei patris reliquias continentem.* Huiusmodi errores mei non habeantur errores, sed fœlicissimi æstimentur euentus. *Gratulandum mihi, sic me vitio malæ nauigationis errasse.*

Siciliæ Rex Eryx fuit, frater Æneæ (Alij Neptunum illi patrem, 7 alij Butem putant, omnes Venerem matrem) Ad huius ergo insulæ Ingenuo iũ

est proprias laudes diuertere, & dissimulare. littora cum tempestatis vi appellere cogeretur Æneas, Palinuri consilio, notes velim, non Acestē à Palinuro, sed Erycem nominatū: cum ibi tunc viueret, & dominaretur Acestes, Eryx verò iā dudū obijsset.

Nec littora longè

Fida reor fraterna Erycis

Adulari Principi suo voluit fraternæ commemoratione dignitatis. Sed attende quid respondeat Æneas, ingenuus sanguine, adulationis nil auidus,

An sit mihi gratior vlla

Quàmquè Dardanium tellus mihi seruat Acestem?

Quàm prudenter suas diuertit laudes, propria encomia dissimulat; nec fraternā sceptra meminit, sed Acestis imperiū. Ingeniosè Donatus Æneæ ingenuitatē animaduertit. *Hac Æneas dixit, non tamen Erycis fratris mentionem fecit; hoc quippe nomen omisit, quoniam quod Palinurus dixit, replicare non debuit.* Non debuit ingenuus replicare, quod obiecerat adulator.

8 Præsentem Principem laudamus obliti superiorum. Miror Æneam ad honorificam fratris Erycis commemorationem nec verbum retulisse, nec fratrem nominasse, sed gratissimam sibi dixisse terram illam esse, quæ Dardanij Acestis imperio regeretur. Granditer dixit, magnificè intonuit,

An sit mihi gratior vlla,

Quàm qua Dardanium tellus mihi seruat Acestem?

Pręsentem malluit Principem laudare, quàm illum, (fratrem licet,) qui vitā iam excesserat: regnantē attollit; eū, qui regnauit, supprimit: scabit viuū, mortuū despnit. Quidni? sperabat à viuo, quod, qui iam vixerat, præstare non poterat. Ideò *Mihi*, dixit, *tellus hac seruat Acestem.* Expende verbulum illud *Mihi.* Non curat fratrem, dum à viuenti Aceste emolumenta conquirit. Vide num. 18. lib. 10.

9 Principum est illustrissimos iactare suos. Cum per adulationem Palinurus Æneæ dixisset,

Nec littora longè

Fida reor fraterna Erycis

Quid Æneas reddat, aduertite,

An sit mihi gratior vlla,

Quàm, qua Dardanium tellus mihi seruat Acestem?

Gloriam superaddit gloriæ; non adulationem diuertit, sed cōuertit; non vitauit, sed vocauit; non abnuit, sed annuit. Quasi diceret, Grādia narras, ô Palinure, frater olim Eryx hìc tenuit imperium, quo Rege mea regnat & gloria; sed & Acestes, qui nunc Siciliam insulam regit, Dardanius est, & me amicitiā, sanguinequè contingit. Hanc crediderim mentem esse Donati in illis verbis, *Palinuri dictis augmentum addidit, nominando Acestem.* Acestem nominat, vt non solùm se fratrē habuisse Regem insulæ, sed & cognatum, eiusdē Siciliæ Regem habere se iactet, & regiū ab vtroquè splēdorem præ se ferat. *Augmentum ergo addidit Palinuri dictis, Acestem nominando.*

Præclarè

Præclarè facta decet interdum nostra animo voluere, & in memoriam reuocare præterita, vt ad futura prouocemur. Hoc Mnesteus socijs indixit, cum eos ad nauale certamen hortatur, 10

Victoriæ præteritæ recolendæ animo sunt, vt ad futuras incitemur.

Nunc nunc insurgite remis,
Hectorei socij, Troiæ quos sorte supremâ
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis syrtibus vsi,
Ionioque mari, Maleæquè sequacibus vndis.

Vbi Donatus. *Rectè eos admonet præteritæ virtutis, vt exemplis suis erigantur potiùs, quàm factis prouocentur alienis. Quod quater ait Nunc, & id ipsum sæpè commendauit, hoc significat; quòd omnis gloria interitura esset, si illud tempus, si occasio præsens labetur è manibus.* Valida illa ratio est ne deficias, *Nunc mea res agitur, Nunc de mea omninò victoria & honore contenditur, Nunc nunc.*

Si in fine deficis, benefacta corrumpis.

Noua omninò Sergestus & inaudita excogitabat, nimirum, vt sua spoliata remis nauis marinas vndas veloci cursu perlaberetur. Nouum sanè inuentum! Ad hunc ille finem vocat auxilia, sed frustrà. Qui præstò ipsi poterat esse, Cloanthus erat, sed & hic meritò 11

Qui nouũ molitur inuentum, dignus non est, quem quisquam iuuet auxilio.

In scopulo luctantem deserit alto,
Sergestum, breuibusquè vadis, frustráquè vocantem
Auxilia.

Quid ni frustrà vocaret auxilia, qui tunc maximè nouitati vacabat? nam additur,

Fractis discentem currere remis.

Vbi Donatus. *Deseruit, quia poterat subuenire,* (ille dicitur deseruisse, qui cum subuenire possit, non vult tamen) *& deseruit meditantem rem nouam, vt nauis eius sine remorum adminiculis curreret.* Dignus fuit, qui nouitatibus studebat, cui nemo ferre vellet auxilium.

Pari ferebantur conatu, & cursu pari, in certamine Mnesteus & Cloanthus. Præripuisset fortasse palmam Mnesteus, 12

Superior facilè euadit, qui ad diuinum confugit auxiliũ.

Ni palmas ponto tendens vtrasquè Cloanthus,
Fudissetquè preces, Diuosquè in vota vocasset.
Dij, quibus imperium pelagi &c.

Opportunum statim sensit auxilium, obtinuit precibus, quod diffidit viribus, nam

Pater ipse manu magnâ Portunus euntem
Impulit (nauem)

Et honorem & præmium, Mnesteo superior, est assequutus. Donatus pulchrè ait victorem hunc palmam precibus præuenisse. *Victoriam, inquit, quæ vtriquè posset esse communis, præuenit Cloanthus precibus suis. Hæc prædicendo, ostendit Poëta ipsum futurum esse*

victorem. Nesciunt enim à se inanem repellere Superi, qui diuinum precibus flagitiarit auxilium. Sequitur.

Victorem magnâ praconis voce Cloanthum
Declarat (Æneas scilicet.)

13 Vix hîc Cloanthus implorat, cum sentit auxilium.

Auxilium non differt Deus, si imploretur ex animo.

Dixit, eumquè imis sub fluctibus audijt omnis
Nereidum, Phorcique chorus. Vide celeritatem auxilij,
Dixit, eumquè &c.

Vel ab imis vndis præsentissimum ille & plenissimum experitur. Et auditus statim est & adiutus; auditus vel abimis vndis: adiutus vel ab ipso Patre Portuno.

Et Pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit.

Et quæ adhibentur similitudines auxilij celeritatem indicant; nauis namquè

Illa noto citiùs, volucriquè sagittâ,
Ad terram fugit, & portu se condit in alto.

Donatus. *Tantùm roganti Deorum maris auxilium profuit, vt nauis cursus velocior ventis, & sagitta volatibus prouenisset; deniquè prima tenuit littus, & ad palmam prima perducta est.*

14 Præconis voce victor Cloanthus declaratur: nequè illi solùm præmium tribuitur ab Æneâ propositum, sed & insuper illi Troianus Dux victrici lauro tempora cingit.

Principum est, quæ obtulere dona cumulare.

Viridiquè advelat tempora lauro.

Princeps oblato præmio adiecit honorem, quem ille facile prætulit præmio. Donatus. *Hoc non fuit præmium, sed insigne victoriæ.* Et paulò post; *In præmiorum autem & honorum liberalitate largitor ipse laudatur.* Ostendit se Principem, qui præter dedita dona, honores præstiterit, ipsis, donis, muneribusquè potiores.

15 Quis non videret, cum longeuos custodes illos in Ganymedis raptu palmas ad sydera tendentes videret quasi vellent ex Aquilæ vnguibus Ganymedem eripere, sistere incolumem; nisi conatus hic ex amoris affectu in longæuis custodibus noscceretur?

Nullus est damnandus conatus, qui est ex amoris affectu.

Quem (Ganymedem) *præpes ab Idâ*
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.
Tunc illi *Longæui palmas nequicquam ad sydera tendunt*
Custodes, sæuitquè canum latratus ad auras.

Hic malè Seruius. *Aut mirantes, aut increpantes Deos.* Nec primum placet, quia væcordium est; nequè secundum, quia impiorum. Placet Donati ingenium, qui in his custodibus affectum agnoscit amoris. *Quasi retinere* (inquit) *præ amore possent, quem fortissima aliis tenaces complexus innoxiâ subtilitate portabant.* Non ergo *Nequicquam*, quamuis verè *Nequicquam*; quia amoris conatus est iste, quem imperabat affectus. *Nequicquam* quoad effectum, non verò *Nequicquam* quoad affectum.

Sine

Sine fuco illa eſt Euriali pulchritudo, quam Poëta laudat, vtpote quæ ex forma inſigni, & iuuenta viridi naſceretur; quæ aſcititia eſt, & fucata, pulchritudo non eſt, ſed, ludibrium naturæ.

Euryalus formâ inſignis, viridiquè iuuentâ.

Notauit Donatus. *Vt apertiùs oſtenderet, non accuratione aliquâ fuiſſe, ſed ætatis bono inſignem Euryalum, inquit, Fuit formâ & iuuentâ pulcher.* Quæ alia eſt, pulchra eſt fœditas, aut fœda pulchritudo.

Quando Euryalus præmium petiturus acceſſit, ait Virgil. 16

Tutatur fauor Euryalum, lachrymaquè decoræ
Gratior. Et pulchro veniens in corpore virtus.

Decori interdum lachrymæ ſeruiunt.

Vbi ingenioſa eſt Donati interpretatio, quæ ſic ſe habet. *Non Virtus veniens in corpore accipiendum eſt, quoniam erit vitium, ſed ordinato ſenſu, quid intelligendum eſt, requirendum, vt verborum pateſcat integritas. Tutatur Euryalum gratior veniens fauor, lachrymaquè decoræ, & virtus pulchro in corpore tutatur: vt ſit Tutatur fauor Euryalum, tutatur virtus, lachrymæ, inquit, decoræ. Tanta vis pulchritudinis eius fuit, vt ornaretur fletibus ſuis, qui ſoliti ſunt pulchritudines egregias deformare. Reuera enim ipſa eſt incorruptibilis pulchritudo, quæ tunc quoquè inviolata perdurat, cum pulſatur adverſis, & ſui detrimenta non ſentit.* Virtus ergo gratior in pulchro Euryali corpore decoræ erant lachrymæ. Accedebant ad pulcherrimam Euryali formam decore lachrymæ, quæ mirum in modum pulchritudini, decoriquè ſeruiebant. Effuſis lachrymis illius inſigni formæ noua virtus accreuit. Hac interpretatione acris quorundam in Virgilium ceſſat inuectio.

Verè pueri illi ſunt, & hoc appellandi ſunt nomine, quid aliquid factum vel faciendum perperam ſine cauſa de Superioribus iudicant, & in ſiniſtram partem interpretantur immeritò. Queruntur de Enea curſores illi, quod in diſtributione præmiorum ſuum cuiquè ius non attribuat, ſed ex affectu priuato potiùs, & animi paſſione moueatur. Tunc ille ad eos. 17

Qui aliquid perperàm ſine cauſa de Superioribus iudicant, pueri ſunt.

Veſtra, inquit, munera vobis.
Certa manent, pueri.

Certum eſt pueros illos non eſſe, ſed validiſſimos iuuenes. Quare ergo pueros appellat? Donatus acutè. *Hîc Pueri pro inertibus debemus accipere, qui ita pueriliter ſentirent, vt putarent Æneam, ſub conſpectu bonorum omnium, contra pollicitationis ſuæ fidem aliquid eſſe facturum.* De falſa eorum exiſtimatione offenſus Æneas, Pueros vocat, adulta licet ætate iam eſſent, quia pueriliter de ſua liberalitate, in præmiorum diſtributione ſentirent.

Præcipuè ſi de inferioribus ſunt commodis agitur.

Claudat hunc Curſorum ludum Aſcenſij nota, quæ moralis omnino eſt & digna, quæ laudetur. Sic ille *Ponit ergo Poëta varios currentium caſus; nam Niſus, qui primus fuerat, propter lubricitatem*

Non optimo cuiquè ſummo cōtingit glória.

soli cecidit, & sese Salio opposuit, quo cadente, prima palma Euryalo, cuius gratiâ Nisus se Salio opposuerat, obvenit; & secunda Helymo; tertia verò, si Salio nulla detur, Diori; vnde lis suborta est, quam beneficentiâ sua sedauit Æneas. Docet ergo hoc ludo, Non optimo cuiquè summam contingere gloriam. Inquè omni negotio plurimùm iuuare amicitiam. Principemquè decere præter cæteros munificentiam. En tibi totus hic ludus vocatus ad Ethicam.

Amicitia plurimùm iuuat.

Principem munificentia decet.

19 Landinus in lachrymas illas decôras Euryali, qui

Formâ insignis, viridiquè iuuentâ.

Laudatur pulchritudo de qua lachrymis & tristitiâ nihil deponitur.

Sic commentatur. *Quanta ergo erat illius pulchritudo, cum lætus esset?* Et locum adducit lib. 1. vbi Poëta Veneris pulchritudinem laudans, ait.

Tristior & lachrymis oculos perfusa nitentes.

Si cum tristior, & suffusa lacrymis, oculos nitentes habebat; quid si lætior, & sine lachrymis?

20 In arduo illo cæstuum luctamine, & Victori & Victo prudens Principes Æneas præmia proponit.

Qui difficilem aggreditur rem, frustra licet, dignus est præmio.

Victori velatum auro, vittisquè iuuencum;

Ensem, atquè insignem galeam solatia victo.

Vidit certaminis Princeps ipse discrimen, cum ait,

Nunc, si cui virtus, animusquè in pectore præsens,

Adsit.

Cum ergo ad discriminis plenum agonem prouocaret, necesse fuit, vt & victorem & victum præmijs alliceret, quòd vterquè rem dubiam & difficilem aggrederetur; in honorem Victori, in solatium victo, & mercedem audaciæ.

21 Huic se Dares primus certamini sistit. Quæritur huic alius; nec quisquam ex tanto agmine audet virum adire.

Laus per cōpêdium maxima.

Ergo alacris, cunctosquè putans excedere pugnâ,

Ad pedes procedit Æneæ, & præmium sibi, & poscit honorem.

Tum læua taurum cornu tenet, atquè ita fatur.

Nate Deâ, si nemo audet se credere pugnæ,

Quæ finis standi? quo me decet vsquè teneri?

Ducere dona iube.

Non animadvertitis, ait Landinus, qua Virgilius arte huius militis robur animi, virtutemque commendet? Quid de illo?

Tum læua taurum cornu tenet, atquè ita fatur.

Hoc in carmine laus latet egregia. *Læuâ taurum cornu tenet*, & ferocientem reprimit, spumantem retardat, deprimit resilientem. Præclara quidem robusti militis laus, sed quæ sequitur, præclarissima, *Atquè ita fatur:* tantæ illum intentum violentiæ posse tamen ita fari, quasi nihil ageret, hæc illustrissima laus est. Ita feram illam læuâ comprimere, vt & simul quieto animo Æneam alloqu[illegible], & posceret præmium, summæ fuit virtutis, inauditi rob[illegible]is, [illegible]æ

Eng[illegible]

singularis. *Ostendit autem* (Landini verba) *quàm sine negotio illum teneret validissimum taurum, cum etiam quietè eum tenens lòqueretur.* Adeò fortiter facere, & simul quietè loqui, egregia maximè laus est. En vno carmine compendiosè continetur ænconium, quod multis alius assequi non potuisset.

Blanda obiurgatio à Superiore felicem sortiri solet effectum. Entellu mlaudat simul & obiurgat Acestes, quod ad cæstuum certamen prodire recuset. 22 Obiurgatio laude interdum misceri debet, vt profit.

Entelle Herorum quondam fortissime frustrà,&c.

Fortissimum vocat, laus hæc; *Frustrà* dicit, hæc obiurgatio; Præclarè Donatus. *Obiurgatio, sed non iniuriosa, cum sit admixta laus* Quæ talis est, mirum in modum prodest. Profuit hæc, & Entellum præ senio recusantem, (nam ipse de se *gelidus tardante senectâ Sanguis habet, frigentquè effata in corpore vires*) dubiam satis cum Darete eduxit in pugnam.

Si in calce pecces, tua egregiè facta egregiè deformas. Ideò Acestes Entellum *Fortissimum frustrà* dixit, si extremum hoc cum Darete certamen detre ctet, quamuis sæpè fœlicissimè decertasset. 23 Egregiè facta coronātur in calce.

Entelle heroüm quondam fortissime frustrà.

Quod Landinus vidit. *Fortissime frustrà; nam omnia egregiè facta sua in hoc extremo actu deturpabantur; vt videretur illa frustrà fecisse.* Et addit, in hunc sensum sequentia explicans carmina. *Et optimè eam incitat, & à præceptore, quem habuit; & à rebus gestis, quibus gloriabatur; & à fama; quæ omnia ostendit euanescere, si nunc sic cedat.* Præclarè!

Vel inani timore perculsi, vel ignauiâ depressi, proh! quantum solemus omnigenæ vtilitatis amittere! Pulchra illa exhortatio est ad Entellum Acestis, qua & notat ignauiam, & lacessit ad præmium. *Frustrà.* 24 Nostrâ sæpè ignauia proh! quanta amittimus.

Tantáne tam patiens, nullo certamine tolli
Dona sines?

In verbis *Patiens*, & *Sines* inertia notatur; quæ amplificatur, cum *Dona tanta* sint, & quasi de Entelli manu *Frustrà tollantur* (sic legit Donat.) quæ *nullo* ille *certamine* assequeretur. Donatus. *Poterit ne tantum durare ignaua patientia tua, vt nullo certante, frustrà præmium in alterius commodum transeat Singula verba cum ingenti pondere persuasionis posuit. Primum Frustrà, hoc est sine laboris merito; tanta ne, hoc est tam pretiosa, tam pulchra, sine gloria vincendi tolli dona patieris. Patiens hunc potest intellectum admittere, quia Dares dixerat.*

Si nemo audet se credere pugnæ
Ducere dona iube.

Dixisse Acestes videtur, Si passus fueris dona tolli sine certamine,

videberis ipse quoque cum cæteris timuisse. Congressus est, & præmia & gloriam adeptus.

25 Si à tuis degener &, genus obscuras tuum.

Sentit Acestes, Maiorum obscurari præclara monumenta à Minore degenere. Sic ille ad Entellum;

Vbi fama per omnem
Trinacriam? & spolia illa tuis pendentia tectis?

Vbi Donatus. *Concidet fama nominis tui, quæ per omnem Siciliam nata est. Et obumbrabuntur cum victoria tuorum tam plurima documenta.*

26 Robur corporis laus est in Principe dicta per transitũ.

Vide quàm obiter poëta Princeps *Robur corporis* suo laudet in Principe. Cæstus immani ponderis proiecit in medium luctaturus Entellus; qui aderant omnes

Obstupuère animis tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroquè rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares.

Quocum erant Entello conferendæ manus, & congerendi cæstus. Non stupet Æneas; sed quasi aliud agens nullo cœstus illos negotio vertit, & huc illuc immensa illa volumina, ferro plumboquè grauia attollit & versat.

Et pondus & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.

Landinus expendit. *Versat; ad laudem scilicet Æneæ obiter dictum. Nam dum reliqui stupebant, ipse manibus sine negotio huc & illuc vertebat.* Nota illud. *Obiter dictum*; nam in Principe *Coporis robur* virtus Princeps non est.

27 Quæ sincera oratio? quæ ficta?

Ea emittitur pectore Oratio, quæ vera est, quaque ea, quæ sentimus, proferimus. Talis illa Entelli fuit ait Landinus, quâ, sine fictione, quid sentiret, exprompsit.

Tum senior tales referebat pectore voces.

Vt ea diceret (inquit interpres) *quæ sentiret, non quæ fingeret.* Hoc est voces pectore efferre; quæ verò proferuntur ore tantum, proferuntur ex dolo.

28 Inuidiæ morbo senecta laborat.

Approbat Donatus epitheton illud, quod prudentissimus Poëta attribuit senectuti, cum ad Acestem Entellus.

Æmula nec dum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

Benè posuit Æmulam senectutem (verba Donati) *quia cum nihil potest, videtur inuidere virtuti.*

29 Pietas est alienæ saluti viteque consulere.

Noluit Æneas Daretem Troianum cum Entelli cœstibus certamen adire, quòd timeret valde Daretis vitæ, si illa cœstuum immanitate cum Entello luctaretur. Hic Virgilius Pium vocat Æneam, Entelli ore.

Sed si nostra Dares hæc Troius arma recusat
Idquè pio sedet Æneæ.

Pulchrè

Pulchrè Donatus. *Necessariò hoc loco Pium dixit Æneam, quia de salute hominis agebatur.* Pietas enim est alienę saluti, & vitæ cõsulere.

30 Pares iussit Æneas proferri cœstus, & pugnam æquari. Tunc prudentissimè Maro *Patrem* dicit Æneam, Iudex æquus verè dicendus est Pater.

Tunc satus Anchisâ cœstus Pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis

Nam verè Pater dicendus est, qui æquâ omnes trutinat lance. Præclarè Donat. *Patrem dixit Æneam, paternum habentem iudicium, hoc est, æquale, & iustum.*

31 Cum Entelli sæuientis aduersus Daretem iras sedat Æneas, non illum Poëta Regem, Ducem, Heroëm &c. sed *Patrem* appellat. Qui rixas pacat, verè Pater est.

Tum Pater Æneas procedere longius iras,
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis.

Verè Pater Æneas, (inquit Donatus,) *qui finem certamini dedit, nec passus est vlterius progredi sæuientem.* Discordias componere, munus est Patris.

32 Dareti victo audi quid dicat Æneas, Ille, cui Deus fauet, quasi alter est Deus.

Non vires alias, conuersaquè numina sentis?
Cede Deo.

Non Entelli vires expertus es in Entello, non hominis illas, sed Numinis. Cede ergo Numini, cede Deo; nam ille, cui fauet Deus, instar est Dei. Ascensius, *Cede Deo, id est, da locum Numini, quod nunc in Entello est.* Et Donatus, *Cede, inquit, Deo, non homini. Sic ipse Æneas & in sua causa prosequutus est, vt in fine secundi libri Dijs cessisse potius, quàm Græcis diceret.* Vtpotè qui Deorum auxilio iuuabantur.

33 In verbulo illo *Infelix*, quo vsus est in Daretem Æneas, notat benè Donatus. *Infelix est, qui secundis rebus modum nescit imponere. Quod contigit in ipsius Daretis causa. Cum enim superbiâ intolerandâ ferretur, & existimaret se inuictum, atque vniuersis esset terrori, sic fortiorem reperit, sic discrimen propriæ salutis inuenit.* Superbia ipsa sibi propriæ salutis discrimẽ inuenit.

34 A violentis Entelli manibus Daretem eripuit Æneas, Ille tibi pater est, qui graui te à discrimine vindicat.

Fessumquè Dareta
Eripuit.

Præsentissimum adijt ille vitæ discrimen; quem socij

Genua ægra trahentem
Iactantémquè vtroque caput, crassumquè cruorem
Ore reiectantem, mixtosquè in sanguine dentes,
Ducunt ad naues.

In verbo *Eripuit*, grauissimum fuisse periculum, notat Donatus. *Necessariò verbo* (inquit) *vsus est, dicens, Eripuit. Vt ostenderet magnam interuenisse violentiam, & periculum salutis immane. Ipso vsus est*, (addit deinde) *ex persona Palinuri*, qui apud inferos tenebatur, qui sic ad Æneam,

Eripe me his inuicte malis

Grauiſſimum ergo periculum fuit, vnde Æneas Daretem eripuit. Tunc aduertas velim à Virgilio Æneam vocatum eſſe *Patrem.*

Tum pater Æneas procedere longiùs iras,
Et ſæuire animis Entellum haud paſſus acerbis.

Quando *Patris* nomine iuſtiùs appellandus Æneas eſt, quàm cum litem dirimit, & à vitæ diſcrimine hominem vendicat?

35 Iuſtiſſimè Daretem reprehendit Æneas, quòd cum Entello manus temerè conſecraſſet; ſed vide qua verborum lenitate reprehendat, ne lædatur inferior. *Infelix*, inquit, *Cede Deo.* Non illum vocat *imbellem, inertem, ignauum*; aut alia turpi voce illius lædit honorem. Quod expendit Seruius. *Conſolatio eſt. Vnde non dicit imbellis, vt fortunæ videatur eſſe, quòd victus eſt.* Miſcuit in tam iuſta reprehenſione ſolatium, & dulci temperauit acre, acri dulce præponens, nam ſequitur,

Vel iuſtâ in obiurgatione temperet ſibi prudens Superior, ne lædatur inferior.

Quæ tanta animum dementia cepit?

Prudentiæ idea in hoc nobis Superiore proponitur. Imitare tu quiſquis Superior es.

36 De exterorum præclarè geſtis detrahere ſæpè ſolemus; & quod Hiſpanus fortiter geſſit, vel deprimit Gallus, vel minuit Italus, vel cum aliis dicit commune Burgundus. Egregiam Entellus à Darete palmam adeptus eſt, Siculus à Troiano; vide verò quantum illam Troianus Æneas & minuat, & deprimat. Nec *victum* Daretem vocat, ſed *infelicem*; nec *victorem* Entellum, ſed Deorum fultum auxilio inſultaſſe Dareti, & palmam reportaſſe. Sic ad Troianum, Troianus;

De exterorum præclarè geſtis ſæpè detrahimus.

Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Cede Deo.

Parùm tibi Fortuna, illi multùm Superi fauerunt: proinde Infelix non homini cede, ſed Deo. Ingenioſè Donatus. *Dicendo, Cede Deo, minuere voluit victoris hominis ſiculi laudem. Errant igitur qui putant Æneam Deum dixiſſe Entellum, cuius victoriam deprimere voluit.*

37 Compar quæſitus eſt Dareti luctator, nec facilè inuentus; illum enim quis non horreret, qui

Vir obediens inſtar eſt Dei.

Caput altum in prælia tollit,
Oſtenditquè humeros latos, alternaquè iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras?

[illegible]culum in arenam Entellum vocat Aceſtes; ſenem, ſed proh Deus! crudum, induſtrium, fortem, qui Daretis retardare ſuperbiam poſſet, vel ſanè comprimere. Iubet Rex, Entellus obſequitur
Nec dona moror, inquit; Prodit in medium, actutùm, ſine mora;

Ingens mediâ conſiſtit arenâ.

Venitur ad manus, acris pugna conſeritur; Dares contunditur, cruentatur,

cruentatur diſcerpitur.

Tum pater Æneas procedere longius iras,
Et ſauire animis Entellum haud paſſus acerbis,

Finem impoſuit pugnæ. Dein conuerſus ad victum Troianum,

Infelix, quæ tanta animum dementia capit?
Cede Deo.

Aliqui apud Donatum ſentiunt Entellum vocari Deum ab Ænea, & idem eſſe *Cede Deo*, atque *Cede Entello*: quam ille ſententiam non approbat. *Errant* (inquit) *qui putant Entellum Deum ab Ænea vocari; ſed Deum dicit, fauens illi Numen.* Ego vero, quia in obedientis laudem maximè quadrat, primam interpretationem volens amplector; Vt vir obediens inſtar ſit Dei. Conſule lib. 8. n. 24.

38 Dares hic *Caput altum in prælia tollit*, cum multum ſibi arrogans & inflatis buccis verba ſpumantia trutinans (vt Hieronymus loquitur) prodit in medium. Nunc verò vide qualem illum remittat Entellus;

In quo quis peccat punitur interdum.

Genua ægra trahentem,
Iactantémquè vtroquè caput.

Vbi ingenioſè Donatus. *Duxerunt amici ſui Darem afflictum, trahentem genua, tanquam morbo ægra, quæ paulo ante fortia fuerant: & deiectis nunc huc, nunc in aliam partem ceruicibus, quas in cœlum ſuperbia paulo antè ferebat, & faſtus.* Luat capite, quod peccauit & capite. Vide locum hunc fuſiùs tractatum lib. 2. ibi *Ruit altò à culmine Troia.* num. 41. Hîc inſerendum eſt, Epigramma Tarquinij noſtri lib. 3. Epig. 28. *Improbe amor* &c. ex codice 27. n. 16.

39 Cum Daretem Socij, ab Entello pulſatum grauiter, ducunt ad naues, auſi non ſunt propoſitum victo præmium petere; puduit illos poſt ſocij lapſum prætij mentionem facere. Vocantur ergo ab Ænea, vt munus acciperent.

Pudet accipere dona poſt lapsū.

Galeámquè enſemquè vocati
Accipiunt.

Expendit Donatus vocem *Vocati. Vocati acceperunt præmium Dareti, quoniam vltrò victi hominis ſortem puduit poſtulare.* Et addit. *Quanto iſtud cum dolore amicorum Daretis factum eſt, ducere hominem victum, debilem trahere, accipere ludibrioſum donum.* Aptum *dono* adiecit epitheton Donatus.

40 Naſcimbænus & victoris & victi expendens præmia, (galeam & enſem victi; palmam & taurum victoris; nam qui victum trahebant,

Ipſa ſibi virtus & pretium & præmiū eſt.

Galeamquè enſemquè vocati
Accipiunt; palmam Entello, taurúmquè relinquunt.)

Ita ſubſcribit. *Victum Dareta luculentiore auget munere, quàm victorem Entellum. Nam galea & enſis viro forti conueniunt magis, quàm bos, qui datur Entello. Id non abſque iudicio factum fuiſſe exiſtimare*

mare decet. Vt scilicet ostenderet Æneas, Virtutem sibi ipsam & pretium & præmium esse. Hinc est, quod leges supplicia criminibus proponunt, virtutibus verò nihil impartiunt.

41 Multũ valet in obedientia iubentis authoritas.

Miratur Donatus in obedientia Entelli celeritatem; in medio irarum æstu, cum

Densis ictibus heros

Creber, vtraquè manu pulsat, versatquè Dareta,

Dirimentem certamen, statim audit Æneam: Æneæ voce diremptum est prælium.

Dixit, & prælia voce diremit.

Reddit causam Donatus huius obsequentissimæ obedientiæ. *Quantum potuit,* (inquit) *iubentis authoritas! solà diremptum est voce, quod magno incendio irascentis, & furore flammauerat.* O bene!

42 Vox quæuis Superioris nostras sistere debet actiones.

Martiali obedientiæ nostra cedere togata non debet. Vox quæuis Superioris nostras sistere debet actiones, & ad nutũ perducere.

Dixitquè, & prælia voce diremit.

Princeps, & Superior Æneas, Huc reuocanda sunt verba Donati num. præcedenti.

43 Vbi victor fuisti, ibi secundò tentare certamen extimescis.

Arrogantiam Daretis compressit Entellus, spectantibus & Siculis, & Troianis: Quid tum victor?

Hìc victor cæstus, artémquè repono.

Notat Donatus vocem *Hìc*. Quasi dicat; Hic vbi victor tanta omnium acclamatione laudatus sum, certamen vltrà tentare non debeo, ne quam assequutus sum gloriam, aut minuam, aut corrumpam. *Quo loco* (verba Donati) *dedi tale mea virtutis exemplum, ibi porro & artem, & cæstus, studiumquè certandi.* Et addit. *Quod dignum spectaculum prouenisset, congruum ei visum est ab ipsa se artis professione dissoluere, vel maximè, quia victor steterat.* Et Ascensius. *Ibi cæstus deposuit Entellus cum gloria, nunquam ampliùs in pugnam concessurus.*

44 Facilè placatur offensa mater.

Suspendit ab alto malo columbam Æneas, quò sagittas intenderent Hippocoon, Mnestheus, Eurytion, Acestes.

Malum de naue Seresti

Erigit, & volucrem traiecto fune columbam,

Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.

Iniuriam Veneri videtur inferre, cui auis hæc consecrata est, quæ ferro violanda proponitur. Sed illud prudens præuidit Princeps, quãcunque aliã suspendisset auem, Numinis alicuius offensionem (nam singulæ aues Numinibus sunt consecratæ) effugere se non posse; maternam ergo filius suspendit volucrem, (quam fixit Eurytion, & ferro violauit,

Iam vacuo latam cælo speculatus, & alis

Plaudentem nigrã figit sub nube columbam.)

Quia Mater placari facilè posset. Benè Seruius. *Inanis est vituperatio*

ratio Æneæ, quòd suspenderit auem maternam; nam quamcumquè auem suspendisset, in hanc incideret vituperationem. Nulla enim auis caret consecratione, quia singulæ aues Numinibus sunt consecratæ. Vrbanus dicit, Matrem citiùs potuisse placare. Pulchrè quidem!

Sæpe id experientiâ compertum est, inde nostram iniuriam prouenire, vnde alienam conamur. Emissa sagitta plaudentem alis columbam traiecit, quæ 45 Cum alij iniuriam affers, sæpè tibi infers.

Decidit exanimis, vitámquè reliquit in astris.

Sed expendas velim; cum liberum columbæ volatum sagitta intercipit, deformat & suum, inde iniuriam accipit, vnde infert. Auis alis plaudentibus ferebatur, sagitta itidem ferebatur & alis; hæc illam impedit pectore, impeditur & illa, nam columba

Fixamquè refert delapsa sagittam.

Vtriusque volatus ad terram depressus est, & quæ iniuriam intulit, ipsa sibi simul parauit iniuriam. Fortaßè Donati mens hæc. *Exanimis* (inquit) *lapsa sagittam, quam exceperas, reddidit. Non dixit, sagitta reuocauit columbam, sed quod erat pulchrius, ales ipsam sagittam reuocauit.*

Mirè Virgilius finxit Acestem Regem (cum sagittandi arte, & gloriâ valeret præ ceteris, qui ad certandum arcu concurrerant) non sagittam dispulisse ad cruorem aut vulnera, sed ad auras, vt sonantem solummodò arcum ostentaret. 46 Si quando Superior sagittas emittat, innoxias emittat.

Ætherias telum contorsit in auras,

Ostentans artem pariter, arcúmquè sonantem.

Arcum displosit, sed sonantem; sagittam contorsit, sed in auras; non direxit in vulnera, sed sonitum edidit, aurasquè percussit. Quid ita Acestes, cum sagittarij reliqui ictum conarentur, & vulnus intenderent? Audi documentum. Rex, atquè ideò Superior erat Acestes, qui si quando velit sagittas emittere, arcumquè tractare, innoxiæ illæ sint, hic sonitum edat; Sonet, intonet Superior quidem, certè non vulneret. Inferior, esto, sagittet, vt vulneret; Superiorem dedecet sagitta cruentans: satis est si artem ostentet, arcúmquè sonantem. Diuinum hoc ingenium est, vt qui sagittantur, *fugiant à facie arcus*, & resipiscant; non cruententur & pereant. Hanc Claudianus prudentissimo Stiliconi virtutem attribuit, lib. 2. de laud. Stilic. Sonet ille, non vulneret.

Contentus solo terrore coërces.
Ætherij patris exemplo: qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula differt
In scopulos, & monstra maris; nostrique cruoris
Parcus, in Ætais exercet fulmina syluis.

Quam Superiorum in sagittando peritiam & cœlum probat, & homines venerantur. Sagitta enim Acestis innoxia liquidis excepta nubibus, arsit, & viam flammis signauit, instar stellæ fulgore currêtis.

Namquè volans liquidis in nubibus arsit arundo,

Signauitque viam flammis.

Vbi Donatus ad rem meam. *Volans arundo arsit inter liquidas nubes, hoc est, mundas; cum neque fulgura extarent, & aëris esset nulla turbatio.* En cœli probationem. Venerantur, & æstimant homines; nam Æneas

Latum complexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur.
Summe pater (nam te voluit Rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exortem ducere honorem)
Ipsius Anchisæ longaui hoc munus habebis,
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cysseus
Ferre sui dederat monumentum, & pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten.

Verè Pater, qui suos nō vulnerat, sed monet.

Patrem vocat illum, cuius sagitta in auras emissa est, cuius arcus insonuit innoxius. Verè Patris arcus hic sonans, verè Patris hoc telum. Pulchrè Donatus. *In Patris nomine religionem plenam præcipuæ charitatis expressit. Considerato enim, quod patribus debetur, inueniemus, quid in hac persona intelligere debeamus. Patrem enim non solùm propter ætatem dixit, verùm etiam religionis causa; cuius affectum nec mors abolere potest, neque viuendi finis extinguere.* Huiusmodi enim superiores quis non amet vt patres? Vulnerantes verò tenere & cruentantes quis non vt victricos oderit, metuat vt hostes? Recentiorum vt plurimùm hæc hostilitas est ex insolentia regendi; expertorum prudens illa maturitas. Qui illos sustinent, miseri! quibus hi contigerunt, felicissimi!

47 Cui filium credis tuū, & tua potes credere arcana.

Epithidi Æneas filium crediderat educandum Ascanium; quare huiusmodi homini & secreta credit, & arcana cōmunicat. Cui enim filij educationem commiserat, quid non & arcana committat?

At pater Æneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitémquè impubis Iuli,
Epythidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem.

Vbi præclarè Donatus. *Facilè consiliorum suorum secreta fundebat, cui securus spem filij commiserat.*

48 Corona & labor eādē voce efferuntur.

Notatu dignum est pro *Galeæ* voce nomen *Corona* à Virgilio positum esse, ex interpretatione Seruiana;

Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ,

Corona (inquit Seruius) *id est, galea. Et sermone Homeri vsus est, nam Galea στέφανον dixit. Et re vera corona non potest esse, cum sequatur,*

Galeam ante pedes proiecit inanem.

Sine labore corona non est.

Et lib. 9. Æneid. vt *laborem* significaret, *Galeam* posuit; vbi sic Numanus Remulus, ad Troianos Italus,

Canitiem

Canitiem Galeâ premimus.

Vbi Donatus, *Tantum valet laborandi vsus, vt nec ipsi senect uti parcamus.* Eodem ergo nomine & *corona* & *labor* exprimitur; vt videamus, tantâ hæc esse germanitate coniuncta, vt vel eâdem voce significentur, qui eodem semper partu funduntur, & vnum sine altero esse non possit.

Rogat Donatus, quare Æneas, cum Epithidem vocat, qui puerorum agmen, ad Troianos paratum ludos, faciat educi, illius fatur ad aurem. 49 Quæ insperata, & inopinata veniũt ad spectantium oculos, gratiora sunt.

Epithidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem.

Respondet verò. *Secretò Æneas præceperat, quod fieri deberet, cum Epithidem mittit: gratiora enim sunt, quæ ad spectantium oculos insperata atque inopinata perueniunt.*

Sidonium equum Regina Dido dono dedit Ascanio, cum se coniugem putabat Æneæ. Hoc ergo, vt Troiam luderet, 50 Nouerca erga priuignum benefica, rata auis.

Extremus, formâque ante omnes pulcher Iulus,
Sidonio est inuectus equo, quem Candida Dido
Esse sui dederat monimentum, & pignus amoris.

Expendit pulchrè Donatus vocem illam *Candida. Candidam Didonē dixit, animo potiùs quàm corpore; quæ cum se patris eius consideraret vxorem, non eum vt priuignum habuit, sed dilexit vt filium; vsque adeò, vt affectum, quem retinebat mente, donis & muneribus comprobaret; haberetquè Ascanius eius amoris monimentum, quæ potuit & odisse.*

Bona illa Ascensij notula est. Ludorum celebrationem statim nauium conflagratio subsequitur. Mutata fortuna est, & risus est conuersus in luctum. 51 Extrema gaudij luctus occupat.

Fortuna fidem mutata nouauit.

Post ludorum celebrationem (ait Ascensius) *quam cum voluptate peregerant, subsequitur classis incendium, lachrymabilis discessus, infelix nauigatio, Palinuri submersio; quia ferè extremum gaudij luctus occupat.*

Quàm est vindictæ affectus moræ impatiens, præsertim in fœmina! Cum Iuno Troianis infensa (nam 52 Vindictæ affectus moræ impatiens, præsertim in fœmina.

Manet altâ mente repostum
Iudicium Paridis, spretæquè iniuria formæ)

Illorum conflagrationem nauium meditabatur,

Irim de cœlo misit Saturnia Iuno;

Cumquè Iris præpetibus tenderet alis *Iliacam ad classem* vt Iunonia consilia exequeretur, tardam tamen, ait Virgilius, visum esse Iunoni; quare illius velocitati, vindictæ auidam, ventos etiam aspirasse commemorat;

Ventosquè aspirat eunti.

Vbi acutè Donatus. *Iris naturâ suâ velox est; hinc quò properatior faceret iussa, ventos addidit Iuno: vetus enim & pertinax inimica.*

Necdum antiquum exsaturata dolorem.

Vbiquè Iuno Virgilio displicet, quia per tot annos, perindéquè vetus inimica tanquam nouas inimicitias gerebat. Nondum, inquit, saturata; tanquam si dicat, Quando id fieret, si tot pœnis, ac tantis temporibus expleri nequiuit?

53 Laudabilis illa obedientia est, quæ nullas iussis moras innectit. Talis illa Iris obedientia fuit, quam

Laudabilis illa obediētia est, quæ nullas iussis moras innectit.

De cœlo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem.

Vix Iris iussa est, cum iussis obtemperat; imò tanta illius fuit in obediendo celeritas, vt sine mora disparuerit, & nulli sit visa post iussum. Sic nonnulli apud Seruium, ingeniosè sanè, explicant Maronem hîc,

Illa viam celerans per mille coloribus arcum
Nulli visa, cito decurrit tramite Virgo.

Aliqui (ait Seruius) *celeritatis esse volunt, Nulli visa.* Aptissimè & prudentissimè volunt. Tanta enim Iris celeritate iussa Iunonis est executa, vt *Nulli visa fuerit*; quod hispanè dicimus, *Con tanta presteza, que ni fue oyda ni vista.* Cœlestis planè obedientia hæc, & à cœlesti exhibita. Nota obiter, non vacare in Poëta nostro voces in hoc carmine,

Virgo publicum sola sedulò fugiat.

Nulli visa, cito decurrit tramite Virgo.

Ideò nulli visa, cito decurrit tramite, quia Virgo est, quam decet solam vel immorari publicè, vel alienis aspectibus temerè subijci. Decurrat ergo, & cito tramite ita decurrat, vt ab vllo videri sola non possit. Donatus. *Vsque adeò celeritas fuit, vt nullus Virginem vidisset venientem.* Salutare documentum est.

54 Præclarè notat Nascimbænus ætatem & nobilitatem mirum in modum ad persuasionem conducere. Quare Iris vt Troianis fœminis nauium incendium persuaderet, Beroēm induta est, quæ longæua & nobilis;

Ætas, & nobilitas maximè ad persuasionē conducunt.

Fit Beroë Ismarij coniux longæua Dorycli.

Non infima mulieris (ait hic interpres) *sed matrona nobilis, & longæua faciem, formámquè suscipit; vt nobilitas ætati coniuncta maiorem orationi auctoritatem afferret.* Vbi illud addit. *Iris mulieris vultum induit, quia fœminas alloquutura est: aptior interdum est apud fœminas fœminæ persuasio, quàm sapientis viri.* Quod sanè verum est.

Apud fœminas potior fœminæ persuasio quā viri.

55 Aliam adducit rationem IESVITA Pontanus, quare Iris longæuæ vultum & faciem induerit; qui alicui vt fucum faciant, aptiores sunt anus. *Probè obseruatum est* (inquit) *à viris doctis, Deos, Deasquè cum vel nollent agnosci, vel alicui fucum facere vellent, anus formam atque personam induere apud Poëtas consueße.*

Vt fucum faciant, aptiores anus sunt.

Quem

Quemadmodum isto loco Iris, à Iunone ad Troianas fœminas deludendas missa facit. In.7. scriptum habes de Furia ad Turnum in Æneam exacerbandum ab eadem Iunone destinata, in hunc modum;

Alecto toruam faciem, & furialia membra
Exuit; in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat; induit albos
Cum vitta crines; tum ramum innectit oliuæ,
Fit Calybe Iunonis anus, templiquè sacerdos;
Et iuueni ante oculos his se cum vocibus offert.

Apud Ouidium Iuno, ipsamet in anum transformata Semelen decipit, lib.3. Metamorph. Et lib.6. ad Arachnen textricem Pallas anum induta venit, eique dat consilium. Vertumnus lib.4.

Pictâ redimitus tempora mitrâ
Innitens baculo, positis per tempora canis.

Anum assimilat; nempè vt Pomonam in frudem impellat. Hæc Pontan.

Dolebat maximè Æneas conflagratione nauium ereptas sibi & Troianis spes esse Italiâ potiundi. Quem vt dolorem ostenderet, cæpit. 56

Grauis animo dolor inuritur, cũ spes maximæ intercipiuntur, & labant.

Humeris abscindere vestem.

Aliqui putant apud Seruium damnum quatuor nauium ita dolenter Æneam tulisse, vt præ animi sensu vestem disciderit. Sed melius alij, dolorem illum propter interceptas & cassas spes, absumptis incendio nauigijs, fuisse. Nam Ascanius suprà ad Troianas, qui classem incenderant,

Heu miseræ ciues! non hostem, inimicaquè castra
Argiuum, vestras spes vritis.

Vestras, ait, *vritis spes.* Audi Seruium. *Notant quidam, quòd Æneas damnum quatuor nauium impatienter doleat. Sed magis illud considerandum est, quod ait suprà Ascanius, Vestras spes vritis: vt damnũ non doleat, sed spẽ nauigationis ereptã.* Potior enim erat Æneæ maxima spes, quã quæuis nauium & naualium possessio. Ita sensere Excellẽtissimi & Illustrissimi Benauentani Comites, qui in nobilissimo suo stemmate volantẽ vulturem superpositum esse, hac subscriptione M A S V A L E, Paradoxum probantes, *Mas vale buytre volando, que paxaro en mano.* Hoc est, Potiorem esse maximam spem, quam possessionem mediocrem.

Apud mortales heu! quàm labores in pretio non sunt! quàm vilescunt, & sordent! & cœlo delapsus Anchises est, qui pretiosum hoc & gloriosum nomen filio attribuit Æneæ 57

Laborum pretium cœlestes agnoscunt, & prædicant.

Nate Iliacis exercite fatis.

Non *Regem* appellat, aut *Deã natum*, quæ eximia & ipsa nomina sunt: sed à laboribus sortitum nomen vsurpat, *Nate exercite fatis Iliacis.* Cælestes enim laborum pretium agnoscunt & prædicant

è cœlo, inquam; tunc delapſus Anchiſes,

Viſa dehinc cœlo facies delapſa Parentis
Anchiſæ.

Ipſe deinde Anchiſes ad filium

Imperio Iouis huc venio.

Pul cherrimè Donatus. *De cælo dixit Poëta viſum Anchiſen, qui tranſlatus ad ſuperos, veniſſe pro nuntio, qui pietatem debitam, & laborum gloriam teſtaretur.* Hæc ex Paraphraſi Donati, quæ ille fuſiùs. Hæc miracula cœlum oſtentet interdum, vt laborum pretium & honor dignoſcatur in terris.

58 Angebatur Æneas, & nunc huc, nunc illuc ingentes mutabat curas, quod potiſſimum conſilium, poſt nauium conflagrationem, arriperet, animo voluens. Sed in hac æſtuatione Nautes bonus conſultor allucet, cuius hæc ſententia;

Boni conſultoris voce, à Deo ſæpè Superior inſtruitur.

Longeuoſquè ſenes, & feſſas æquore matres,
Et quidquid tecum inualidum, metuenſquè peridi eſt,
Delige, & his habeant terris ſine mœnia feſſi.

Lectos verò iuuenes, & fortiſſima corda defer in Italiam. Viſa hæc Æneæ durior ſententia eſt, quam vtpotè pius dubitabat amplecti. Verùm illam approbat cælum; nam intempeſtæ noctis ſilentio ecce tibi cœlo lapſus Anchiſes, qui ita ad Æneam præfatus,

Imperio Iouis huc venio

Addit deinde. *Conſilijs pare, quæ nunc pulcherrima Nautes Dat ſenior*

Vbi ad rem meam Donatus. *Ecce & ipſum Nautem vult non humanâ voluntate, ſed iubentis Iouis authoritate directum.* Directus ergo bonus à Ioue conſultor, qui ſuperiorem inſtrueret. Illius ore Iouis oraculum prolatum eſt.

59 Hinc aliud cape documentum. Quiſquis ſuperior prudentiſſimus & oculatiſſimus es, ſi alios non conſulas, lapſum timere debes; felicem euentum, ſi conſulas. Approbat enim cœlum & fortunat Nautis conſilium; & conſultorum placita ſæpè *non humana voluntate* (vt inquit Donatus) *ſed iubentis Dei authoritate*, in Superioris ſimul & boni communis commoda *diriguntur.*

Prudentiſſimus quiſque Superior conſulat alios ſi vult ſcopum attingere.

Sententiæ Nautis ſeueritatem, ne crudelitatem dicam, probat Anchiſes à Ioue miſſus, nam ipſe,

60 *Imperio Iouis huc venio.*

Senſerat Nautes ineptos bello, & armis, ſenes, fœminas, pueros, in Sicilia relinquẽdos, deligẽdos iuuenes & fortiſſima corda in Italiã.

Quæ cœlũ ſeueriora iubet & iuſta, blandè diſſimulat.

Longanoſquè ſenes &c. vt ſup. num. 58.

Renuebat Æneas tantum ſuis dolorem afferre: ſed hortatur Anchiſes,

Conſilijs pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior, lectos iuuenes, fortiſſima corda
Defer in Italiam.

Animad-

Animadvertit ingeniosè Donatus in seuerioris huius sententiæ probatione blandum latêre cœli præceptum, & dissimulari rigorem. Quînam? Eos tantum dicit Anchises, qui ferendi sunt; illos tacet, qui relinquendi. *Defer,* inquit, *in Italiam lectos iuuenes, & corda fortissima:* de relinquendis nec verbum. Quod seuerius ast, tacet; quod fauorabilius est, profert. Audi mentem & verba Donati. *Iuuentus ad bellicum certamen eligitur in quibus corporis habitudo, & animus liber ab omni terrore. Addidit Pater ad consilium Nauta, quod erat pro causa commodo necessarium; nec tamen eadem monuit, quæ Nautes: ille enim enumerauit qui essent relinquendi, hic de ipsa parte conticuit, & dixit, quales essent ducendi. Si consideremus tamen horum mentem, vnum atquè idem inuenientur dedisse consilium; qui enim persuasit relinquendos imbelles, vitiosos, & timidos, hoc fecit, vt fores solum ducerentur. Rursum qui dixit lectos iuuenes esse deliquendos, & solos ad Italiam ducendos, procul dubio quid sensisset ostendit.* Eandem ergo vterque seueritatem tractauit, persuasit eandem: discrimen illud fuit, quod nimirum Nautes, homo quippe, suasit apertam; Anchises verò, vt pote à Ioue cœlo lapsus, occultam. Imitare tu quisquis superior es, qui cœlestem aliquam pectore scintillam foues. A mortalibus seueriora iubentur apertè, à cœlestibus innuuntur occultè.

Quamuis facilè vt plurimùm blandumquè probetur imperium, vtpotè quod diuinæ sit illud magis administrationi conforme; interdum tamen seueriora in subditos approbat cœlum; vt videre est in sententia seueriori senioris nautæ, quam amplectendam iussit Anchises. (De qua num. 58.) 61 Seueriora in subditos cœlū probat interdum.

Consilijs pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior.

Rigidè Nautes sensit, sed non humana ille voluntate, verùm diuina est authoritate directus; quod notauit Donatus. *Ecce & ipsum Nautem vult non humana voluntate, sed iubentis Iouis authoritate directum.*

Nequè illud te documentum prætereat. Vix tibi in subditos distringendum est ferrū, aut contrahendum supercilium absquè cœlesti probationis significatione: namquè illi tractandi sunt molliter suauiterquè monendi. Suspecti tibi rigores sint, quin iubeantur à cœlo. Noluit illos exequi Æneas, quamuis consilium Nautis vrgebat; aliam quærebat viam, quâ suis mederi salubriter possit. 62 Vix in subditos exercenda seueritas est, absquè cœlesti probationis significatione.

Tum vero in curas animus deducitur omnes.

Quoad vsquè monitio illum cœlestis instruxit.

Consilijs pare &c.

Post laborem felicitas gratior venit, quàm si æqualis & pura decurrat. Huiusmodi futuram felicitatem Anchises pater filio prænuntiat Æneæ. Eris, inquit, felicissimus, quia obueniet tibi post discrimina quies, post agonem victoria, post certamina triumphus, 63 Obsonium felicitatis est labor.

 mellea

mellca post fellea, post cruenta bella, amica pax, post labores imperia. Non potior esset æqualis puraquè felicitas? nequaquam verò. Obsonium enim felicitatis est labor. Audi verba Anchisis.

Gens dura atquè aspera cultu
Debellanda tibi Latio est.

Dura præmittit, *Gens dura atquè aspera cultu*; labores præponit, discrimina præmonet, fellea propinat. Hìc suspendenda pronuntiatio est, deinde suauia proferenda, *Debellanda tibi Latio est*; blanda subsequuntur, victoria promittitur, triumphus offertur, pax, imperiumquè subijcitur. Acutè Donatus. *Dura, naturæ est; aspera, morum. In expressione naturæ Italæ gentis, & morum, nonnihil potuit esse terroris; sed reficit fortiùs audientem, dicendo, Debellanda tibi est. Ostendit quippe futuram esse victoriam.* Fellea priùs obijcit gustui, vt filius dulcia deinde & alacriùs accipiat, & gustet auidiùs.

64 Quæcũquè amor adit obstacula. Paterno affectu Æneam filium alloquebatur Anchises, cum ecce veniente aurorâ compulsus est, & sermonem abrùmpere, & filium deserere: (*Non enim finitur mortuis loqui*, (inquit Donatus,) *cum Sol fuerit exortus*)

Iamquè vale, torquet medios nox humida cursus,
Et me sæuus equis Oriens adflauit anhelis.

Odit auroram Amoris obtaculum, & *sæuam* vocat Donatus. pulchrè. *Sæuum Orientem benè posuit ex persona Patris, quoniam cœli cursus inuitum separabat à filio.*

65 Diuina sunt iussa celeriter exequẽda. Vbi primùm cognouit Æneas, ea, quæ à Patre monebantur, ex Iouis voluntate manare, celeriter executioni mandauit,

Extemplò socios, primumquè accersit Acestem,
Et Iouis imperium, & chari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo sententia surgat.

Sine causa irasci furere est. Expendit verborum & rerum celeritatem in his carminibus Donatus. *Magna*, inquit, *narrandi cæleritas. Totum strictim transijt. Quid id esse potuit, nisi quod superiora mandata maximè vrgebant?* Moras abigunt diuina præcepta.

66 Qui innocentem opprimit, lethargum patitur. Cum ait venus Iunonem sine causa & temerè irasci, *Furentem* vocat.

Tanti causam sciat illa furoris.

Ella debede saber las causas de su furor, que aca no las alcançamos, ni sentimos. Furoris dixit (ait Donatus) *non doloris: sine ratione quippe irasci, furere est. Caterùm dolor illic esse potest vbi inest iusta commotio.*

67 Cœlum in ipsâ seueritate clemẽtiam ostendit. Vide quantam cœlestes ostendant in ipsâ iustâ seueritate Clementiam! Periuri Laomedontis Troiæ Regis perfidiâ commotus Neptunus euertendæ Troiæ consilium inierat. Sed quos euertere

se

ſe velle dixit? non homines, ſed *muros*; neque ſuæ cauſam indignationis in Troianos, ſed in muros reijcit. Peccauerat Rex, Troianæ gentis caput & Princeps; muri nihil peccauerant. Quid ergo? Voluit (Deus quippe) in ipſa iuſta ſeueritate Clementiam oſtendere. Seuerum ſanè decretum fuit rigidumquè conſilium ſed ſi, quod euertendum eſt, conſideres, magnâ id comperies eſſe cum clementia coniunctum.

Cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periura mœnia Troiæ.

Non nominat, qui culpam commiſit, Laomedontem, nec Troianos accuſat; nominat *muros*, & materialem vrbem, quorum illi terminis continebantur, & his tantùm minatur exitium. Cum ipſâ ſuâ inimicitiarum ſignificatione coniunctum eſt beneficium; iram oſtentat quam temperat lenitate. Acutè Donatus. *Admiranda loquutio! in quâ ſe confitetur inimicum, & eodem tempore beneficium præſtitiſſe.*

Summa laus illa fuit, quam Neptunus, cum Venere loquens attribuit Æneæ. Quo tempore (inquit) omnibus eram Troianis offenſus, vnico ſemper ira mea pepercit Æneæ; illi faui, illum foui, & à præſenti vitæ diſcrimine cum Achille congredientem eripui. 68 Summa laus eſt inter malos vnum te à cœlo foueri.

Pelidæ tunc ego forti.
Congreſſum Æneam, nec Dijs, nec viribus æquis
Nube cauâ eripui, cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periura mœnia Troiæ.

Vnus ille, inter periurij labe damnatos, mihi curæ fuit; dignus quippe, quem cœleſtis cura tutaretur. Pulchrè Donatus, *Cum omnes Troianos cum ipsâ vrbe volebat extinctos, quam grande beneficium memoratur, cum ſolus Æneas mereri potuit veniam, irato eo, qui cunctos ſimul volebat extinguere.*

Expendit ingenioſè Donatus verba Neptuni numero præcedenti laudata. Itane verò Neptune, vt tuâ fabricatos dexterâ muros velis euertere? & *ab imo* velis? tam præclarum opus tuum? Iuſtiſſimam ait Neptunum habuiſſe cauſam, imò & neceſſariam, vt omnimodæ conſilium euerſionis iniret. Ipſe illam Neptunus apertè proponit; quæ illa? Troiæ Regis periurium. Interuenit periurium, quo leſi ſunt Dij, erga muros ergo meos mihi proculcetur affectus, peſſundetur vtilitas, & meis evertātur manibus in vltionem iuſtam, qui meis etiam manibus erecti & fabricati ſunt muri. *Magnus affectus eſt iuxtà ea, quæ manu noſtrâ proueniunt*; (expendit Donatus) *magnus quoquè eſt dolor, ſi noſtrâ manu vertantur; ſed iſte dixit cauſam interueniſſe periurij, quæ omnem affectum conſtructionis abruperat.* 69 Cum intervenit cœli offenſa, omnis noſter eſt vel affectus vel vtilitas proculcanda.

 Pulchrè.

Pulchrè & acutè !

70 Somniculoso sine dubio premitur morbo, qui innocentem premit; Somni ille parens est, & præses lethargicus, qui apertam damnat innocentiam. Insons omninò Palinuras erat, cum illum Somnus Deus inuasit ad mortem,

Qui innocentem opprimit, lethargũ patitur.

Delapsus Somnus ab astris
Te Palinure petens, tibi tristitia somnia portans
Insonti.

Itane verò? insonti? Somnus sanè futurus erat, qui innocentiam damnaret; nam quis alius? Præclarè Donatus. *Lethi autem causa non reperiebatur, & tamen finis vltimus à Somno ferebatur insonti.* Expende *cui*, & *à quo*; à *Somno, Insonti.*

71 Expendo verbum illud *Portat* in præcedenti Carmine, quod vt plurimùm baiulorum est, & eorum, qui graues humeris Sarcinas ferunt. Vt animaduertas Deûm Somnum, qui

Graue est onus (vt ita dicã) Deo, inferre supplicia.

Æthereis delapsus ab astris,

Vt Palinuro pœnam inferret (nam huius vnius pœnâ multorum erant redimenda supplicia, vt Neptunus Veneri suprà prædixit,

Vnum pro multis dabitur caput.)

Hunc, inquam, Deum, tristia somnia, & lethalia Palinuro, quasi grauissimum onus portasse: non enim Deorum est pœnas inferre, sed potiùs beneficia conferre, non supplicia exequi, sed donis cumulare; Pronus ad hæc Deus est, ad illa quasi fessus anhelat. Egregiâ in Iouem fuit impudentiâ. Capaneus apud Statium l. 10. in fine. Singulare in reum telũ contorquet, quamuis grauissima illius culpa

Telum potuit meruisse secundum.

Vno contentus Iuppiter fulmine, ab illato supplicio fessus anhelat, tanquam ille ab Enceladi & Phlegræ celebratissimo supplicio & grauissimo fatigatus esset. Sic Statius lib. 11. initio statim

Phlegra ceu fessus anhelet
Pralia, & Enceladi fumantem impresserit Ethnam.

Ideò fessus anhelat (ait Anonymus in margine) *quia Capanei compulsus ad pœnam.* Ita sanè est, vt nostro supplicio quasi lassetur Deus, & anhelet, *Cui proprium est misereri semper & parcere.*

72 Antequàm Somnus Palinuro supplicium inferret, Deum confessus delapsus ab astris est,

Deus se dissimulat esse, cum punit.

Æthereis delapsus Somnus ab astris.

Cum verò eundem petit ad mortem, Dei formam exuit, Phorbantis induit,

Phorbanti similis.

Dissimulauit se Deum esse, & formâ se occultauit aliena, ne videretur Deus inferre pœnam, & supplicium exequi.

73 Insonti Palinuro dum mors infertur à Somno, vtitur Maro verbo *Portat.* Somnus.

• Graue sibi

Tibi

Tibi tristia somnia portat
Insonti.

Quasi graue sibi onus suscepisset, qui innocentem appeteret: nam (vt sup. monuimus n. 68.) baiulorũ vt plurimùm verbum hoc. *Ideò portat, qui cum lethi causa non reperiretur* (Donatus) *tamen finis vltimus parabatur insonti.* Graue onus opprimenti est innocentis oppressio. suscipit onus, qui innocentem premit.

Solent interdum Principes suam occultare potentiam, vt noceant; quod si ita res non veniat ex voto, illam apertè palàmquè distringere. Palinuro Somnus mortem intentat; & ne Deus videretur ad nautæ vnius exitium descendisse, Deitatem & potentiam dissimulat sub specie Phorbantis, etiam nautæ Troiani, (vt placet Donato, *Talem personam Phorbantis debemus accipere, qui gubernare nauim nosset, perindequè mereretur audiri, & esset firma, cui Palinurus nauim rectè committeret dormiturus.*) 74 Dissimulant Principes suã potentiam, vt noceant; quod si ita res nõ venit ex voto, illam apertè distringunt.

Puppiquè Deus consedit in altâ
Phorbanti similis.

Quando verò videt huiusmodi arte & dolo rem non cedere ex voto, (nam Palinurus constanter, quod potuit restiterat,

Clauumquè affixus & hærens
Nusquam amittebat, oculosquè sub astra tenebat.)

Apertè illum oppugnat vt Deus, potentiam distringit, miserum superat;

Ecce Deus ramum lethæo rore madentem,
Viquè soporatum stygiâ super vtraquè quassat
Tempora

Hucusquè Phorbantis facie illum aggressus est; nunc verò *Ecce Deus*; cum hominis formâ nihil proficeret, Dei potentiam exeruit, vt vinceret. Quidni hominem vinceret Deus?

Cum puppis parte reuulsâ
Cumquè gubernaclo liquidas proiecit in vndas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpè vocantem.

Ingeniosè Donatus. *Vbi autem Deus aduertit pertinaciter resistentem, dimissis insidijs, quæ ad plenum obtinere nequiuerant per hominis formam, conuertit se ad potentiam, vt vi compleretur, quod subtilitatis fraude non potuit.*

In Palinuri regiæ nauis rectoris personâ, disce, quisquis publicum munus sustines, hoc documentum. *Nulla te vis ab officio, quod Deo, & Reip. debes, possit abducere.* Aggreditur Somnus Palinurum specie Phorbantis, hortatur vt dormiat, cum æquatis classis ventis feratur; 75 Nulla te vis ab officio, quod Deo & Reip. debes, possit abducere.

Iaside Palinure ferunt ipsa æquora classem:
Æquatæ spirant auræ, datur hora quieti,
Pone caput, fessosquè oculos furare labori.

Quid ille ab officio discedam meô, quod Regi Æneæ, quod Troianæ classi debeo nanclerus? Vbi verò non proficiunt verba, venitur ad vim. Oculis vis infertur; vt dormiat, quos vix attollens, tamen

Clauumquè affixus & hærens
Nusquam amittebat, oculosquè sub astra tenebat,

Sibi ipsi vim afferens, ne ab officio discederes, quando vis maior infertur, vt illud deserat; nam,

Ecce Deus ramum lethæo rore madentem,
Viquè soporatum stygiâ super vtraquè quassat
Tempora

Neque cedit vt victus; nam cum in aquas, vi impulsus iniquâ, decidisset, & puppis partem auulsam secum, & gubernaculum traxit, neque aliter potuit ab officio, quod sustinebat, abduci. Illum vis maior

Cum puppis parte reuulsa,
Cumquè gubernaclo liquidas proiecit in vndas
Præcipitem.

Suæ constantiæ testes puppis partem auulsam, & gubernaculum publici insignia muneris, secum voluit auferre; vt constaret etiam post mortem summam sibi fuisse constantiam, & his testibus erga Regem fides, erga suos cura, erga omnes officium debitum probaretur. Probè expendit Donatus. *Nec amittebat suis manibus clauum, cuius causâ vigilabat; neque oculos flectebat à stellis, quarum cursus obseruabat & motus; eò cautior quò eos vrgeri sentiebat in somnum.* Addit paulò post. *Multum dat Palinuro, qui oppressus tantâ vi gubernaculum non dimisit.*

Furtum ille committit, qui, quod debet munus, nō implet.

Expende obiter in emistichio hoc,

Oculos furare labori.

Furti genus committere illum, qui à commisso sibi munere deficit, qui, quod ex officio debet, non implet. Palinuri naucleri oculi obseruandis syderibus debebantur ex munere, (is enim *labor* est ex interpretatione Seruianâ) Si dum ferretur classis Æneïa, ipse dormiret, defecisset ab officio; ideò dictum *Oculos furare labori*, quia genus furti est commisso sibi muneri non inuigilare.

76 Grauior fit Superioris dolor de animi damnis inferiorum.

Grauius tulit Æneas, in Palinuri morte, animi damnum, quod insepultus apud inferos patiebatur, quàm quod classis sine rectore, regia puppis sine nauta sustineret. Hoc bonus imperator & gemit, & queritur;

O nimium cœlo, & pelago confise sereno!
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Nudus iacebis, (inquit Seruius,) *insepultus iacebis.* De insepulti pœna apud inferos iam sæpè diximus) *Accedebat* (Donati verba) *ad dolorem gementis pœna quoquè amico inflicta post mortem; quòd inhumatus iaceret & nudus in exteris terris.* Ideo pœna illi inflicta post

mortem.

mortem, quia insepultus & inhumatus iaceret. Hæc maximè cura animum boni Superioris vulnerabat.

Nihil in hac mortali vita tutum est, cum blanditur securitas, 77 subsilit improuisò periculum, & in media tranquillitate subitur infortunium. Expertus Palinurus est dolosas huiusmodi vices; nam in summa pelagi tranquillitate passus est naufragium. Vide quanta serenitas!

Latet in ipsa tranquillitate periculum.

Ferunt ipsa æquora classem,
Æquatæ aspirant auræ.

Qui sæpiùs ab irato mari indemnis euaserat, in tranquillo demergitur & perit. Id conqueritur & lamentatur Æneas,

O nimium cœlo, & pelago confise sereno!
Nudus in ignota Palinure iacebis arenâ.

Vbi benè Ascensius. *Egregiè docet hæc Poësis, nihil in hac vita mortali tutum esse; neminem decere securum esse, cum etiam in tranquillitate summâ lateat periculum.*

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER SEXTVS.

Amico lachrymas dare indecorum. etiã Duci non est.

POST infelicem Palinuri mortem lachrymas amico effundit Æneas,

Sic fatur lachrymans.

Quas vt Virgilius probet, etiam in Duce, in ipso statim huius libri principio primum illis locum assignat; nam huius notæ lachrymis in Heroë, heroyco liber hic insignitur initio. Benè Landinus. *πρέπον, idest decorum in Ænea seruat Poëta. Lachrymas ergo emittit tribuens hoc amicitiæ.*

Nullus te debet affectus à munere, quod publicũ sustines, avocare.

Amico lachrymas dedit Æneas, & debitas lachrymas; non tamen ab officio, quod publicum sustinebat, hic illum avocauit affectus.

Sic fatur lachrymans, classiquè immittit habenas.

Et Pium se probauit & Ducem; nec pietatis affectus sui illum muneris oblitum potuit efficere. Landinus. *Non ita ex mærore torpet,*

quin

quin ea, quæ agenda sunt, strenuè agat. Ascensius. *Cum dicit, Sic fatur lacrymans, pietatem viri ostendit, quem vbique pium inducit. Et cum addit, Classiquè immittit habenas, fortitudinem & solertem grauitatem eius, qui inter lachrymas sua & suorum saluti consulit.* Importuna (vt ita dicam) pietas est, quæ te à publico, quod Reip. debes, aut auocat, aut retardat. Hic Æneas satisfecit vtriquè.

Quærunt interpretes, quare post breuissimam nauigationem de Capreis Cumas vsquè cum Cumarum oris classis adlabitur, *Tandem* dixit poëta, quæ vox longissimum loci, aut temporis tractum significat? 3 Quæcũquè mora seculũ est aut cupienti aut amanti.

Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.

Benè respondet Zerda. *Refer particulam Tandum ad incredibile Æneæ desiderium.* Prius respondet idem Seruius. *Cæterùm mora non congruit, de Capreis Cumas vsquè in tanta vicinitate longam fuisse nauigationem, præsertim accedente fauore Neptuni. Ad Æneæ igitur desiderium retulit, ad Italiam venire cupientis.* Mora breuis omninò fuit, sed aut cupienti, aut amanti vel breuissima mora sæculum est.

Vix Italiam appulit classis Troiana, cum 4 Inferior ille laudabilis, qui est de Superioris sui vtilitate sollicitus.

Iuuenum manus emicat ardens
Littus in Hesperium; quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis, pars densa ferarum
Tecta rapit, syluas, inuentaquè flumina monstrat.

Cui *Monstrant?* Seruius ait, monstrasse illos flumina Æneæ, qui erat morte Palinuri pollutus, vt se expiaret. *Sciendum* (ait) *monstrari Æneæ ad expiandum se. Nam funestatus fuerat morte Palinuri, non quòd eum viderat, sed quòd funus agnouerat; idest, doluerat; in eo enim est pollutio, quod ait,*

Casuquè animum concussus amici.

Arguta sanè interpretatio, ait Nascinbænus; quam ille non sequitur. *Ego vero* (inquit) *Monstrat, subaudio, alter alteri; non absquè lætitiæ signo, cum locũ acti fuerint valde opportunũ, regionẽquè beneficio naturæ sibi valde commodam, rebusquè necessarijs abundantem.* Ex interpretatione ergo Seruianâ vides laudabiles inferiores esse, qui de superioris sui sunt vtilitate & salute solliciti: ex Nascimbænianâ verò veri amici esse lætitiam præse ferre, cum beneficium aliquod amico communicat. Verus amicus lætitiam præse fert, cum beneficium amico cõmunicat.

Dum Troiani illi iuuenes, Italiam appulsi, quærunt semina flammæ abstrusa in venis silicis, & humilioribus huius notæ rebus intenti sunt, quid Æneas? 5 Nobiliores alta tractẽt, humiliores humilia.

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendequè procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit, magnam cui mentem animumquè
Delius inspirat vates: aperitque futura,

 Expendit.

Expendit Landinus particulam aduersatiuam illam *At*, quæ personarum & munerum differentiam prænotat. Et addit. *Obseruat id in suo libro Poeta, quod in vita humana omnium maximum, ac præstantissimum dicitur, & quod ab omnibus Philosophis tantis laudibus decantatur; quod Græci πρέπον, nostri decorum appellant. Reliqui igitur humilioribus rebus intenti erant, quoniam & humilius in illis erat ingenium, & animus. Æneas autem, qui omnia humana inferiora se esse putaret, nihilquè non altum mente tractaret, ijs omissis, religioni & diuinis rebus operam dabat.*

6 Fœmineo tactu validissimus quisquè exarmatur.

Validissimus Achilles fuit, quem Thethis mater fingitur aquâ in Stygiâ tinxisse, vt ad omnia hostium tela inuiolabilis euaderet. Sed quâ illum parte pedis in ipsâ tincturâ tenuit, violabilis omninò fuit; fœmineus illum tactus maternus licet, illâ parte exarmauit, quâ Paridis hasta fixus interijt.

Phœbe graues Troiæ semper miserate labores
Dardana qui Paridis direxti tela, manusquè
Corpus in Æacidæ

Inquit Æneas ad Apollinem. Vbi Seruius. *Achilles, à matre tinctus in stygiam paludem, toto corpore invulnerabilis fuit, exceptâ parte, quâ tentus est manu matris.* Quare illa parte? quia fœmineus eam exarmauit tactus. Prosequitur Seruius. *Qui cum, amatam Polyxenam, vt in templo acciperet, statuisset, insidiis Paridis, post simulachrum latentis, occisus est. Et benè Direxti, quasi ad solum vulnerabilem locum Dardana tela Apollo direxerit*, qua exarmatus & vulnerabilis erat Achilles tactu fœmineo.

7 Vnius improbi ministerio multis Deus fauere solet interdum.

Adulter Paris erat, cum Dardana illius tela in Achillem Apollo direxit, quibus de medio sublatus est hostis. Non hoc Paridi adultero præstitum est beneficium, sed Troianæ genti Paridis improbi ministerio. Ideo notat Seruius *Dardana tela* dixisse Poëtam, non Paridis tela; vt Troiæ causâ directa tela sint, non adulteri. *Ideò Dardana* (Seruij verba) *vt non adultero ; sed genti præstitisse videatur.* Consonat & Ascensius. *Sunt, qui tela Dardana, pro eo quod est, Dardanea, dixisse Poëtam censeant potius, quam Dardanei Paridis; eò quod non causam Paridis adulteri, sed Dardaniæ sibi charæ tutari voluerit.*

8 Qui fatetur, dignus est veniâ.

In Emistichium illud *Iam fas est parcere genti Pergamea*, Commentatur Seruius, *Quia se victam fatetur.* Qui enim fatetur, dignus est veniâ.

9 Amicus verus æquè amici curis vrgetur, ac suis.

Donatus in illud *Cui fidus Achates*
It comes, & paribus curis vestigia figit.

Quantum hìc laudatur fides Achatæ, & amicitia, quæ paribus curis agebatur, tantùmquè torquebatur, quantum Æneas, ad quem specialis luctus, & amissio necessariorum pertinebat.

Ad

Ad inferos ingressurus Æneas, & cum mortuis acturus, prudenter defuncto Miseno fingitur posuisse sepulchrum & iusta soluisse, vt in Miseno, quem poterat, conciliaret sibi reliquos, quos non poterat. Præclarè Seruius in illud lib. 7. initio statim 10 Illos tibi conciliare stude, quibuscũ agendũ tibi est.

Si qua est ea ea gloria

Benè interest funeri Miseni, antequam ad inferos descenderet. Prudens consilium est, eos promereri, quibus cum agendum tibi est.

Lepidè Ascensius in illud Miseni Epitheton ludit, *Æolidem,* 11 Vniuscuiusquè muneri necessaria tribuenda sunt.

Misenum Æolidem hoc est, Æoli filium.

Quid Misenus? Turbicen egregius in Troiano exercitu.

Quo non præstantior alter,

Ære ciere viros, Martémquè accendere cantu.

Necesse ergo fuit illius muneri necessaria attribuerentur à Poëta. Æoli filius esse fingatur, ventorum Dei, qui vt tubas inflaret & lituos, spiritu indigebat & vento. *Non absurdè Æoli filius fingitur* (ait Ascensius) *quia tubicini opus est vento, cuius Æolus Rex est.*

Ingeniosè Donatus expendit vocem, *Viros*, in hoc Virgilij, 12 Hortationibus difficilè excitantur ignaui.

Quo non præstantior alter

Ære ciere Vires.

Dixit viros, quoniam imbelles & timidi, & ignaui nullius hortationibus commouentur. Donat. Non *Viros* posuit, vt sexum discerneret, sed vt fortitudinem & constantiam significaret. *Viros ergo* (addit idem interpres) *fortes debemus accipere, non ad sexus discretionem.* Vel vox mortua ære emissa potest *Viros* accendere; nec spirans & viua hortatur ignauos.

Compendiosum ad persuasionem magisterium est, *docere* simul & *facere.* Misenus dicitur in excitandis & commouendis virorum animis ære & cantu valuisse plurimùm, 13 Qui & docet & facit, compendio vtitur ad persuasionem.

Quo non præstantior alter,

Ære ciere viros, Martémquè accendere cantu.

Parum profectò efficax esset tubæ clangor ad impellendos animos, frigeret fortaſsè vox litui, nisi clangorem & vocem suis præclarè gestis animaret, & hortabatur ad bellum, & faciebat in bello, compendiosâ vsus ad persuasionem viâ; nam

Hectoris hic magni fuerat comes.

Magni Hectoris comes, esse ipse debuit & magnus. Non dubitat Donatus. *Si consideretur Hectoris magnitudo, cui iste fuerat iunctus, intelligetur, qualis fuisset etiam Misenus: nam nullus cuiquam comes, aut amicus efficitur, nisi qui fuerit studiorum affectu non dispari.* Non voce contentus addebat & facta, & ita facilè poterat Martem ipsum accendere. Pulchrè idem Donat. *Cum sint multi, qui alios in furorem concitent belli, ipsi tamen pugnare non possint; laudatur in Miseno, quia faciebat cum viris, quod per tubã ipse dicebat. Sequitur enim,*

Et lituo pugnas insignis obibat & hastâ.

Quid mirum bellantes accendat, si tubâ insonat, & intonat dextrâ?

14 Acutè sanè Donatus expendit vocem illam *Exceptum*, hoc loco, vbi Misseni culpam profert Poëta. Quæ huius culpa?

Dum culpâ patras, ipse tibi pœnam infligis.

Cauâ dum personat æquora conchâ,
Demens, & cantu vocat in certamina Diuos.

Verè *demens*, qui Tritones marinos Deos cantu lacessit. Quid Triton huic Dementi?

Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat vndâ.

Exceptum dixit, quod verbum illorum est proprium, *que por sus passos contados se meten por la muerte. Exceptum dixit,* (ait Donatus) *vt feram venabulo, quæ dum suâ feritate plurimùm se posse arbitratur, sic incauta ruit in ferrum, & pœnas suæ temeritatis expendit.* Suâ se ipse temeritate coniecit in pœnam. Dum se culpâ constringit, exceptus est pœnâ.

15 Dolet Æneas, dolent & Troiani Miseni mortem miserrimâ inter vndas & saxa, cuius vita præclarè gestis dignissima fuerat, quæ felicissimo exitu terminaretur. Perijt inerter, qui vixerat fortiter; (nam mors in aquis inertium erat, ideóquè antiquis horrori fuit, vt probat Zerda in illud Virgilij lib. 1.

Dolenda mors est, quę contingit inerti.

O terquè quaterquè beati,
Quis ante ora patrum, Troia sub mœnibus altis
Contigit oppetere &c.

Vitæ cursum non clausit in bello, qui sonanti ære, & ferienti ferro viuus præclarè se gesserat.

Ergo omnes magno circum clamore fremebant,
Præcipuè pius Æneas.

Ad cadauer Miseni lamentantur Troiani. Superiùs causam lamentationis proposuit.

Vident indigna morte peremptum
Misenum Æolidem.

Indigna mors est (ait pulchrè Donatus) *quæ non conuenit viro forti. Nullus enim, aut non talis existeret dolor, si in pugna cecidisset, & campo,* Felicem mortem, quæ te rapit in pugna, & luctantem intercipit! Infelicem verò, quæ inertem mergit, & obruit ignauum!

16 Amisserat Misenum Æneas egregium in bello tubicinem, strenuum in pugna bellatorem,

Boni subditi amissio magnũ Superiori dolorẽ affert.

Et lituo pugnas insignis obibat, & hastâ.

Dolet ergo tanti viri miseram sortem, & dolorem præ se fert,

Æneas mœsto defixus lumina vultu.

Mœstus Æneas est, (inquit Donatus) *& defixus lumina gemit, quia eum perdidisset.* Et Seruius. *Propter mortem amici.* Boni inferioris amissio magnum afferat Superiori bono dolorem, necesse est.

Quibus

Quibus scandalum publicè fuit dementia peccantis, eisdem etiam 17
illati peccanti supplicij proponatur exemplum, vt qui culpam vide- Qui publi-
runt, videant & pœnam, & quos illa corrupit, ista deterreat. Vocat cè peccantẽ
Misenus in certamina Diuos, & tubâ cantúque lacessit: extrema viderant,
sanè dementia fuit, videant etiã supplicio publico affectum.

Personat æquora conchâ
Demens, & cantu vocat in certamina Diuos.

Donatus ait, publicè in ipso littore peccasse Misenum, propè rupes & caua saxa, quæ cantu inflati Martij æris resonarent, clangorémque remitterent. *Artem suam exercebat in littore* (Donati verba) *& cantu eius resonabant caua saxorum.* Ecce tibi à Tritóne supplicium tantæ dementiæ debitum, & peccanti publicè illatum;

Æmulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosâ immerserat vndâ.

Saxa illum vidêre peccantem? saxa illum affectum pœnâ videant. In eorum conspectu luat ille supplicium, in quo nefarium commisit scelus. Ex ingenio Donati, qui post notam, quam laudaui, addit; *Inter saxa collisum dedidit morti atque vndis immersit.* Peccauit ad saxa? collidatur ad saxa: sceleratæ illius audaciæ testes vndæ fuerunt? sint & supplicij.

Quàm est Æneas de Miseni honore sollicitus! quàm Troiani 18
omnes certatim mortuo sepulchrum erigunt, & iusta persol- Honor, quẽ
uunt! alteri exhibes, cedit in tuum.

Festinant flentes, arámque sepulchri
Congerere arboribus, caloque educere tentant.

Expendit Donatus honestam hanc curam, & illam probat non solùm vt piam, sed vt sibi sapientem & vtilem. Piam, quia in honorem defuncti: sibi sapientem & vtilem, quia dum præstat honorem; consulit suo: & geminam simul peragit causam, & Miseni, & suam. *In tantum autem* (Donatus) *aram sepulchri congestis arboribus nitebatur erigere, vt cœlum tangere potuisset, vt virium Æneæ contemplatio, & Miseni meritum monstraretur.* Respondeat hic honor & Æneæ viribus, & Miseni merito; & qui mortuo exhibetur, cedat in viuum.

Veri illi honores sunt, veræ laudes, quæ sine adulationis affectu 19
exhibentur; tales illi sunt, tales illæ, quæ impenduntur defunctis, Exhibiti de-
vtpotè quæ impenduntur ex merito. Donatus in Carmina numero functis ho-
præcedenti. *Vltrà modum aliquid exhiberi mortuo, meritum in vita* nores, veri honores
quæsitum, non necessitas facit. sunt.

Vide quàm effusi Troiani sunt, pro temporis & loci opportuni- 20
tate, in honores Miseni! Cœlo educere tentant huius egregij viri In egregij
sepulchrum; rem tentant impossibilem, sed tanto viro dignam; ne- alicuius viri
que vltrà meritum honorati, si vltrà honorantium vires. Expendit honorẽ nemo satis
Donatus emistichium illud prodigus est.

Cœloquè educere tentant.

Nobiles omninò conatus ! *Properabant igitur* (inquit) *aram non saxis struere, sed arboribus, vt ipsa esset & sepulchrum; in tantùm autem arboribus congestis eam erigere nitebantur, vt cœlum tangere potuisset.* Addit præterea : *Vltrà modum aliquid exhiberi mortuo, meritum in vita quæsitum, non alia necessitas facit.* Siquidem cœlo illius merita æquantur, æquetur & honor.

21 Dum Miseno sepulchrum erigere, & aram struere Troiani conantur,

Potissima est Superioris hortatio, quæ factis constat.

Sonat icta securibus ilex,
Fraxineaquè trabes, cuneis & fissile robur
Scinditur; aduoluunt ingentes montibus ornos.

Quid tunc Æneas, cum alij scindendis & congerendis arboribus intenti sunt?

Nec non Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusquè accingitur armis.

Non socios voce primus hortatur Æneas, sed primus exemplo: cum ipse quoquè paribus armis accingeretur, socios hortabatur non verbis, sed factis. Securim & ipse arripuit & cuneos, illâ ilicem franinúmquè voluebat, his scindebat & robora. Acutè Donatus. *Hortatur socios, sic intellige, vt non verba essent hortamenta, sed facta; paria enim arma, qualia alij, gestabat, qui cædebant arbores, vel cæsas scindebant cuneis. Quis enim non faceret, quod faciebat & Rex? Prouocabat hunc amici memoria, illos suadendi necessitas potens* (O bene!) *Multum quippe accedit ad effectum expedienda rei, si operam suam, cum aliquid laboriosum geritur, Rex ipse coniungat.* Potissima sanè à Superiore exhortatio illa est, quæ factis constat & opere. Si ille primus, quis non velit esse secundus?

22 Inter ferarum stabula alta Troiani nil timent, in quibus feræ maiores commorari consueuerunt, in immensa & antiqua sylua, quæ opacatione horrorem, terrorem ferarum magnitudine & multitudine posset afferre.

Pietatis exercitatio timorem excludit.

Itur in antiquam syluam, stabula alta ferarum.

Quod obibant, pium munus timorem exclusit. Curabant enim Miseni funus, quam dum illi pietatem exercent, scatentem feris syluam intrepidi lustrant, & seruantur indemnes. Donatus. *Dicendo stabula alta, ostendit illic feras commorari consueuisse maiores; quarum metus arceret incolas, ne hanc syluam, propter scindenda ligna, conscenderent. Quantùm Troiani laudantur, qui non timuerunt euertere stabula alta ferarum, in quibus congesta feræ commanerent?* A pietate ista metus ablegatio est; quæ illos in syluam & lustra impulit pietas, ipsa metum exclusit, ipsa fecit intrepidos. Hoc sibi proprium vendicat pietas, vt timorem excludat.

Nescio quam in petitione securitatem affert pietatis exercitatio. 23
Cum in soluendis Miseno exequiis intentus esset Æneas, tunc precatus Superos est, vt aureus ille ramus ostenderetur, de quo suprà Sybilla,

Securè pectis quidquã à Deo, dum pietatem exerces.

Vestigia oculis, & ritè repertum
Carpe manu; namquè ipse volens facilisquè sequetur,
Si te fata vocant.
Quem sibi pulchra suum ferri Proserpina manus Instituit

Sine quo inferos ad visendum Patrem penetrare non posset. Tunc, inquam, precatur, cum pietatem exercet, & funeri consulit.

Aspectat syluam immensam, & sic forte precatur;
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto!

(*Si, aduerbum optantis est*, ait Seruius)

Quasi dicat; Opportuna hæc occasio est petitionis meæ, pariter & felicitatis, cum pietatis distineor officio: si aliquando expediendum feliciter votum meum est, *Nunc* profectò, cum totus sum in pietate positus. Expende voculam *Nunc*, opportunior quando mihi obueniet occasio petendi feliciter? Nec sua illum expectatio fefellit, aut petitio delusit; nam ramum inuenit, &

Multa tibi à Pietate sunt commoda.

Corripit extemplo Æneas, auidusquè refringit
Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllæ.

Piè optabat Æneas, nondum petebat, 24

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto!

Pia vota cœlum secundat.

Cum ecce tibi voti sui compos effectus est, Nondum rogabat, sed optabat tantùm, nam *Si* optantis est, &

Vix ea fatus erat,

Quando ramum inuenit aureum, que Sybilla prædixerat.

Auri per ramos aura refulsit,
Quale solet syluis brumali frigore viscum
Fronde virere nouâ, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circundare truncos.
Talis erat species auri frondentis opacâ
Ilice: sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit extemplò Æneas

Præclarè Donatus. *Hoc solùm protulerat Æneas, Si nunc, vt optare videretur potiùs, quàm rogare; præuenit materna miseratio euntem in preces, & quod desiderabat, ostendit.* Expende in Interprete, *Præuenit materna* (Veneris scilicet) *miseratio euntem in preces.* Illius desiderio factum est satis, antequam in preces descenderet. 25

Quærit ramum Æneas, & vix auri fulgor allucet inter frondentes arbores, *auri per ramos aura refulsit*, cum auidus ille

Nulla te bona prætereat occasio.

ille manum inijcit, ne tantæ felicitatis occasio oblata labatur è manibus,

> *Corripit extemplo Æneas, auidusquè refringit*
> *Cunctantem*

Vbi benè Seruius. *Cunctantem posuit, & Auidus, alind pendet ab alio. Cunctantem, quia Auidus; vt ostendat tantam esse auellendi cupiditatem, vt nulla ei celeritas satisfacere posset.*

26 Cum aliquid aut maximè cupimus, aut impatienter amamus, quæuis nobis celeritas in consequutione cupiti lentitudo est; testudo nobis tarda videtur, quæ aquilæ plumis nauigat, & festinat occasio. Vehementi ardebat desiderio videndi ramum aureum Æneas; quare cum columbas geminas missas à Matre Venere videt, ad illas conuersus

Cupienti, aut amanti celeritas quæuis, tardatio est.

> *Este duces ô! siqua via est, cursúmquè per auras*
> *Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat*
> *Ramus humum.*

Volantes illas sequutus èst oculis, & pascentes,

> *Obseruans quæ signa ferant, quò tendere pergant,*
> *Pascentes; illæ tantum prodire volando*
> *Quantum acie possent oculi seruare sequentum.*

(*Prodire* (inquit Seruius) *id est, prodibant, infinitus pro indicatiuo.*) Donatus verba expendit *Prodire*, & *volare*. Prodire ad pedes pertinet, volare ad alas; quî ergo poterant & ire pedibus simul & volare columbæ? Donati verba hæc. *Prodire pedum significat gressum; volandi autem partes ad alas pertinet; si sic intelligatur, non cohæret, voletur pedibus, aut alis ambuletur.* Volabant sanè, & volando pascebant (vt apud Seruium nonnulli interpretantur. *Alij dicunt* (ait Seruius) *Pascentes volando; & referunt ad naturam columbarum, quæ sic pascere consueuerunt.*) Sed ea erat Æneæ cupientis impatientia, vt etiam cum volarent columbæ aurei indices rami, sic enim ille (*Cursúmquè per auras Dirigite*) ire pedibus, & moueri lentissimè Troiano viderentur.

27 In hanc rami inuentionem sic allegoricè scribit Ascensius. *Opus etiam est aureo ramo, idest, sapientiâ & virtute, quæ in sylua, id est, mundi latebris difficilis inuentu est, nisi nos columbæ ducant, per quas intelligo gratiam Spiritus Sancti, qui in columbina specie nonnunquam apparuit.* Huius notæ multa apud Landinum in Allegoriis, à quibus toto hoc in opere abstineo.

In virtutem & veram sapientiā sancti nos Spiritûs gratia deducit.

28 Omni laude dignum beneficium fuit, quod Æneas & Troiani Miseno mortuo contulerunt, qui vicem reddere, aut reponere par pari non poterat. Ita explicat Donatus emistichium illud,

Laudabilius beneficium est, quod in

Cineri

Cineri ingrato suprema ferebant.

Ingrato dixit, quia mortui nihil sentiunt, perindequè nec vicem reddunt. Ergo Æneas animo suo satisfecit. Pulchrè dictum.

eum cōfertur, qui nequit vicem reddere.

Plurimos tubâ Miseris direxit in aciem, tubæ sonitu plurimos est in hostem hortatus; nequè cantu solum & voce præstans, sed & præclarè gestis illustris. 29

Qui docuit & fecit, æternâ dignus memoria est.

Et lituo pugnas insignis obibat & hastâ.

Iubet ergò Æneas huiusmodi viro, qui & docere simul potuit & facere, sepulchrum erigi; & ipsi chara insculpi saxo *Tubam* & *Remum*; Tubam, quâ docuit; Remum, quo præsertim fecit; vt vel ipsa industrij viri instrumenta cum sepulto ibi domino ad æternitatem consecrarentur.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit, suaquè arma viro, remumquè tubamquè,
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumquè tenet per secula nomen.

Benè Pium posuit (ait Donatus) *quoniam homini tali condebat memoriam, & ingenti mole sepulchrum: quod faciebat non tantùm vt ossa contegeret, verùm etiam vt opus illud sæculis omnibus perduceret. Artis autem insignia non immerito addebat; oportuit enim cum ipso constitui ad immortalitatem, perque in vita floruit.* Ascensius explicat, *Remum, quia peritus erat remex; Tubam, quia optimus erat tubicen*; Ore & opere præstans. Recurre ad num. 13. huius libri.

Ad instar Auernalis halitus, rarò mundialis halitus quemquam patitur indemnem abire. Nec ipse valent volucres effusum Auerni faucibus halitum impunè transire. *Spelunca alta fuit &c.* 30

Mundialis halitus rarò quemquam relinquit immunem.

Quam super haud vlla poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat.

Quantum momenti (ait Donatus) *auibus fuerat necessarium, vt transire incolumes possent, si tanta vis exhalabat ex illis faucibus, vt illic puncto temporis etiam cita volatus superarentur? Nequè has iussabat, si peterent altum, ad cœlum vsquè perueniebat, quidquid lacus teter, & hiatus speluncæ ructabat.*

Quàm fortis Æneas! Sybilla quid nisi fœmina? Sed cum plena Deo est, quàm fortissimo viro superior! illum, vt constanter se gerat, hortatur, in Auerniadi tu, 31

Fulta Deo fœmina vel fortissimis viris Superior est.

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.

Ipsâ verò prima.

Furens antro se immisit aperto

Et eundi fiduciam (vt ait Donatus) faciebat Æneæ; nam:

Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.

Illa prior pergebat (verba Donati) *quæ Numine fuerat plena, & eundi fiduciam faciebat.*

32 Viri fœminis cõfundi non debent.

Vt Auernalia flumina transmitterent, vectore Charonte, ad littus confluxerant Vmbræ innumeræ; ex similibus coniice multitudinem;

Quàm multa in syluis, Autumni frigore primo,
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quàm multæ glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris im mittit apricis.

An viri fœminis confundebantur? nequaquam vero ex interpretatione Donati.

Matres, atquè viri; pueri, innuptequè puellæ.

Cum animas describeret (inquit) *volentes fluuium transire, discreuit sexus, discreuit ætates.* Quamuis hi omnes è viuis abierint, secernantur tamen, & sexus suo decenter loco ponantur; vixdum carent periculo, si promiscue sint.

33 Tristitiam affert generoso viro, non posse simul benefacere multis.

Non admitto explicationem Seruij, qui in illud Charontis nauitæ Epitheton *Tristis*, *asperum* explicat; nequè Ascensij, qui *immitem* reddit.

Nauita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos.

Vbi acutè Donatus, *Tristis*, *dixit*; *non enim poterat nauicula parua simul omnes accipere.* Ideo tristitiam vultu præferebat, quòd hos nunc, deinde illos, non simul omnes transportare posset.

34 Homo quid nisi humanum sapiat.

Præclarè sanè Donatus expendit causam, quare Sybilla Æneam in ipso Auerni vestibulo *Anchisâ generate* vocauerit, cum potuisset *Nate Dea*, *Sate gente Deûm*, *vel aliud simile dicere*; *viderat eum Sybilla pauentem ad Auernalis turba conspectum, nam*

Corripit hîc subitâ trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamquè aciem venientibus offert.

Viderat eum motum fuisse tumultu, *motusquè tumultu*: quare illum hîc *Anchisâ generatum* appellat: quasi dicat, Dignus non es, qui Natum Deâ, aut satum gente Deûm in tanto tuo pauore, & commotione voceris; humanam èx homine Patre timiditatem trahis. Satis apparet te Anchisâ generatum esse, & hominem te habuisse patrem; illum sapis, cum ita times. Anchisa ergo generatum te voco. Donati verba. *Natus es ex homine, non immerito paues; habes humani generis timiditatem.*

Vt reficiat animos, viresquè recipiat Æneas, quæ defecisse non nihil videbantur, memoriam illi Sybilla refricat & diuinæ prosapiæ & regij sanguinis; ideò statim ait.

Deûm certissima proles.

35 Tui ingenui sãguinis refricata memoria tibi animos addit.

Vbi Donatus superioribus hæc inferiora connectens; *Sed nihil debes timere, quia aliâ ex parte genus à Superis ducis.* Pelle hominis timiditatem, qui genus ducis à Superis; & auum Iouem, matrem Venerem iactas.

Insepulti iacebant Leucaspis & Orontes Troiani fortissimi; quare illos Æneas apud inferos vidit

Mæstos

Mæstos, & mortis honore carentes. 36

Cum insepulti ad Elisios campos pervenire non possent; (res obuia, & sæpius decantata) Sed ne culpam Imperatori tribuatur Æneæ, qui tantorum virorum sepulturam neglexerit, facilè à Marone purgatur; Quî enim potuit illos sepultura donare.

Superiorum purgentur actiones, vel omissiones.

Quos simul à Troia ventosa per æquora victos
Obruit Auster, aquâ involuens nauemquè virosquè?

Vbi benè Donatus. *Hoc dicit, ne esset Æneæ vitium, qui suos non tradidisset sepulturæ. Ipsi sunt, inquit, quos ab ipso separauerunt sæua naufragia; perindequè humare non potuit, quos cum ipsis nauibus procella perdiderat. Quod vitium purgatur, nequè Æneam aspergit; quia quos non habuit in præsenti, sepelire non valuit, vtpote quos procella presserat, & immensi per diuersa rapuerant fluctus.* Quæ obijci Superiori posset accusatio, à Poëta est excusatione præuenta.

Hoc idem Donatus expendit in Palinuro, quem inter inhumatos vidit Æneas. *Ab huius quoquè casu excusatur Æneas, quoniam insepultum constabat esse etiam Palinurum: si enim effussus est naui, cum esset ipse quoquè Æneas in pelago, quomodo igitur sepeliri potuit, quem exceperat latitudo pelagi, & in litorum ignota transvexerat?* 37

Idem argumentum.

Crimen esset Æneæ, non agnosse in adversis Palinurum, nauis rectorem regiæ (nam vix illum Poeta ab Æneâ cognitum ait) nisi addidisset, vmbram multam obstitisse, quominus statim agnouerit. 38

Hunc vbi vix multâ mæstum cognouit in vmbrâ.

Amicum in adversis non agnoscere, crimen est.

Culpam hunc reiecit in tenebras, quibus septus Palinurus tenebatur. Non mirum est à gratissimo Principe nauitam suum cognitum non esse, multâ enim vmbra impediebatur. Præclarè Donatus. *Tardiùs agnoscere amicum, crimen est maximum, sed dedit huic excusationem magnarum tenebrarum. Vnde laudari potius debuit, quòd altis tenebris septum potuit agnoscere, & angores eius contracti vultus consideratione metiri. Principis est virtus maxima, nosse suos*, vel in adversis, Martialis ait lib. 8. Quæ deesse gratissimo Principi non debuit.

Rogat Palinurum Æneas. 39

Quis te Palinure Deorum
Eripuit nobis, medioquè sub æquore mersit?

Auctorem tuæ calamitatis ne prodas, cum necessarium non est.

Sciebat Palinurus Somnum fuisse suæ mortis authorem *nam* (vt ait Seruius) *extinctis est diuinandi concessa licentia*, & tamen ait

Nec me Deus æquore mersit.

Quare igitur suæ authorem calamitatis celat? Quia profectò necesse non erat illum prodere; nulla inde vtilitas nullum commodum sibi, aut momentum Æneæ. *Lecion es esta de diffuntos.* Nequè queritur, nequè prodit authorem. Ingeniosè Donatus. *Inimici sui non retulit nomen, quamuis cognouit vim illam esse diuinam, & Phorbantem viderat.* Nequè Phorbantem nominauit; nequè Deo ali-

cui culpam impegit. Vide e x lib. 3. num. 30.

40 Existimationem tuā tueri sæpe licet. Iam solutus corpore Palinurus erat, & tamen suam conatur existimationem tueri apud Æneam, cùm dicit se ab eo quod sustinebat nauis regendæ, munere vi fuisse reuulsum;

Namquè gubernaclum multa vi forte reuulsum
Cui datus hærebam custos, cursusquè regebam,
Præcipitans traxi mecum.

Quasi dicat, Ne quis putet incuriâ factum esse mea, vt te desererem, reuulsum gubernaculum præcipitatus è puppi mecum traxi; feci quod potui, quod debui, nec meo vnquam muneri defui. Donatus citatus ab Ascensio. *Reuulsum multa vi, inquit, Ostendit pro viribus pugnasse, vt factum excuset.*

41 Prædæ cupiditas auarum hominem in crudelitatem impellit. . Adnantem terræ Palinurum gens crudelis inuasit. Auara sine dubio gens illa, inquit Donatus, quæ cum Palinurum graua tum vidisset, ducta prædæ ambitione, facinus aggressa est: existimauit enim illum pretiosæ alicuius prædæ grauitate submergi, cum miser vestibus & aqua grauatus esset non auro;

Iam tuta tenebam,
Ni gens crudelis madida cum veste grauatum
Ferro inuasisset, prædamquè ignara putasset.

Donati paraphrasis: *Non defuere crudeles homines & avari, qui arbitrarentur prædam se inuenisse.* Vnde id arbitrabantur? *Quia vestibus & aqua grauatus adnabam.* Duplici illi nomine crudeles, Et quod ferro inuaserint, & quod insepultum reliquerint. O auaritiam geminatâ crudelitate damnabilem! non contenta corporis damnis vt

Nota appetitum expleas, de animæ, quoque pernicie nil curas. *Recte dicit crudelem gentem* (addit Donatus) *de sepultura enim loquebatur, quam sibi dolebat non exhibitam.* Vnde ad Elisios transire campos non poterat, & ethnica illa beatitate potiri, quia insepultus.

42 Quæ subiecta sunt oculis, efficaciùs mouet. Non dixit Palinurus ad Æneam (cum illius opem implorat) *Eripe me malis, quæ patior,* sed

Eripe me his, inuicte, malis.

His dixit, quia quæ subiecta sunt oculis mala, commiserationem efficaciùs mouent; *his*, inquam, in quibus tu ipse me vides. Quod expendit Seruius. *His dicit, ac si diceret, quæ tu cernis.* Et Donatus apertiùs. *Multum valuit ad impetrandum, quòd mala ipsa commendandæ miserationis causa demonstrabat.*

43 Qui anxiè rem petit, sæpè modū ignorat. Salutem suam & requiem Palinurus anxius exquirit à Rege.

Eripe me his, inuicte, malis:

Rem petit, sed in modo deficit: vide quam ineptè. *Da dextram* inquit. Cui dextram daturus Æneas est? Viuus defuncto? vmbræ, corpus quæ teneri non potest? Advertit Seruius. *Da dextram, Quis? cui? Vmbra enim nunquam tenetur, vt li. 2. Ter frustrà compensa manus effugit imago, de Creusa dixit.* Rem petijt, modum ignorauit,

vt

anxius auxilium exquirebat; quem ipsa præpediuit anxietas

Vrget Palinurus Æneam,

Tecum me tolle per vndas, 44

Data occasio attipiẽda est.

Ne datam occasionem labi patiatur. Ita expendit Donatus. *Benefaciendi occasio præsto est; tecum transeam, tecum ad ripas me adducere potes.* Quando se talis dabit occasio, vt quam patior, calamitatem euadam?

Prudentissimè Virgilius respondentem Palinuro Sybillam inducit, quamuis ad Æneam responsio pertineret, à quo Palinurus misericordiam implorauerat, quam ipse Æneas indulgere non poterat. Dedecet enim Principem beneficium miseris petitum non annuere. Taceat igitur Æneas, & negationis partes Sybilla suscipiat. 45

Dedecet Principem, petitum miseris beneficium negare.

Talia fatus erat, (Palinurus) *cœpit cum talia vates.*

Acutè Donatus, *Ecce Vates ei respondet, non Æneas, Vnde hoc ô Palinure* &c. *Melius ex persona Vatis ei responsum est, quàm ex persona Æneæ, ne videretur negasse voluntate suâ.*

Ea est hominibus gloriæ prurigo, & sacra celebritatis nominis fames, vt illâ multo etiam suo damno quæsitâ gaudere soleant. Monetur apud inferos Palinurus, eum locum, vbi ipse perijsset, Palinuri nomen æternùm habiturum, 46

Ea nobis est gloriæ prurigo, vt illâ etiam nostro damno quæsitâ gaudeamus.

Æternúmquè locus Palinuri nomen habebit.

Monetur, inquam, de hac nominis sui celebritate futura, & apud inferos admonetur, quam tanto suo damno coëmerat; & statim addit Poëta,

His dictis curæ emotæ, pulsusquè parumper
Corde dolor tristi.

Quæ sic explicat Seruius. *Parumper, idest paulatim lætari cœpit; spem enim solam non præsens acceperat beneficium.* Vel ad solam spem promissæ gloriæ lætatur. Præclarè ad rem Donatus. *Gaudebat se tristem licet, tamen perpetuam memoriam sui nominis in illis regionibus habiturum.* Vbi *tristem memoriam* posuit, & *gaudere* addidit, vt ibi Palinuri damnum agnoscas, hîc appetitum.

Suspicio iniuriæ tibi inferendæ non te debet in iniuriam vicissim impellere; imò potius retardare, ne suspectam irrites. Timebat sibi Charon ab armato, neque tamen illum vel verbulo læsit, vt explicat Donat. 47

Iniuria inferenda non est ei, à quo tibi posse suspicaris iniuriam.

Quisquis es (inquit) *armatus, qui nostra ad limina tendis,*
Fare age, quid venias, iam isthinc & comprime gressum.

Proculdubio quidem (Donati verba) *Charon timebat; interrogantis tamen hæc vox est, & magis suspecti, quàm iniuriosi.* Prudenter se gessit. 48

Quæ iusta sunt, ambitioso sermone non egent.

Ambitioso sermone suspecta fit veritas; simplicem amat, quæ & ipsa simplicissima est. Cum ad Stygiæ paludis littora de aduentu Æneæ nauitam instruit Sybilla Charontem, vtpote quæ vera & iusta

moneret, breuiter loquuta est, ne suspectam redderet veritatem.

Quem contrà breuiter fata est Amphrysia Vates.

Quod notauit Donatus. *Idcircò Breuiter, quia non egent longo sermone, quæ iusta sunt.*

49 Amãti q; e-cũ ipsa mora sæculũ est.

Properabat ad Patrem Æneas, illius videndi ardenti tenebatur amore: quare cum illum Charon cymbâ transmisisset, quod constat breuissimo factum esse traiectu, particulam *Tandem* interposuit Poëta, vt ad Patrem eunti filio hic ardenter amantis daretur affectus.

Tandem post fluuium incolumes Vatémquè Virumquè
Informi limo, glaucâquè exponit in vlvâ.

Vbi benè Donatus. *Tandem dixit, propter Æneam qui properabat ad Patrem.*

50 A fœminis tibi, etiam seni, cauendum est periculum.

Vt infernum trans fluuium vectaret Charon Sybillam & Æneam,

Cæruleam aduertit puppim, ripæquè propinquat.

Cúmquè multas hinc inde animas abegisset, quæ *per iuga longa sedebant*, tum demum

Accipit alueo
Ingentem Æneam. Æneam tantùm?

Ab eodem vectore, eâdem cymbâ Sybilla excepta non est? constat exceptam simul cum Ænea, cum vterquè simul incolumis fuerit ad littus expositus; nam sequitur,

Tandem post fluuium incolumes Vatémquè virúmquè
Informi limo, glaucâquè expenit in vlvâ.

Quare ergo Poëta expositum nominat, de exceptâ tacet? & acceptum solum Æneam memorat Vatis oblitus? Illam crediderim mentem fuisse Poëtæ prudentissimi; vt ostenderet, summam semper à fœminis debere virum habere cautionem, non dicit acceptam à Charonte Sybillam, sed solùm Æneam, *Accipit* inquit, *Ingentem Æneam:* Illa verò accepta non fuit, nauiculam ipsa conscendit, Æneas Charontis est manu exceptus in cymbam, Sybilla non ita. Quamuis senex Charon,

Cui plurima mento
Canities

Quamuis fœmina Sybilla sit, Deóquè sacrata,

Phœbi Triuiæquè sacerdos,

Non tamen Poëta voluit acceptam à viro, etiam sene, fœminam etiam Sybillam & sacerdotem, dicere; voluit autem expositam dicere, & eiectam è naui: nam cauti viri hoc opus est, illud incauti. Rectè igitur de Sybilla nulla mentio est, cum in cymbam admittitur, aperta & constans cum è cymba dimittitur. Hæc interpres nullus, fateor; sed nunquid omnia aliorum authoritate confirmem?

Quid

Quid necesse est persequi dicendo, cuius cognitio potest perniciosa esse? satis est attigisse. Id Virgilius sensit, & docuit, cum offam illam obiectam Cerbero melle confectam ait, & medicatis frugibus; quæ autem illæ fruges fuerint, non expressit. 51 Quod officere potest, satis est attigisse, non persequi.

Melle soporatam, & medicatis frugibus offam
Obijcit

Præclarè Donat. *Hic Poëta mel tantummodo specialiter posuit, reliqua noluit aperire, ne ad conficiendam speciem legentes instrueret.* Prudenter quidem; nam indignum dictu est, quod indignum est factu.

Multa sunt apud inferos loca, quæ singula singulis attribuit Maro, Cum verò de libidinosis agit, quid dicat, attende; 52 Plurimi sūt qui libidini seruiunt.

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem &c.

Nulla pars est, quæ vacua istiusmodi nocentibus sit. Quod notauit Seruius. *Plures vult ostendere eos, in quibus libido dominatur.* Heu! quàm latè patet hæc pestis!

Vix obiectâ medicatis herbis & melle offa soporatus est Cerberus, cum Æneas summâ celeritate ripas euasit, & pergit ad Patrem; 53 Viuidum calcar est Amor.

Occupat Æneas aditum, custode sepulto,
Euaditque celer ripam

Occupat (ait Seruius) *id est, raptim ingreditur.* Si offa illâ somno sepultus est custos, quid tanta opus est celeritate? aditus impediri à dormiente cane non poterit. Paternus illi amor calcar admouebat, inquit Donatus. *Celerem dixit Æneam* transisse, non tam quòd sibi à Cerbero præcaueret, qui arctè dormiebat, *quàm quia festinabat ad patrem.*

Animaduertit Seruius, cum præmisisset Virgilium masculinum genus, *Quos durus Amor* &c. fœminarum tamen exempla posuisse, Multi apud inferos erant amantes amentes, & fœminæ, & viri; maluit tamen illarum exemplis huius affectus impatientiam ostendere, vtpotè quæ impatientius ament, quàm viri. *Notandum etiam, (nam rarum est) quia cum masculino genere suprà vsus sit, vt, Hic quos durus amor &c. tantùm fœminarum ponit exempla; non quòd desint viri, sed elegit sexum impatientem ad amandum.* Hæc Seruius. 54 Impatientiùs amant fœminę, quàm viri.

Ea est libidinosæ pestis natura, vt facillimè serpat in alios, nisi quàm longissimè amandetur. Libidinosi vicinitas viscosa maximè est, & immedicabiliter sæpè tabefacit. Vel etiam apud inferos hi secretis & remotis celantur callibus, ne in alios lethifera hæc venena diffundant. 55 Amoris tabes serpit in alios, nisi sit quàm longissimè.

Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles

Ab aliorum consortio separentur. Sic explicant Donat. & Ascens. *Secretos calles separatos debemus accipere. Ay estan bien, y aun*

 plegue

plegue à Dios.

56 Errant semper Amantes. Vel apud Inferos posita amans Dido errabat adhuc : error enim amor est, *Quis me deceperit error*, Bucolic. Exutus corpore animus Didonis errare non destitit, quæ viuens in errorem amoris fuerat inducta.

Recens à vulnere Dido

Errabat sylua in magna

Vbi Seruius; *Errabat, idest, vagabatur; & bene allusit, quia & amauerat.* Hinc duplicem notes licet moralitatem, *Amantes semper errare*, & eam esse *huius tabificæ pestis vim, vt etiam durare fingatur in mortuis.*

57. Facilè amoris vulnera recrudescunt. Amauerat sanè Didonem Æneas, quis neget? Illam præ amoris impatientia, paulò post discessum ab Africa, extinctam accepit, neque credere quiuit. Ita ipse ad illam, quam apud Inferos vidit,

Infœlix Dido! Verus mihi nuntius ergo

Venerat extinctam, ferroquè extrema sequutam.

Nec credere quiui

Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.

Vbi primum ergo eam apud inferos vidit, & vix dum per obscuram vmbram agnouit, lachrymas demisit præ amoris vi, miscuitquè colloquia.

Demisit lachrymas, dulciquè affatus amore est.

(Nota pedis morositatem in fine; morosè enim ille illachrymatus est, morosè loquutus.) Recrudescere potuerunt vulnera, amoris flāma, desuetudine ferè iam sopita, conualuit, Acutè Donatus. *Mox vt illam in ea obscuritate vidit, demisit lachrymas, hoc est, non cogitauit flere, sed mox lachrymas fudit; ipse est enim dolor verus, qui repentinos fletus non coactus excludit. Instituit igitur cum ea, quam mox agnouerat, loqui. Hoc enim manentis adhuc in illo amoris compellebat affectus.*

58 Vox simul & lachrymæ sunt testimonium omni exceptione maius. Nullum potuit Æneas testimonium efficacius adducere, quàm vocem simul & lachrymas. Vtrumquè coniunxit,

Demisit lachrymas, dulciquè affatus amore est.

Lachrymis eius etiam verba congruebant (ait Donatus) *protestans oculis quantum dolorem sensibus ferret, & voce indicans, quod mentis interna vexabat. In hoc dicto non tantum animus dolentis expressus est, verùm etiam per extenuationem facti adiecta purgatio.* Duos validissimos testes ad sui purgationem adduxit.

59 Altas amor radices agit, quæ facilè auelli non possunt. Non dixit Æneas

Inuitus te Regina deserui, sed

Inuitus Regina tuo de littore cessi.

Auelli námquè facilè amor non potuit, qui Æneæ animo insederat. Sic Donatus expendit. *Non te, inquit, fugi, sed cessi iussus.*

Littora

Littora reliqui Carthaginis, ipsi tamen Dido animo meo tenetur infixa.

Vmbra Dido erat, & vix vmbra, cum obscura esset, quam vix apud Inferos agnouit Æneas, 60

Vel ipsâ amati vmbrâ delectatur amans.

Agnouitquè per vmbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam.

Obscura ergo vmbra tunc Dido;& tamen audi quid dicat Æneas, cum illa se proriperet,

Siste gradum, téquè aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis?

Vbi Donatus. *Quid melius amanti (amenti omninò scilicet) prouenire etiam apud inferos potuit, quàm videre eam? aut fabulas conferre cum ea?* Cum vmbra? & vmbra ambigua? ita sane. Adeo insani & ridiculi sunt amatores. Addidit & amatorium hîc verbum *Alloquor* Poëta, vt magis indicaret insaniam amantis,

Locum amans non curat.

Extreum quod te alloquor, hoc est.

Quàm parcè Palinurus! quàm leui munusculo contentus est! Petit ab Ænea, vt sibi particulam pulueris tantùm inijciat insepulto, 61

Qui parcè petit ex modestia, dignus est, qui cumulatè accipiat.

Aut tu mihi terram
Inijce.

Digna prorsus petitio quæ cumulatissimè satietur. Tumulus promittitur, iusta, solemnia, & æternum nomen; sequitur enim,

Et statuent tumulum, & tumulo solemnia mittent,
Æternúmquè locus Palinuri nomen habebit.

Grauiter Zerda. *Illud, Statuent tumulum dictum eum respectu ad Terram inijce. Quasi dicat. Petis sepulturæ genus tenuissimum; non sic erit, Tumulus tibi statuetur, soluentur solemnia, iusta fient & exequiæ.* Parca petitio cumulatissimè satianda fuit.

Vide virum aliqui fortissimum in mollissimas lachrymas erupisse. Quæ causa? *Didonis abscessus* (inquit Donatus) *eas magis, magisquè commouebat.* Dolebat eius priuari aspectu, quam amauerat. Proripiebat se illa, quamuis ab Ænea audiuerat, 62

Vel fortes viros amor emollire solet.

Téquè aspectu ne subtrahe nostro.

Ideò addidit, *Lachrymasquè ciebat,* (Æneas.)

Cœlestis numinis iussu Carthagine excessit Æneas; ita ipse ad Didonem, cum illam apud inferos alloqueretur, 63

Amoris affectus iussa cœlestis Numinis fecit sæpè cõtemnere.

Sed me iussa Deûm, quæ nunc has ire per vmbras,
Per loca senta situ cogunt, noctémquè profundam,
Imperiis egere suis.

Addit deinde, Fortasse se Africæ littora non deserturum, etiam contra Deorum iussa, si potuisset credere tantum Didoni dolorem

63 fore discessu suo, vt præ dolore incumberet *gladio*, ex Seruianâ interpretatione.

Amātium lachrymæ si videantur, accendunt.

Nec credere quiui
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.

Argumentationem tetendit. Acsi diceret. Si credidissem, forte etiam Deorum iussa contemnerem. Ea infini amoris vis est, vt præ illo Deorum iussa pessundentur.

Præ amore lachrymas fundebat Æneas, quas ne Regina Dido suam in perniciem videret, & iterum, etiam mortua, experiretur amoris violentiam, fixos terræ tenebat oculos, sibi præcauens: nec ante illa demisit oculos, quàm lachrymas cieret Æneas. Ille

Lachryma, quę ciebat.

Statim ille. *Solo fixos oculos auersa tenebat.*

Extimuit etiam apud Inferos posita amantium lachrymarum pati tyrannidem. Crediderim ita intellexisse acutè Donatū. *Ne antē videret flentem, sic auerterat faciem, vt solam respiceret terram. Hoc fecit, ante quam irata discederet; & sic fugit inuisum.*

64 Expendit Donatus, quàm sit difficilè ab animo avelli amoris affectum, cum Æneas apud Inferos (qui locus inferre debebat horrorem) cum mortua (quæ poterat timorem incutere) & colloquia ex amore miscuerit, & molles lachrymas dederit. Quem cum illa toruè tuens & ardens furore suffugeret, amans fugientem vrget, vt gradum sistat, & si minus se loquentem audiat, sibi certè aspectum ne subtrahat.

Difficile ab animo avellitur amoris affectus.

Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.

Nihil putabat melius sibi apud Inferos prouenire potuisse, quàm videre eam, aut fabulas miscere cum ea; quas quia Dido diruperat abeundo, hac eam Æneas voce prosequutus est, Quem fugis &c.

65 Hæc Donatus. Altas amor radices iecerat, quæ facilè auelli non poterant. Cum ardentem irâ Didonem, & tuentem toruè dictis lenire cœpisset Æneas, Troiani aspectum & verba sustinere elisa non potuit, à quo læsa paulò ante mortem oppetierat; itaquè.

Aspectus illius qui te læsit, tuum auget dolorem.

Proripuit sese; atque inimica refugit

66 Hìc pulchrè Donatus. *Hinc accedebat, quod acerbitas vulneris recens, & aspectus eius, qui tanti mali fuerat causa, doloris ipsius sæuitiam duplicabat.* Addit deinde; *Augmentum iræ & doloris sui Æneam refugiendo testata est.*

Maximè odij affectus animo inhæret.

Idem interpres notat hoc loco, quàm altè odij affectus hæreat in animo, cum ille viuere fingatur etiam in mortua. *Quantum autem odium* (inquit) *etiam mortua retineret, ex eo non obscurè, sed euidenter ostendit, cum sese proripuit tacitam, neque expectauit verborum finem, neque aliquid ipsa respondit.*

Nota. Reiecta ab Ænea Didone amante, vel potiùs desertâ, apud Inferos illa suos quærit amores; ad Sichæum pergit, qui sibi

sibi olim in amore respondit.

Coniux vbi pristinus illi.

Respondit curis, æquatquè Sichæus amorem.

Amans fœmina vel apud inferos suos quęrет amores.

Adeò difficile est turpi fœmellæ sine amasio esse, vt vel apud inferos illa quærat, quem amare, à quo amari possit. Ingeniosè Donatus; *Ad Sichæum tendit, qui vnum cum eâ animum gereret, & amore mutuo, & consimili teneretur.*

Multos vidit apud inferos Troianorum Æneas: mirum non est, multos ex victis in prælio cecidisse. Ex victoribus ne aliquos vidit? Et quidem quàm plurimos, nequè inferioris illos quidem notæ, vel numeri. 67

Rata solet esse victoria siue calamitate victoris.

Et Danaûm proceres, Agamemnoniasquè phalanges.

Vim consuetudinis maximam esse, Idæus nobis documento est; qui cum adhuc in viuis esset, arma tractaret & currus, eandem apud inferos consuetudinem seruat: ibi enim illum vidit Æneas. 68

Consuetudinis vis expenditur.

Idæumque etiam currus etiam arma tenentem.

Nota particulam *Etiam*, quam Ascensius interpretatur *Adhuc, scilicet apud inferos.* Donatus ad rem præclarè. *Idem vidit, qualis erat in vita; is enim duo officia sustinens tenebat arma, regebat & currum, quarum rerum studium apud superos habuit.* Apud superos, hoc est, dum fuit in viuis.

Apud inferos erat Æneas, locum tenebris & squaloribus obsitum, vbi multa vidit & multos. Sed mirum est quò in huiusmodi loco etiam cum voluptate moraretur. 69

Bonorum in comitatu etiam grauia leuātur.

Nec vidisse semel satis est, iuuat vsquè morari.

Oculis multa semel iterumquè lustrabat, & moras cum voluptate nectebat. Hoc expendens carmen Donatus, ita ait. *Tanti meriti fuerunt, quorum animæ obtutibus Æneæ offerebantur, vt eas semel vidisse non sufficeret, tantum erat videndi desiderium, vt in internis tenebris & squalloribus delectaretur aliquas moras innectere.* Æneæ offerebantur aspectibus inclyti viri, egregij duces, fortissimi milites; horum in comitatu, quæ grauia in inferis erant, leuabantur; ibi positus tenebras lucem putabat; vmbras, splendorem; noctem, diem; & grauia quæquè, leuissima.

Vident in inferis Æneam Græci fulgentem armis, & ecce tibi, 70

Quos imbibimus mores, serò aut nūquam dimittimus.

Pars vertere terga,

Ceu quondam petiere rates.

Donatus hîc. *Apparebat mansisse cum ipsis metum, quem apud superos habuerunt, cum expugnaretur Troia. Meminerat enim poëta se dixisse lib. 2. Diffugiunt alij ad naues, & littora cursu Fida petunt, pars ingentem formidine turpi scandunt rursus equum; & nota conduntur in aluo.* Vide lib. 10. num. 64. 65. & 119.

Cum grauis est metus in multa nos solet incohærentia credenda compellere. Ad armati Æneæ conspectum (vt diximus) Græci

 diffugiunt;

diffugiunt; existimabant enim eò adductum esse armatum Troianum, vt Græcos etiam mortuos insequeretur. Ridicula sanè persuasio, in quam metu compulsi sunt. Donatus lepidè. *Græcis vsquè adeò timor statum mentis præripuerat, vt crederent Æneam idcirco apud inferos armatum incedere, vt Græcos etiam mortuos insequeretur.* Nota; cum alijs Virgilius apud Inferos vocem dederit, his Græcis negat; quare? quia præ metu loqui non poterant; intercludit enim vocem timor,

71 Metus ridicula multa in gerit menti.

Timor vocem intercipit.

Inceptus clamor frustratur hiantes.

In ipso clamandi conatu deficiebant, explicat Donatus. Addit Seruius. *Nec nos moueat, quòd alijs vmbris verba dat, his silentium; timorem enim exprimit, qui viuis quoquè adimit vocem, vt Obstupui, steteruntquè comæ, & vox faucibus hæsit.*

Et proceres erant, & numero innumeri: *Phalanges* dixit, vt numerum augeat. Rectè hìc Donatus, & verè. *Descriptio Græcorum inaniter posita est; vt ostenderetur, quot milia ex ipsis accidisse viderentur*; *nulla quippe victoria est sine calamitate victoris.*

72 Morbus est mortalibus insitus, blandiri Principibus.

Lacerum apud Inferos Deiphobum, Priami Regis filium, vidit Æneas; atquè ita lacerum, vt miserabilem omnino & pudendam formam referret.

Ora, manusquè ambas populataquè tempora, raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Ita lacerum, vt illum Æneas ipse.

Vix adeò agnouit pauitantem; & dira tegentem
Supplicia.

Vide verò, quàm illi de præclarè gestis, & felicitate assentetur, quem infelicissimum videt.

Mihi fama supremâ
Nocte tulit, fessum vastâ de cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis aceruum.

Quid grandius? quid honorificentius? quid felicius, quàm pro patria, editá ingenti hostium cæde, super vastam stragem fessum cecidisse? *Assentatio est in ipsà infelicitate: Palpatur Principi, dixit laudem ipsius, asserendo eum certaminis labore, & cædibus pressum super aceruos hostium procubuisse. Non dixit occisum cecidisse, quod verè fuit, sed quasi procubuisse lassatum.* Hæc discerptim ex Donati paraphrasi. Sed ne plena assentatio in Principe suo Ænea deprehendatur, vide Poëtæ cautionem. Non absolutè id affirmauit, sed famâ vulgatum dixit.

Assentatio activa Principem dedecet.

Mihi fama supremâ
Nocte tulit.

Ita famâ iactabatur in suprema illa nocte, qua Troianum corruit imperium. Sed in turbulentissima illa Troiani excidij nocte quid referri potuit ex fide?

Annotauit

Annotauit Donatus pietatatis officia, etiam à Principe viro, per se ipsum impleri debere, in illo carmine, vbi Æneas ad Deiphobum vitâ iam functum. 73 Non dedecet Principē implere per se pietatis officia.

Tunc egomet tumulum Rhateo in littore inanem
Constitui.

Egomet, inquit, nequè alterius curæ, quod ad pietatem pertinet, volui committere. *Ego, inquit, per me suprema tua compleui; non alijs facienda commissi. Solent res non rectiùs peragi, quæ curanda mandantur.*

Deiphobum rogat Æneas de authore vulnerum, quibus ipse Deiphobus deformatur; 74 Ingenui animi est quàm primùm gratias de accepto beneficio agere.

Quis tam crudeles optauit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit?

Deinde tumulum se constituisse dicit, & soluisse iusta,

Tunc egomet tumulum Rhethæo in littore inanem
Constitui, & magnâ manes ter voce vocaui.

Respondere debuit Deiphobus & Primo, & Secundo, Præmittit gratias pro secundo; narrat deinde primum. Inuertit ordinem ingeniosè Virgil. & ingenui animi Principem signat, qui prius ad beneficij gratitudinem, quàm ad iniuriæ memoriam, mentem retulit.

Nihil ô tibi, amice, relictum est.
Omnia Deiphobo soluisti, & funeris vmbris.

Expendit hoc isteron Donatus. *Primò quæsiit Æneas, quis author fuisset deformitatis eius; deinde retulit, se constituisse ei sepulchrum honoris causa. Sed ille, cum responderet, huic primùm respondit, ostendens se gratias agere beneficij eius.* Noluit vel tantillùm gratias differre, & obliuionis crimen vel leuiter subire.

Quare cum Deiphobus de Helena loqueretur, quæ Troiani excidij fax fuerat, nunquam proprium nomen expressit, sed *Lacænam* dixit, & illam appellauit 75 Eorū, quod odio habemus, nomina fugimus.

Scelus exitiale Lacæna.

Et paulò post, *Illa chorum simulans.*

Rationem adducit pulcherrimam Donatus. *Nec suprà nomen eius, propter odium nimirùm, dixit; nequè hîc eam nominauit, vt Helenam diceret; sed dixit Illa, dixit Lacæna.* Proprium illius nomen exhorruit.

Cum Helenæ proditionem in seipsum Deiphobus aperiret Æneæ, vt illius aggrauaret scelus *Coniugem* vocauit. *Vt eò detestabilior teneatur, quæ coniugij fœdera sic disrupit, ac prodidit*, ait Donat. Sed miror illum non Meam addidisse, vt sit maior auxêsis. 76 Coniugij fœdus inuiolabile.

Egregia intereà coniux arma omnia tectis
Emouet.

Imò si adderet *Mea*, frigeret oratio, quam iracundiæ æstus effundit. Dixit quod necessarium erat ad reprehensionem, & in eo,

quod tacuit, propriam satiauit iracundiam. *Coniugem* igitur vocat, noluit *Meam* dicere, vt illius libidinem & notaret, & proderet; vtpotè quæ multorum coniugia turpis inierat; & meretricio more vagaretur. Quasi ergo illam meretricem vocat, & adulteriorum fœmellam, vt sic grauius eam pungat tacendo, & exulceret, quam sensit viricidam. Donati nota est. *Coniux dixit, & non dixit Mea, perindequè multorum: fuit enim Menelai, dehinc Paridis, & tunc Deiphobi; qua neque ipsum charum habuisset, cui primò fuerat coniuncta, quæque nesciret vxoris affectum.*

Tacendo aliquando grauiùs pū-gis inimicū, quàm lo-quendo.

77 Conatur Helena Menelai, coniugis quondam sui, gratiam inire, tunc cum ad extremum Troia vocaretur excidium. Pœnitentiâ violati coniugij ducta ad primum curat transire maritum. Consilium sanè probandum: sed consilium hoc elusum est factis; fœdifraga matrimonij, matrimonialis fidei cultrix esse non potest. Dum vult matrimonium colere, matrimonij eiusdem violat iura. Mariti proditrix est, vt ad maritum eat: tertias prodit nuptias, vt pergat ad primas. Audi Deiphobum illi tertiò maritum,

Tua sæpè consilia factis eludis.

Intrà tecta vocat Menelaum, & limina pandit.
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.

Audi & Donatum. *Hostem communem omnium, & specialiter meum, in execratum cubiculum misit, velut satisfactura ei pro veteribus sceleribus suis, cui primo mutauerat fidem; & supplicijs pensatura meis, quæ detestanda commiserat. Quasi violata matrimonij sanctitas emendationem illam posset admittere.*

78 Præambula necis suæ retulit Deiphobus, necem tacuit.

Calamitosus sæpè exitus exp.imendus non est, satis est illum attigisse.

Irrumpunt thalamo, comes additur vnà
Hortator scelerum Æolides.

Nihil prætereà dixit. Vbi pulchrè Donatus; *Inuasisse hostes in cubiculum retulit, & prætermisit, quæ consequuta sint: quia vaiorum ipsorum relationes horrebat.* Vt pote qui illa perpessus dum vinceret.

79 Non videtur quod præcessit, satis cum sequenti congruere. Præmisit Deiphobus *Noctem se inter gaudia duxisse*; nunc verò ait, *Confectum curis thalamo se somnoquè dedisse.* Quid illud est *Confectum curis, si inter gaudia ipsam noctem duxit?* Hinc profectò apparet, quàm se inuicem apud mortales gaudijs curæ, curis gaudia collidant. Seruius benè. *Quid confectum curis dicit? atqui vacauerat gaudiis. Sed illud ostendit, quod ait Statius, Stant veteres ante ora metus.* qui gaudijs obstreperent, & obsisterent.

Sese inuicē curæ & gaudia cō-miscēt apud mortales.

80 Confectum se curis Deiphobus thalamo commisit & somno. Sed quibus curis, cum gaudia præcesserint?

Nulla grauior marito oura est, quàm mala vxor.

Inter gaudia noctem
Egimus, inquit ipse Deiphobus ad Æneam.

Respondet

Respondet Seruius. *Confectum curis dixit, Quòd habebat vxorem perniciosam maritis. Vnde sequitur, Egregia intereà coniux Per Ironiam.* Vbi expende *Curis* posuisse, non *Curâ*: plurimis & grauissimis vxor mala curis æquiualet. Non rem assequutus esset, si singulari numero *Curam* dixisset.

81 Ad stridorem ferri, & catenarum tractus in ipso Auerni vestibulo, *Pium hominem terret impietas.*

Constitit Æneas, strepitúmquè exterritus hausit.

Vbi animi fortitudo? vbi constantia? ad strepitum exterrefactus vir fortissimus consistit & hæret? Nulla hîc prorsus infirmitas, sed pietas: Ad tormentorum strepitum Æneas, extrà illum locum positus, vbi exercebantur, terretur, quia pius; nec ferre potest crudelitatis indicia mansuetissima & piissima illius natura. Ingeniosè Donatus, *Tantus in illo loco tormentorum strepitus fuit, vt Æneas extra ipsum positus ferre nequiβet; quòd feriebat aures & vulnerabat hominem pium.* Ideò *constitit* exterritus.

82 Fortasse *constitit*, & impiorum locum adire refugiebat Æneas, quòd timeret sibi & pietati suæ à consortio impiorum. Ita enim viscosa malorum societas est, vt optimus quisque iure timere debeat ne eâ, vel per transitum aditâ, deprauetur, saucietur, veneneτur. Fugiat ergo, ne tanto dispendio pietas exponatur. *Timere debet pius ne impiorum consortio deprauetur.*

83 Pulchra quidem notatio est illa Donati in illud Sybillæ ad Æneam, *Maxima sanè laus est preesse eum laude quàm plurimis.*

Dux inclyte Teucrûm.

Merita (inquit) *eius extollit. Quid pulchrius quàm ducem esse multorum? Quid tam memorabile, quàm primum esse quemquam in officio? Quidve magis egregium, quàm bonorum meruisse principatum? Teucrûm, laudis vice posuit, vt dignus præesse videretur.* Quasi dicat; Dignus Æneas es, qui fortissimis, & egregiis militibus (id enim vox illa *Teucrûm* sonat, ac si diceret *Hispanorum*) Dux habearis & caput.

84 Nouum supplicij genus est, & leuissimum dicerem, nisi apud inferos illud Tysiphone exequeretur, *Supplicium semper iminens peius est ipso supplicio.*

Tortuosquè sinistrâ

Intentans angues

Minatur anguium illa infernalium supplicium, minatur inquam, neque illos detorquet in miseros homines. Quare? an vt intentatam pœnam suffugiant? imò vt semper sibi à crudelissimo timeant verbere, & liuores formident, neque inquam effugiant; quod peius est ipsâ executione supplicij. Acutè Donatus. *Intentans angues dixit, vt tormentorum metu formido eorum magis ac magis ardesceret.* Auernale sanè supplicium! Et Seruius infrà. *Quid grauius? Nam in expectatione pœna & præsens metus est, & dolor futurus: in ipsa autem pœna solus est dolor.*

85 Non vaçat in Mantuano nostro, quod de Titanibus, ad imum Auerni fundum depressis narrat;

Apta Superbis pœna est Suppressio.

Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

Aptam enim illos superbiæ pœnam tulisse demonstrat. In cœli ruinam montes montibus aggerarunt; cœlum illorum insolentia appetiuit: imo decet Erebo, & fundo Auernali puniantur. Ingeniosè Donatus. *In imo fundo Auerni pendebant pœnas Titanes, qui pro sceleribus suis icti fulmine in illum locum iustè meritóquè coniecti sunt.* Dignam sceleri pœnam! Altissima quæquè cœli appetiuerunt, infimo quoquè Auerni loco torqueantur. Vltimum quod sic Superbiæ vltimum quod sic experiatur supplicij.

86 Ea est mortalium conditio, vt altiora petat, maiora ambiat. Quod si manibus quis illa contrectet, periculum subit aliena vsurpandi. Aloydæ illi Virgiliani cœlum manibus, præ corporum proceritate, tangebant. Vnde Iouem deturbare moliti sunt solio; Iouem inquam, nec veriti pœnam, nec rei difficultate deterriti.

Manibus aliena attrectantes nihil sibi vsurpare, instar miraculi est.

Manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisquè Iouem detrudere regnis.

Quibus cœlum manibus attrectabant, iisdem furacibus ipsius cœli vsurpationem aggressi sunt. Sic putarim hoc intellexisse Donatum. *Quid non auderet temeritas, cui ferebat corporum altitudo suffragium? Ex eo arbitrati sunt, excluso Ioue, posse sibi eius imperium cedere.* Vnde vero? addit rationem, *Quia tangebant manibus cœlum.* Qui manibus tangit, & attrectat aliena, propè est vt vsurpet.

87 Vix dum Æneas Auernum ingressus est, cum illum

In aliorum vitas inquirere, auernale vitium est.

Circunstant animæ, dextrâ lauâquè frequentes,

Quiam esset scire cupientes, quidnam gessisset in vita, quibus de causis ad inferorum illa claustra venisset, & sexcenta alia;

Iuuat vsquè morari,
Et conferre gradum, & veniendi discere causas.

Pyerius legit *& veniendi poscere causas.* Instabant animæ illæ Auernales, vt causas diceret, & commissa proferret crimina, quibus Auerno esset addictus. *Nonne vides hoc vitium in alienas vitas inquirendi esse Auernale?*

88 In Auerni vestibulo, ductante Sybillâ,

Pietas cum impietate commercium non habet.

Constitit Æneas.

Quare in vestibulo? neque inferorum carceres lustrat Æneas? Quia, cum nullum sit pietatis cum impietate commercium, præclarè Virgilius in vestibulo illum constitisse ait, qui pius vbiquè describitur. Sic Ascensius. *Æneas pius impiorum carcerem ingressus non est; ideò constitit; & inde interrogans & disquirens sontium, & noxiorum pœnas inducitur.*

89 Mirum est Ixioni & Pyrithoo apud inferos splendidissimam supellectilem esse, qui damnati torquentur.

Oculis ob-

Lucent

Lucent genialibus altis
Aureafulcra toris, epulæquè ante ora parata,
Regifico luxu.

An ad cruciatûs leuamentum Regificus hic luxus, & deliciæ proponuntur? Apage verò! cum apud inferos leuamen nullum, sed dolorum congeries, etiam apud Æthnicos, esse dicatur. Audi Donatum qui pulchrè nodum soluit. *Et torus regifico luxu fuerat paratus, & propositio epularum; non quia his vti meruerunt, sed vt ab ijs prohibiti, cruciatibus maximis afficerentur.* Obijcitur ergo illorum oculis antiqua & amissa felicitas, qua, dum viuerent, vti nescierunt, vt duriùs, & dirius illius contemplatione torqueantur.

iecta felicitas, quam amissisti, te dirissimè torquet.

Titanes illi, & Aloydæ contrà Iouem coniurarunt. Quâ illi pœnâ dunnati sunt? 90

Qui in Regem insurgũt grauissimo debent supplicio, in aliorum exemplum, distorqueri.

Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

Non cuiuis addicti sunt pœnæ, sed ad imum Inferorum fundum detrusi æternùm ingemiscunt. Expende, non alijs Iouem iudicibus commisisse sententiam, ipsemet in illos capitalem tulit. Nec dedecuit illius Maiestatem in eiusmodi reos vltricia fulmina aduocasse. Donatus præclarè. *Hic Iouis nomen debemus extollere; est enim in hominibus magna significatio potestatis, ipsius tamen fulmine strati sunt, quem audendo contempserant.* Fulminet igitur in huiusmodi homines sententiam Princeps, non enim dedecet per seipsum illos damnare, vt terrore incusso, alij à læsæ maiestatis crimine deterreantur.

Ab ipso Principe in eiusmodi reos sententia feratur.

Sanè contagio laborant, qui proditionem moliuntur in Principem: serpit hæc pestis facilè, difficiléquè curatur. Rectè igitur proditores hi Virgiliani ad imum deuoluuntur Auerni fundum, ne aliorum animos & voluntates inficiant. Eiusmodi enim vitium est, adeóquè perniciosum, vt vel in inferis positos valeat peruertere. Separentur ergo, & ab alijs quàm longissimè arceantur, etiam dum carcere premuntur & vinculis. 91

Prodito in Principes contagium est, quod facilè serpit.

Multi apud inferos torquentur noxij; suo quisque pœnâ aptissimâ crimini; quare illos *Miseros* dicimus. Inter hos nescio quâ potissimùm de causa Poëta miserrimum Phlegiam vocet, superlatiuo vsus, quo illius pœnam deterioris fuisse conditionis insinuat. 92

Publicè fateri cõmissum crimẽ, noua pœna est, & grauissima.

Phlegiasquè miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras,
Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

Illam fuisse causam crediderim, quòd publicè fateri culpam suam compulsus sit. Deos iste contempsit, monitus peccare non destitit, ideò grauissimo sceleri grauissima pœna respondet: grauissimarum illa grauissima *Culpam semper fateri, publicare quid feceris*, & maxima voce testari, vt omnes patratum à se crimen intelligant. Alij patiuntur pœnam, tacitâ culpâ; hic culpam semper intonat suam, quod est, quauis pœnâ grauius. Noua hæc explicatio est, & mihi

maximè arridet. Scholiastes ad marginem. *Ideò omnium Miserrimus, quia culpam semper suam clata voce publicè fateri compellitur.*

93 Miserrimi sunt, qui publicè in alios carnificinā exercent.

Miseri sunt, qui patiuntur; miserrimi qui patientes publicè torquent. Omnes, qui apud inferos addicti sunt pœnis, iure miseros dicimus. Sed Phlegiam, qui elatâ publici præconis voce illis insultat, illos torquet, planè miserrimum. Ita Donatus explicat vocem illam *Admonet. Miserrimus Phlegias* (inquit) *qui miseris ipsis reis vniuersis voce magna insultat.*

94 Non exitus tantùm in crimine, sed voluntas etiam sola punienda est.

Morale illud Carmen est, in quo crimini datur vt exitus, sic voluntas; & vtriquè separatim pœna condicitur.

Ausi omnes immane nefas, ausoquè potiti.

Seruius hîc appositè. *Illic sunt & qui fecerunt, & qui conati sunt. Dicit autem secundum Romanum ritum, in quo non tantùm exitus punitur, sed etiam voluntas.*

95 Qui ferinos aliorū mores cōuertit & traducit in pios, instar est Dei.

In Carmen hoc de Orpheo apud beatas sedes commorante,

Necnon Threicius longâ cum veste sacerdos,

Adnotat præclarè Seruius, veluti Deum habitum esse Orpheum, quia homines de feris & duris composuit in mites & pios. *Vnde arbores* (ait) *& saxa mouisse dicitur, vt Deus.*

96 Poëtæ nomine ille tantùm est dignus, qui pius & doctus est.

Ea est poëtizandi hac tempestate cachoëtes, vt vel merè laici, nullis doctrinæ aut honestatis initiati sacris, versiculis vacent, eosque diuendant vt oracula, & distrahant. Audiant hi quibus potissimùm nominibus digni censeantur, qui apud Elisios campos ethnicâ illa beatitate potiantur.

Quiquè pij vates, & Phœbo digna loquuti.

Pietatem Maro in ijs requirit primò, deinde Doctrinam; id enim significat emistichium, *& Phœbo digna loquuti*, vt explicat Donat. *Qui instructi litteris Poëtæ Carmina dignissima protulerunt.* Qui huius notæ Poëtæ non sunt, non fuerunt, vlteriori fortaſsè Auerno miserrimi detinentur, detinebuntur.

97 Consilio debet esse comes auxilium.

Vt quam præstas operam, plena sit; cura, vt consilio tuo sit comes auxilium. Huiusmodi operam Troiano & Sybillæ Musæus pollicetur.

Sed vos (si fert ita corde voluntas)
Hoc superate iugum, & facili iam tramite sistam.
Dixit, & ante tulit gressum.

Consiliantis verba sequutus est gressus. *Beneuola instructio* (inquit Donatus) *Omnis enim qui pleno studio aliquid præstat, debet id ipsum leuare remedio; dixit qua, & præcessit ignaris.*

98 Locus locati meritum signare debet.

Apud mortales sæpè labat hæc lex, vt locus locati meritum tacitè signet. Quot enim clitellis aptissimi ornantur epiphijs? nil generosum sonant, nihil equinum, & tamen phaleris aureis, sparteis necdum digni, comuntur. Apud Elisios olim bonus ille rerum ordo viguit. Hoc sensit Maro cum Anchisen nitentibus in campis collocauit,

nit, vt explicat Donatus. *Camposquè nitentes dixit, vt meritum Anchisæ monstraret*; Qui eâ potiebatur loci dignitate, quam merebatur. Ex loci dignitate locati dignitatem discerni fas est.

Si quid Elisios summa fingitur esse libertas, liberum ius, quare ibi dicuntur animæ inclusæ fuisse conualle, & penitùs inclusæ? 99

Claustra piorum certam fouent spem vitæ melioris.

> *At pater Anchises penitùs conualle virenti*
> *Inclusas animas, superúmquè ad limen ituras*
> *Lustrabat.*

Soluit quæstionem hanc Donatus. *Inclusas* (inquit) *animas non ad iniuriam posuit, sed ad meliorem spem separatas à cæteris, penitúsquè discretas: hoc ipsum apparet, quoniam adiectum est superúmquè ad limen ituras.* Vide quæso, quàm illa pretiosa claustra sunt, quæ spem fouent vitæ melioris.

Vix Anchises à longè filium vidit Æneam, cum brachia tetendit, & in illius quasi iam proximi irruit amplexum. 100

Amor impatiens est moræ.

> *Isquè vbi tendentem aduersum per gramina vidit*
> *Æneam, alacris palmas vtrasquè tetendit.*

Pulcherrimè ibi Donatus. *Ecce patris pietas plena! Ante ad amplexus filij præparauit manus, quàm fuerit potestas retinendi; veniebat enim adhuc Æneas, non tamen peruenerat. Expressus ergo pietatis affectus, expressus desiderantis ardor impatiens, cum aduentui filij manibus procul occurrit: & voce fecisset nihilominus & pedibus, si ætas non obsisteret, & cupientem corporis vitium* (erat enim claudus) *non teneret.* Fecit ergo quod potuit, & amoris affectus impatiens moræ brachia præuenit. Fecit primum, quod deberet esse secundum; prius enim est salutatio vocalis, quàm brachialis (vt ita dicam) amplexus; compendiosâ igitur via præcucurrit affectus.

Suum labores pretium non habent apud mortales; iusta penduntur trutinâ apud immortales. Ad primum filij conspectum immortalis iam Anchises vide quid dicat 101

Exanthlata pericula, perpessi labores suo apud immortales pretio æstimantur.

> *Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum*
> *Accipio! quantis iactatum nate periclis!*

Non bellicam illius laudem commemorat, non generis nobilitatem, non bona corporis aut fortunæ; sed labores exornat, pericula recenset, & laudat. Quasi dicat: Accipio te natum meum, eò libentius, quòd iactatus periculis es, vexatus laboribus terráquè maríquè. Hæc apud Elisios nostros in pretio sunt; cætera, quæ apud mortales fortunata videntur, & habentur, omninò vilescant. Fortassè Donatus in hac mente, cum dixit hoc loco. *Te filium bonum, pium, religiosum per æq[illegible]ra [illegible]ectum accipio, in quibus & labor fuit immensus, euidens etiam periculum, apertúmquè discrimen.* Eò te lubentiùs accipio, quòd à periculis, à laboribus, à discriminibus venis.

Zerda in explicatione illius carminis, quod primum est in oratione Anchisæ ad Æneam, hunc notat affectum, in voce *Tandem,* 102

Impatiens

est moræ amor parẽtis erga filios.

Venisti tandem.

Non multo ante tempore (inquit IESVITA) *Anchises obierat, & quasi anni multi elapsi essent, Venisti tandem dixit.* Erat quippe impatiens amor parentis in filium.

103 A Parẽtum voluntate rationi consonâ discedere filij nõ debent.

Rationi consona Parentum voluntas tanto apud filios esse debet in pretio, vt ab illa discedere propè inexpiabile crimen sit. Quàm Æneas obsequens patri!

Tua me, genitor, tua tristis imago
Sæpiùs occurrens, hæc limina tendere adegit.

Expende verba, *Genitor, adegit, me.* Quasi dicat; necessariam mihi imponere legem potuisti, qui pater es, vt ad limina hæc Inferorum, multis meis laboribus & periculis, tandem venirem. Piaculum grande in me ipsum admitterem, si quod monuisti, recusarem. Donat. *Quid, inquit, velis facerem, Pater, nisi vt præceptis tuis, duris licet, obsequerer? feci, te iubente, & labores omnes tui causâ contempsi. Piissimi filij, & reuerentis officia executum se in responsione prosequitur.*

104 Nullos putat Amor conatus à se frustrà esse susceptos.

Quàm sedulò sese Amor verus in conatus effundit, nullosquè sibi putat susceptos in cassùm! Conatur apud Elysios Æneas amore ductus, parentis sui collo brachia circũdare; frustraneus omninò ille conatus; neque poterat Æneas ipse de huius facti vanitate dubitare, cum olim illam expertus fuisset in coniuge, quem cum complecti vellet iam mortuam, illa par ventis leuibus, & simillima somno fugiebat. Non dubitabat itaque de vanitate conatûs; ideo ad parentem, præuenturus amplexum, ait,

Da iungere dextram,
Da genitor, téquè amplexu ne subtrahe nostro.

Vbi Donatus. *Didicerat enim in creusa causa mortuorum esse fallaces amplexus.* Quid ergo iterùm tentat, quod semel frustrà susceptum est?

Ter conatus ibi collo dare brachia circùm,
Ter frustrà compensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucriquè simillima somno.

Ter? non satis superquè semel esset, cum frustrà tentaretur: Quid enim secundus, & tertius, cum vel in primo amplexu, & olim in vxore suscepti conatûs vanitatem fuisset expertus? Amoris hæc auiditas est, quę multo illa quidem conatu satiari non potest; neque se putat quemlibet frustrà suscepisse, quamuis frustrà multoties, irritúmquè susceperit. Hic Donat. *Auidus ibat in patris amplexus, quamuis subtrahebatur manibus, natura deficiente substantiâ; ac si quis velit tenere ventos, aut auras manu concludere.* Consule num. 121. lib. 2.

105 In Patris obsequium nullus frustrà potest esse conatus.

Quem Æneas nititur amplexu tenere? nonne Patrem? in Patris ergo pium obsequium, iterùm tertióquè nitatur, si semel frustrà contigerit: nullus enim potest conatus paterni in causa amoris

in

in cassùm suscipi, aut supernacuus dominari.

Æneæ erga Patrem amor impossibilia conabatur, & sæpiùs conabatur, conabatur enim Patris vmbram tenere, Manes amplecti, 106 Impossibiliũ in amore conatus, amoris oblectamẽta sunt.

Ter conatus ibi collo dare brachia circùm.

Paternus amor ita hæc amplexum inanitate delectabatur, vt Poëta dixerit, non illos vitasse Anchisen, sed Anchises imaginem illos fugisse,

Ter frustrà comprensa manus effugit imago.

Non ipse ergo, sed ipsius imago complexantes filij manus effugiebat, abnuente illo, cuius erat imago. Donati acumen est. *Cum colla parentis officiosis brachiis cingere niteretur, fugit imago; non sic dixit, quasi ipse voluntate pater filij vota desereret, sed subtrahebatur manibus, non Anchisa studio, sed natura deficiente substantiâ.* Recreabatur igitur paterna voluntas his repetitis nisibus filij, quos effugiebat, Patris imago, non Pater.

In ipsa temporalis possessione boni illa nobis persuasio dolorem affert, *fore vt breui deficiat.* Quare & gaudemus simul & dolemus; nam dolor futuri mali gaudium boni præsentis intercipit. Anchises dum filium amplectitur, dum alloquitur, quem iampridem amplecti & alloqui desiderauerat, lachrymas fundit,

Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.

Nota voculam *simul*: lachrymas fundit dum potitur optatis. Donat. ingeniosè. *Ibat simul in lachrymas, quia eum fuerat maturo reditu deserturus.* 107 In ipsa temporalis boni possessione, futuri defectûs dolor gaudium intercipit.

Nouerat ille, qui apud Elisios morabatur, nulla ex parte grauius posse mortalibus imminere periculum, quàm ex voluptate, & amoris nequam affectu. Ideo ad filium dixit Anchises;

Quàm metui, ne quid Lybia tibi regna nocerent!

Vbi Didonis amore implicitus, grauibus periculis esse posset obnoxius. Ita Seruius. *Illud dicit, Timui, ne dum ad regna Carthaginis voluptatibus vacas, grauissimum tibi periculum crearetur.* 108 Nulla ex parte maius creari periculum potest quàm ex voluptate.

Verè paterna illa admonitio fuit, quâ tacitè Anchises notat Æneam.

Quàm timui, ne quid Lybiæ tibi regna nocerent!

Non crimen obiecit apertè, & impegit in faciem; sed leuiter & modestè consuetudinem cum Didone tangit minus honestam: sic enim meliùs ingenui sanguinis homines ab huiusmodi reprehensione proficiunt. Prudenter Zerda, & breuiter. *Notat modestè Pater filij consuetudinem cum Didone.* 109 Blanda reprehensio verè paterna est.

Agebat Anchises cum filio Ænea de animalibus illis, 110 Laborum recordatio sæpè terret expertum.

Quibus altera fato

Corpora debentur.

Quasi territus filius huius mortalis vitæ recordatione laborum, quos plurimos ipse grauissimosquè tulisset, infert,

An ne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumquè ad tarda reuerti
Corpora?

Vbi Donatus. *Conueniens facti illius dubitatio; qui innumera, duraquè perpessus est; & in his fuerat, & sperabat adhuc vsquè peiora. Credimus inquit velle quemquam, non tantum ad lucem, sed ad vita tædia reuocari? quæ lucis miseris tam dira cupido, vt velint esse iterùm, quod semel euasisse, debuerant gratulari.*

111 Approbat Pyerius aliquorum lectionem codicum, aliam à communi, in illo Carmine, quo Anchises ad Æneam,

De re præsenti solidius est gaudium.

Quò magis Italiâ tandem latêre repertâ.

Illi enim *Lætare* habent, imperatiuo modo, dequè re præsenti, *Ad solidiorem gaudij causam*, inquit Pyerius. Sanè pulcherrimè.

112 Humanas relaturus glorias Anchises, & velut in imagine demonstraturus eas Æneæ filio, quem eligit locum? quo in loco consistit? Hunc.

Contrà humanæ gloriæ fascinationem tumuli aspectus antidotum est.

Et tumulum capit

Inquit Virgilius. Aptissimum sanè antidotum contrà humanæ gloriæ fascinationem elegit, qui vel apud Elisios morabatur. Timuit glorias recensere suorum, quin ad tumuli aspectum consisteret, veritus & sibi & filio posse damnum creari nisi id antidotum adhibuisset. Addit diligentissimus Zerda Tumulum hûc iuxta fluuium Lethen fuisse, fluuium obliuionis, fluuium mortis, vt gloriosa relatio, non ex tumuli solùm sed ex Læthei fluminis vicinitate elatos non ingereret animos, nec superbos spiritus ingeneraret. *Mutat locum*, (inquit Zerda) *capit tumulum. Existimemus autem fuisse hunc tumulum iuxta fluuium Lethen, nam ita poterat legere adversos, & discere vultus venientium, Ibant quippe ad bibendum Lethen.* Et Lethe, ergo & tumulus in recensione gloriarum opportunè obijciuntur, ne illæ sine hoc antidoto fascinent mentem.

113 Adeò ominosum mortis nomen fuit apud antiquos, præsertim in recensione gloriarum, vt illud alio flexu vitarent. Recenset glorias Anchises Romanorum, & cum filium Æneæ Siluium, post patrem mortuum, nasciturum dicit, non mortem nominat, sed hoc flexu dixit,

Mortis nomen, dum recenserentur gloriæ, antiqui vitabant.

Tua posthuma proles.

Vbi notat pulchrè Donatus. *Noluit illum pronunciare moriturum, sed dicendo, Habebis filium posthumum, hoc ipsum significauit; posthumos scimus dici, qui nati sunt post patris discessum.* Vitauit

114 omen, gloriam aperuit; nequè interseri voluit mortis nomini glorias. Vide quàm egregia liberalisquè promissio pietatem & laborem sequatur! Vbique pius laudatur Æneas, vbique laborans, hîc maximè, vbi ad inferos molitus est iter, vt patrem apud Elisos inuiseret; quam pater ipse pietatem quæ discrimina vnicè laudat,

Felicitas vtraquè pietati promititur, & labori.

Venisti.

Venisti tandem, tuaquè expectata parenti
Vicit iter durum pietas.

Vtraquè felicitas hac pro pietate & labore promittitur, & reponitur, Vbinam? lege paulò post illa carmina, vbi de Syluio vaticinans Anchises ipse,

Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet syluis Regem, Regumquè parentem.

Syluij spem pollicetur (inquit Donatus,) *Erit Rex, & pater Regum; hoc est regnabit ipse, & generabit Reges.* En primam felicitatem apud mortales; In voce autem *Longæuo* latet secunda & maxima, ex interpretatione Seruianâ, *Longæuo* (ait Seruius) *idest Deo. Æuum enim propriè æternitatis est; quæ nisi in Deos non venit. Ennius. Romulus in cœlo cum Dijs genitalibus æuum degit.* Quasi dicat, Tibi cœlis excepto, & indigetum relato in numerum nascetur Syluius filius, Lauiniâ matre, qui & Romani Imperij habenas moderetur, & Reges generet ad felicissimam terrarum administrationem. Tam effusam Deorum beneficentiam & tua Pietas, & Labores meruerunt.

Approbat Donatus verbum *Reddo*, quo vsus Anchises est ad Æneam, cum de Syluio, Æneæ filio posthumo, loqueretur. 115 Bonum patrem bonus debet reddere filius.

Et qui te nomine reddet
Syluius Æneas, pariter pietate, vel armis
Egregius.

Vt te in omnibus (inquit) *similem reddat, robore scilicet, virtutis, & pietatis studio. Optimo verbo vsus est Reddat; vt non secundus Æneas nasci, sed ipse qui fuit, redditus luci esse videatur.* Talis boni parentis futurus est filius, vt pater adhuc spirare credatur in filio.

Si fraterno animo fratrem ames, quæ illius est felicitas, tua est, quæ illius gloria, tua: fraternus enim amor glorias facit esse communes. Ab Anchisâ Romulo, adhuc apud Elisios commoranti, geminæ vertice cristæ assignantur, 116 Fratris felicitas, tua felicitas est.

Viden, vt geminæ stent vertice cristæ?

Quare geminæ cristæ, nisi quòd & Remi fratris æquè propriam habuit, ac suam? Ita Seruius apposité. *Omninò in omnibus hoc egit Romulus, vt cum fratre regnare videretur, ne se reum parricidij indicaret. Vnde omnia duplicia habuit, quasi cum fratre communia.*

Nouerat Mars futurum sibi Romulum filium, & eum filium, qui Romanum olim imperium martiâ posset virtute prouehere. Ita ergo in illo sibi complacuit, ita eum amore complexus est, vt suo illum iam inde honore signauerit. 117 Erga præclarè indolis filios indulgentissimè parentes feruntur.

Et Pater ipse suo superum iam signat honore.

Explicatio Seruiana est, quam respuunt nonnulli, ergo non abnuo. *Merito virtutis Mars Romulum Deum esse significat. Superum*

perum enim accusatiuus est singularis ab eo, quod est, Superus, Superi.

118 Certum est apud Elysios Romam non fuisse, quam sub imagine Anchises demonstraret Æneæ; & tamen quasi digito illam ostenderet, ait.

Vel vnus vir egregius inclytæ instar est vrbis.

En huius, nate auspicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Romuli virtutem bellicam mirè exaggerat qui Romanæ vrbis mænia, & ditionem promoturus erat. Quasi dicat, Romam inclytam vides, cum Romulum vides, qui vnus Romanæ instar est vrbis. Præclarè Donatus. *Anchises apud Inferos Romam non habuit, quam Æneæ demonstraret; potuit tamen minorum nomen dicere, & spem prænuntiare felicitatis eius.* Quod si non de solo Romulo intelligendum putes sed de alijs etiam viris egregijs, non pugnabo. Eadem certè vtrobiquè sententia procedit.

119 Magnarum rerum spes, tarda illa licet, ad virtutem, & præclarè facta prouocare nos debet. In recensione illa Minorum, quos apud Elisios vidit Æneas cum Anchises multa & illustrissima de illis prædixisset, sic per epiphonema filium hortatur.

Magnarum spes rerum ad virtutem nos prouocet.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Vbi Donatus. *Genus fuit hortamenti, quo impellebat filium ne frangeretur tarditate veniendi.*

120 Præclarè Seruius notat Anchisem Patrem cum filium ad virtutem & gloriam hortaretur, vtramquè coniunxisse personam & suam & Æneæ.

Filij gloria, patris est gloria.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis.

Non dixit *Et dubitas*, sed *Et dubitamus* cum iam ipse apud Elisios esset & virtutem adhuc non posset factis extendere. *Pro dubitas, posuit*, (inquit Seruius) *Miscuit personam suam: est autem sensus. Cum tibi sit tanta præparata posteritas, dubitas fatis virtutem extendere, idest, gloriam?* Ideò personas iunxit; quia filij gloriam pater existimauit & suam.

121 Optimatum & Principum ea solet esse de sanguine suo innata superbia, vt cum sermo incidat, se suosquè gloriosè attollant, de æqualium verò amplitudine tepidè verba faciant. Vide quid Anchises de se suisquè futuris Romanis, quamquè gloriosè pariter & fœcundè protulerit ad filium Æneam, quem cupit attentissimum, dum ipse recenset.

Optimatum est morbus, se suaquè laudare, æqualium verò amplitudine tepidè loqui.

Huc geminas nunc flecte acies; hanc aspice gentem,
Romanosquè tuos. Hic Cæsar, & omnis Iuli
Progenies, magnam cœli ventura sub axem, &c.

De Pompilio autem Rege cum dicturus est, qui de Romana gente futurus non erat, vix illam agnoscit, cum æquam omnium cognitionem haberet;

Quis

Quis procul ille autem ramis inſignis oliuæ,
Sacra ferens? noſco crines, &c.

Quaſi faſtidioſè rogat *Quis* &c.

Ingenioſè Seruius notauit affectum. *Mirâ autem vtitur phantaſiâ: vt quaſi oſtendat ſe non agnoſcere eum, qui de gente Romana futurus non erat. Romulo enim mortuo, cum anno Senatus regnaſſet per decurias, tædioſum viſum eſt, & quæſitus eſt Rex. Sed cum in vrbe nullus idoneus eſſet inuentus, orta eſt bona Pompilij fama, quòd eſſet apud Cures ciuitatem Sabinorum. Rogatus itaque per Legatos accepit imperium.* Vel in optimate defuncto hic optimatum viuit affectus.

Dum humili in fortuna conſtiterant Cæſar & Pompeius (quam Noctem Maro appellat) nullis ſe infeſtis armis appetiuerunt: altior attulit fortuna diſcordiam. Præmonuit Anchiſes; 122 Humilis fortuna cõcordiam, altior verò diſcordiam parit.

Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, ſtragémquè ciebunt!

Humilem fortunam *Noctem*, (vt dixi) altiorem verò *Lumina* vocat: *Noctem lumini* opponit eleganter. Seruius hîc. *Benè alluſit. Non concordiam in humilitate tenuerunt; cum nobilitate verò in bella venerunt.* Aſcenſiana huic Seruij notæ explicatio deſeruit. *Dum premuntur nocte, quaſi dicat, dum erunt in humili fortuna. Si attigerint lumina vitæ, dum ſcilicet in lumine ſunt viri.* Dum ſunt viri in lumine, (ſic interpretor) in honore & altiori dignitatis gradu conſtituti.

Quare Anchiſes ad Cæſarem Iulium & Pompeium conuerſus *Pueros* illos appellet, non ſatis in prõptu cauſa eſt apud interpretes. Illam Donatus putat. *Rectè Pueri, quoniam in ætatem puerilem erant venturi.* An non & reliqui omnes venturi erant, quos ibi recenſet? Erant ſanè: ſed hos præcipuè *Pueros* appellat, vt præmoneat, à puerili illos ætate debere non aſſuſcere bellis, non arma tractare, ne quod à pueris imbiberint, adultâ iam ætate & virili cum Reip. clade retineant. Quaſi dicat. Cum ad vitales veneritis curas, à puerili ætate, à primis annis armorum, & bellorum amorem cum tener eſt, animo exuite, huiuſmodi affectum dum aſſurgit reprimite; nam cum ad virilem perueneritis ætatem, quod malè aſſueuiſtis, non deponetis. 123 Quod à pueris imbibimus, rarò viri deponimus.

Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella,
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.

Ter negatiuam particulam interpoſuit, vt affectum ſatis ſignificaret ſuum, vt notauit Aſcenſius, qui ſtatim addit. *Ne aſſueſcatis animis ſcilicet veſtris tanta bella, quanta geſturi eſtis, ſi animum ab eis*

Pueri non represseritis. Et planè Donatus. *Ait ergo, Nolite pueri malè assuescere; non expedit, vt talia bella gerere discatis. Consilium dat, ostendens, quid prohibiti ab actibus inimicis, facere debuissent.* Quem pueri animum erga se solent, eundem vos iam viri retinete; ab hac pueritiæ notâ ne discedatis.

124 Faciliùs nobiles iram, dissidiúmque deponunt.

Certum est vt plurimùm nobili & generosâ stirpe natos solere faciliùs iram deponere, dissidium componere, quàm ij, qui natales humiles habent. Quare Anchises eam proponit rationem Iulo, vt prior tela proïjciat, irámquè deponat, quia *genus ducit Olympo, quia sanguis meus*;

Tuquè prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Proijce tela manu, sanguis meus.

Vbi notauit Zerda; *Voluit hac re indicare Iulium illustriorem fore Pompeio.* Vnde illum priorem hortatur, vt tela proïjciat, irámquè deponat.

125 In pueris, laudationis materia spes est.

Rectè notat Seruius, in puerorum panegyrico laudationis materiam esse *Spem.* Hanc attollit in Marcello Anchises,

Nec puer Iliacâ quisquam, de gente Latinos
In tantum spe tollet auos.

Rhetoricè (inquit) *spem laudat in puero, quia facta non inuenit. Est autem Ciceronis in Dialogo Fanni. Causa difficilis laudare puerum. Non enim res laudanda, sed spes est.*

126 Ingens dolor fundit incondita, facit inania.

Qui in ingenti dolore sunt, quid dicant, aut faciant, planè non vident. Incondita fundunt, exequuntur inania. Flebat & gemebat Anchises acerbum nimis Marcelli interitum, & addit,

Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores.

Vide quid dixeris, vide quid te facturum pollicearis, Anchisa; à quibus petis lilia, cum qui det illa tibi præstò sit nullus? quòd expendit Donatus. *Affectum doloris expressit, dicendo Date; cum non essent præstò, qui darent.* Inania polliceris officia, quod & ipse fateris,

Animámquè nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere.

Vbi idem interpres. *Mirè positum ex persona mortui; quòd inania sint, quæ mortuis exhibentur. Hoc enim certiùs ipse nouerat.* Vbi obiter nota; quàm sint mortuis inanes gloriolæ, quas mortales illis vel sepulchrorum mole, vel pomparum magnificentia componunt.

127 Superior necessitate abstractus à suis, cessante statim illos necessitate reuisat.

Grauis illa debet esse necessitas, quæ ab inferiorum conspectu, & victu Superiorem auertat aut auocet. Grauissima fuit, quæ abstraxit Æneam; sed vide quàm rectâ viâ, illâ cessante, ad suos reuersus est! Vix eburneâ emissus est Poëta, cum

Ille

Ille viam secat ad naues, sociosquè reuisit.
Tum se ad Caietæ recto fert littore portum.

Vbi benè Donatus. *Quid enim aliud facere debuit, quàm suos videre post tempus? Reuisere, est, post aliquas moras iterum videre.* Addit paulò post. *Recta via dicitur, si quando nihil aliud agimus nisi iter continuum, vt nullo alio actu rumpatur, quò tendimus. Consideremus & Æneæ mentem, quæ suorum reuisendorum cupida nihil agere debuit, nisi tenere littus, donec perueniret ad naues. Sic enim intelligendum est Recto littore; quia rectum littus non potest inueniri. Vt vna intentione animi ad portum Caietæ peruenerit in quo fuerant naues.* Vtpote bonus ergo Superior, cessante necessitate morandi, ad suos statim reuersus est, & rectà viâ reuersus est.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER SEPTIMVS.

1 Cura est defunctorũ habenda.

VIDERAT apud Inferos Æneas grauissimas illis esse pœnas, qui insepulti iacerent; nam, *Centum errant annos* &c lib. 6. Itaquè nutrici suæ, grati animi ergo, & pietatis, sepulchrum erigit contegit ossa, honorem ascribit.

Tu quoquè littoribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti;
Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaquè nomen
Hesperia in magna (siqua est ea gloria) signat.

Principum est beneficijs officia rependere.

Donatus pulchrè. *Hoc fecit propter transitum inferni fluminis: viderat quippe ipse quam cladem illic insepulti patiantur. Hanc refert poëta Æneæ fuisse nutricem, cuius de sepultura cum loquitur, & Æneam ipsum prafert, & tanta benignitatis fœminam laudat. Mortuæ quippe beneficium stabat in eo, quòd Romani imperij Principem pium*

pium, religiosum, prudentissimumque nutrierat. Ipsius verò Æneæ vicissitudo reciproca, sic defunctæ curasse sepulchrum, vt post excessum æterna nominis eius memoria superasset.

Si Virtus est virilis in fœmina, (quia Virtus sexum ignorat) eandem meretur laudem, imò maiorem, quàm quæ reperitur in viro. Et sepulchro & honore prosequutus iam Æneas fuerat egregios duces, qui suis olim præclarè gestis res Troianas prouexerant: suæ Nutricis non oblitus, eundem illi honorem decernit, quem decreuerat & adstruxerat ducibus. Illam illis adnectit coniunctio *Quoquè.* 2

Sexum virtus ignorat.

Tu quoquè.

Quasi dicat; par virtus in fœmina atquè in viro, paribus est honoris insignibus prosequenda, non enim pro sexu, sed pro virtute. *Tu quoquè* digna es quæ illustrissimis ducibus coniungaris. Expendit acutè Donatus. *Fortassè aliquis putet impropriè caput libri constituisse Virgilium, quia dixit, Tu quoquè, cum ante versum, nullum nominare videatur. Hoc existimant, qui interiecta nesciunt retrahere; vt quod ad tempus separatum est, iungant; iste enim versus, (sublato medio de Inferis tractatu) Miseni exequijs iungitur: ab ijs enim discedens carminis cursus, ad easdem redit, & facit integram narrationem, vt rectè posuerit, Tu quoquè Melius autem apparebit hæc assertio, si vnde discesserit, repetamus.*

Iustus virtutis trutinator sit, Superior & Princeps.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaquè arma viro, remúmquè tubámquè
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumquè tenet per sæcula nomen.

Sequi debuit, Tu quoquè littoribus nostris &c Interposita igitur de Inferis carmina, quod vnum esse oportuit, diuiserunt. Sed & nunc vnum est, quia vnde se recessisse Poëta meminerat, remeauit, Ergo superioribus hæc nectens ait, Tu quoquè, quæ admiranda memoria videris, supremo in officio viris coniungi meruisti.

Multum se deberi professus est Æneas lacti, quod suxit, cum Nutrici sepulchrum, & Nutricis nomine portum Caietam consecrauit. 3

Multum lacti debes, quod suxisti.

Tu quoquè littoribus nostris Æneia Nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti, &c.

Vtriusquè meritum; vtriusquè præmium Donatus expendit: nam nutrius meritum cum memor agnoscit Æneas, Æneæ meritum est; & cum ei præmium adscribit, eiusdem ipse quoque consors est præmij. *Quid tam pulchrum, tamquè egregium* (ait acutus interpres) *quàm vt illic conderentur reliquiæ eius, & nutricis nomen excelleret, vbi, qui ipsius vberibus nutritus esset, fuerat cum posteris regnaturus? perindequè esset æterna vtriusquè memoria; scilicet illius semper per se, & per posteros imperantis, & illius perpetuâ sepulchri consecratione, celeberrima Æneia nutrix.*

Quod alteri beneficium præstas, & tibi ipsi præstas.

4 Cum Virtutis studiosus moritur, eius nomen & pietas meliori vitâ donantur.

Acutè Donatus expendit contra positionem illam vocum duarum,

Æternam moriens.

Si *moriens*, quomodo *Æternam?* Pulcherrimè sanè. *A contrario laudis augmentum est*, inquit; *tunc enim creuit eius nomen & fama, quando interuentu mortis potuit aboleri. Vnde factum est, vt contrarium naturæ, quæ fines hominum morte concludit, nominis saltem procuraret æternitas.*

5 Vel spolia virtutis honori & æternitati côducunt.

Ea est vis, & existimatio virtutis, vt vel eius spolia ad honorem & æternitatem omninò plurimum iuuent. Hæc vis, & existimatio videlicet littoribus, vbi iacet Æneæ nutrix, (quæ virtute vel ducibus & egregijs viris conferri meruit, vt suprà, ex interpretum mente, *Tu quoquè Sicut Misenus & Palinurus*, ait Seruius;) æternum nomen & honorem attribuit.

Æternam moriens famam Caieta dedisti.

Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaquè nomen Signat.

Vbi Donatus. *Honos tuus etiam nunc seruat sedem, hoc est, defertur illi loco contemplatione honoris tui, & sic custoditur eius integritas, vt semper maneat, & firmâ nominis æternitate perduret.*

6 Principum est, & ingenuorû grati animi memoria.

Tantum apud Æneam, verè ingenuum, verè Principem, grati animi memoria valuit, vt nutrici Caiêtæ (quantum in se fuit) æternitatem pro lactatione temporali attribuerit; vt ex suprà laudatis versibus constat. Regius animus æternum grati animi monimentum reliquit. Donat. *Ad Æneæ laudem procul dubio reuocatur, qui curauit, ne post altricis suæ vltimum fatum, totum sibi mortis eius exitus vindicaret. Vnde factum est, vt contrarium naturæ, quæ fines hominum morte concludit, nominis saltem procuraretur æternitas.* Cum in primo me vitæ limine lacte paueris tuo, consentaneum rationi non est, vt ego te post mortem sine vita relinquam. Tuum ergo æternitati consecro nomen, quantum huius duratio portûs permittet, quem tuo nomine signo.

7 Temporalis gloria, dici gloria non debet.

Caducæ gloriæ, & labiles, gloriæ non sunt. Ita sensit Æneas, cum nutrici Caietæ portum attribuit, cuius ille insignitus nomine, nutricis gloriam, & grati animi monumenta produceret.

Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaquè nomen
Hesperiâ in magnâ (siqua est ea gloria) signat.

Benè, *Si qua est ea gloria*, quæ cum ipso tempore extingui necesse est. Donatus. *Fecit Æneas, quod ad religiosa officia pertinuit. Sed cum omnis gloria, etiamsi vlla est apud homines, caduca sit, & habeat finem, quid profuit id fecisse, nisi vt satisfieret animo, qui religioso nutricis suæ tenebatur affectu?*

8 Piorû ossa, & nomê retinent, & honorem.

Piorûm exuuias nulla temporum series aut honore spoliabit, aut nomine. Vtrumquè retinent ad æternitatem. Ita Virgilius ad Caietam altricem Æneæ.

Et-

Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaquè nomen.

Tua adhuc ossa & honorem tuentur, & nomen; quod vtrumquè extingui non poterit, quia in virtutis exuuiis æternatur. Pulchrè Donatus rationem hanc admiratur & probat. *Mira ratio!* inquit, *Vt cum viuentium nomen vix inter homines valeat eminere, huius ossa per celebritatem nominis, perpetuis temporibus ac sæculis præferantur.*

Principum est, quæ beneficia memores aliis indulgent, & grati præstant, ostentare. Vides sodes quàm sedulus in erigendo nutrici suæ sepulchro Æneas fuerit; sed hanc grati animi sui memoriam, hoc gratitudinis monumentum suæ vbinam posuit? 9 Principum est grati animi sui memoriam ostentare.

Hesperiâ in magna.

Non in portu tantùm illustri, Caietano nimirum, sed in celebri etiam natione, hoc est *Hesperia in magnâ.* Zerda. *Ambitiosè dictum Hesperia in magna.* Sed quæ hæc ambitio? Præclarè Landinus. *Non solum dixit magna, vt distingueret Italiam ab Hispania, verum etiam vt ostenderet gloriam suam, vt non solùm vrbi nomen dederit, sed vrbi, in tam celebri natione constituta.* Principis itaquè ambitio fuit beneficij ostentatio *in magna Hesperia.*

Nobilis grati hominis animus non ad indubitata solùm progreditur, quò se gratum ostendat, sed experitur & dubia. Hùc prouecta Æneæ gratitudo est erga nutricem suam, vt ea etiam, quæ dubia esse putabat, exequeretur. 10 Grati hominis animus experitur & dubia.

Et nunc seruat honos sedem tuus, ossaquè nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.

Si qua est ea gloria, dixit, *Cum dubitatione*, inquit Zerda; *nam videlicet putabant veteres nihil funebrium pertinere ad defunctos.* Meam saltem hæc voluntatem testentur, si minus tibi proficua sint & vtilia iam mortuæ, quia experior & dubia. Ingeniosè Donat. *Cum nihil mortui sentiant, quod profuit id fecisse? sanè vt satisfieret animo, qui grato ac religioso nutricis suæ tenebatur affectu.*

Pius mos erat, vt viuentes mortuorum honori suffragarentur. Pius ergo superior Æneas abolere pietatem non debuit, sed fulcire: quamuis enim ipse non crederet aliquid ibi pietatis inesse, inerat tamen species pietatis, quæ dubium saltem animum relinquebat, *si qua est ea gloria*, dixit. Vbi præclarè Landinus. *Non temerè dubitat, an hæc gloria ad mortuum spectet; verùm Rex Æneas, quantum consuetudini, famæquè dandum sit, id curat viuus.* Pios semper mores Superior obseruet. 11 Superior pios semper mores primus obseruet.

Addo, cum de piorum morum obseruatione agitur, nimis non esse religiosè inquirendum cur, & quo illi inducti sint tempore. Pius mos est? hoc satis, diligentiori non eget examine, executioni mandetur. Pius omninò mos, mortuos viuorum iuuari suffragiis; dubitauit tamen Æneas, neque ideo illum aboleuit, aut respuit; inquit enim; 12 Scrupulosè inquirendũ non est de piorũ morũ inductione.

Ossaquè nomen

Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.

Landinus vbi suprà. *Dubitat, an hac gloria ad mortuum spectet; verùm Æneas quantùm consuetudini, famaquè dandum sit, id curat viuus.* Non in huius moris causas inquirit, sed consuetudini seruit, & famæ.

13 Quærit Seruius, quare tàm sedulus Troianus Dux, postquam ab inferis rediјt, in instruendo funere Nutricis suæ, & soluendis exequiis, vt ante ventis vela dare noluerit, quàm hæc perfecerit?

Pręuiso Superior detrimēto opportunus occurrat.

At pius exequiis Æneas ritè solutis,

Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt

Æquora, tendit iter velis.

Illam ait fuisse huius causam sedulitatis, quia redibat ab inferis; & suorum ibi mala cognouerat, qui insepulti iacebant; inter quos Palinurus ad ipsum,

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram

Inijce, námquè potes.

Nouerat malum, nouerat & remedium; præcauet ergo suorum detrimentum opportuno remedio; & cum primùm potest, iniecit Caietæ terram, & soluit exequias. *Benè interest funeri,* (Seruij verba) *postquam ab inferis rediјt.* Breuiter, sed non leuiter dixit.

14 Vix exequiis ritè solutis vela pandit ventis Æneas, cum placidam nauigationem sortitur; Auræ quippe aspirant, Luna lucem præbet ad cursum, pontus splendescit lumine accepto à Luna, æquora conquiescunt.

Felicitas quæuis pijs est actibus promerēda.

Alta quierunt

Æquora

Aspirant auræ in noctem, nec candida cursum

Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.

Hanc, inquit Donatus, felicitatem insigni Æneas pietate promeruit, quâ defunctis soluit exequias. Feliciter ille portu soluit, cum iusta soluisset. *Post curam Caietæ,* (Donati verba) *opportunitas nauigandi matura & commoda subinde successerat. Et metus omnis sic abfuit, vt etiam illustris Lunæ suffragium gratum faceret pelagus.* Nota verba illa, *Post curam Caietæ, subinde* &c. Præcessit ergo pietas felicitatem.

15 Si periculum amas, peribis in illo: Verè ac piè dictum. Si verò per imprudentiam illud incurras, fidelis Deus, cuius auxilio facilè euades. Carmen illud expendit in hunc sensum Donatus, cum à Troiano infestissima nautis

Quæ per imprudentiam pericula incurrimus, Numinis ope facilè euadimus; quæ spontè, non ita.

Proxima Circææ raduntur littora terræ.

Imprudens Æneas (ait) *vtpotè qui loca nesciret, ferebatur Neptuni suffragio; & circa loca, quæ nesciens incurrere potuisset, radebatur cursu prosperrimo.* Quia imprudens, ideò ferebatur indemnis Neptuni

tuni suffragio : ideò celerrimè *raduntur* infesta littora, quia illa inscius incurrerat.

Feras omninò sua fecit impietas homines illos, qui in facies ac terga ferarum finguntur à Circe potentibus herbis fuisse conuersos. Vide quas feras, 16 Ex hominibus feras facit impietas.

> *Hinc exaudiri gemitus, iraquè leonum*
> *Vincla recusantum, & serâ sub nocte rudentum,*
> *Setigeriquè sues, atque in præsepibus vrsi.*
> *Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum.*

Constat autem suâ illos impietate hùc esse infelicitatis adductos, quia Troiani, eò quòd pij, hæc monstra passi non sunt : nam sequitur,

> *Quæ ne monstra pij paterentur talia Troës* &c.

Vbi benè Seruius; *Ergo Impij, qui pertulerunt.* Et Donatus. *Pij fuerunt, inquit, nec debuerunt illis æquari, qui pro nefariis actibus eiusmodi supplicia perferebant.*

Omnésne Troës, qui sequebantur Æneam, pij erant? minimè 17 verò : *Sed Pios vocat* (inquit Zerda) *ab pietate ducis Æneæ.* Tanta vis est pietatis in Principe, in Superiore, in Duce, vt suis omnibus pietatis nomen, & emolumenta conciliet. Quæ emolumenta? audi; Superioris pietas multa suis emolumenta conciliat.

> *Quæ ne monstra pij paterentur talia Troës,*
> *Delati in portus, neu littora dira subirent,*
> *Neptunus ventis impleuit bella secundis,*
> *Atque fugam dedit, & præter vada feruida vexit.*

Vbi Donat. *Quanta ergo Troianorum felicitas fuit, vt, quia auræ impulsu leuiore nauigabant, repentinis ventorum flatibus, Neptuno iuuante, per loca aduersa opportunè transiissent?*

Tyberina intrat ostia Pius Æneas; Ecce tibi & elementa & volucres aduentum Troiano gratulantur; 18 Vel ipsa elementa hominis pij aspectu lætantur.

> *Fluuio Tyberinus amœno*
> *Vorticibus rapidis, & multa flauus arena,*
> *In mare prorumpit; variæ circúmquè supráquè*
> *Assuetæ ripis volucres, & fluminis alueo.*
> *Æthera mulcebant cantu, lucoquè volabant.*

Argutè Donatus; *Sic autem lætus fuit Pij Æneæ aduentantis ingressus, vt obsequi viderentur elementa, & aues quoque ipsa gratulari viderentur.*

Rectè ille qui dixit, *Obsonium felicitatis esse laborem*; Dulciora 19 quippe nobis accidunt læta, quæ post aduersa proueniunt. Post tot labores terrâ mariquè Æneas deductus, tandem ad Tybridis ostia, portum expetitæ felicitatis, Dulciora læta sunt nobis post aduersa.

> *Lætus fluuio succedit opaco:*

Non lætus solùm, quòd felicitate potiretur, sed quòd post labo-

rum congeriem felicitas accidisset. Eleganter Donatus. *Latus, inquit; Cur enim illo tempore non lataretur, qui factionem Iunonis inimica constantiâ & virtute superasset? Cur non lataretur visis tot augurys, ac signis futura prosperitatis sua? Cur non lataretur periculorum maris omni curâ depositâ.*

20 Cum ingreditur Italiam Æneas, ait, Virgilius,

Cõpendiosa laus nonnunquam illustrior.

Dicam acies, actósquè animis in funera Reges,
Tyrrhenámquè manum, totámquè sub arma coactam
Hesperiam. Vt ingredientem impediant. Vbi vides illustrissimum sanè Troianæ virtutis elogium; *Plena hac* (Ascensius ex Donatianâ paraphrasi) *seminibus laudum Ænea; quoniam tantâ coniurationem Regum paruâ manu superauit.* Fusius Donatus ipse. *Quanta igitur extitit Troianorum virtus in paucis, qui instructas acies hostium, & congregata multitudinis molem ferre primitùs, & dehinc euincere valuerunt? Ecce & hîc pluralitate vsus acies dixit, vt ostenderet etiam hoc non semel, sed sapiùs factum. Totámquè sub arma coactam Hesperiam: Generalis ista conclusio quantum Italorum metum significat extitisse, qui cum scirent paucos esse Troianos, non numerum, sed virorum fortitudinem timuerunt?* Compendiosior hæc laus, & sanè illustrissima!

21 In illa Carmina

Bona Reip. administratio pace prouehitur.

Rex arua Latinus, & vrbes,
Iam senior longâ placidas in pace regebat,

Ita Donatus. *Regebat quidem Latinus Italiam, non virtute, vtpote iam senex, sed longa pacis succurrente suffragio.* Facilis Reip. administratio est, si pax dominetur.

22 Expendit ingeniosè Donatus, cum Latinus sollicitus monstris est, & oracula consulit, vt, quid illa protendant, doceatur oraculis; Expendit, inquam, tunc à Marone *Regem* vocatum esse Latinum, non *Patrem*, qui Rex erat, & Pater.

Superior quiuis non suis, sed cõmunibus debet commodis prouidere, & consulere.

At Rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici Genitoris adit, lucosquè sub altâ
Consulit Albuneâ.

Non dixit, Consulit Pater, quid agendum de filia, cuinam illam destinent fata; Sed, *Rex consulit*; quia nimirum si, vt pater, consuleret, suis, & filiæ commodis, non communibus Reip. prouisurus videretur; Consulat ergo vt Rex, vt Superior, vt Reip. caput, vt propriæ suspicione vtilitatis longè amandata, & communi dicatur vtilitati consulere, & de suorum omnium commodis laborare. *Non dixit* (ait Donat.) *Virginis Pater, sed Rex; nam publci status, quàm filia, potior fuerat causa; non enim tunc de suscipiendo tantùm genero agitabatur, sed metus fuerat ex eo, quòd vates pronunciasset, magnam portendi populorum stragem.*

23 Sæculi rebus indormiat ille necesse est, & nesciat humana, qui

fami

familiariter agere cum Superis appetit, quæritquè diuina. Sacerdos ille, qui erat Deorum alloquio fruiturus, vide quid priùs fecerit,

Cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosquè petiuit.

Saculi rebus indormiat necesse est, qui familiariter acturus est cum Superis.

Instar defuncti hominis iacuit, inquit Donatus, & in pellibus cæsarum ouium iacuit, & sic rebus omnibus humanis ereptus somnos petiuit. (Salutarem illum somnum, quem defuncti hominis species, & animalium exutæ pelles, & mortis exuuiæ nobis indulgent!) Vide quàm salutares

Multa modis simulachra videt volitantia miris;
Et varias audit voces; fruiturquè Deorum
Colloquio.

Mortis spolia salutarem nobis somnum indulgent.

Acutè Donatus. *Pecudes sacerdos cadit, & earum stratis pellibus incubuit; ibiquè dormiens futura somniat, & ventura cognoscit; tantùmquè alto premitur somno, vt ad instar defuncti hominis iacens cum ipsis Dys sibi arbitraretur esse colloquium.* Addit deinde. *Auditurus enim Deos, & fabulas cum Numinibus habiturus, humanum sensum debet dormiendo nescire.* Sensum nesciat humanum, quisquis sensum aggreditur explorare diuinum.

In re grauissimâ noluit Latinus Rex aliorum credere sollicitudini, aut acquiescere curæ; ipse petiturus etiam responsa bidentes mactauit, quarum velleribus fultus iacuit, meriturus oracula. 24

Hic & tum Pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes;
Atque harum fultus tergo, stratisquè iacebat
Velleribus.

Tua tibi per te, non per alios curanda res est; grauis præsertim.

O verè Princeps, ô verè Superior, qui licèt Rex, & senex, totam egit noctem insomnem, iacuit in pellibus, orauit incœnatus, & nihil sibi de regia commoditate reliquit. Te Superiores omnes, bone Rex, hac in parte æmulentur, ô vtinam! In his versibus Donatus expendit vtrumquè. *Ergo non misit alterum, neque adhibuit aliquem sacris; in tantâ causâ tantum diligentiæ adhibuit, vt curaret vniuersa per se, nulli habens fidem plenam, exhibens officium & Patris, & Regis.* En primum; audi secundum. *Ecce quà peruenerat dignitas Regis propter expetitionis effectum, post plumam, post vestes ostro atquè auro fulgentes, plebeio more iacuit in pellibus, graui quoque earum odore contentus.*

Pro suorum commodis multum debet Superior de sua cômoditate deponere.

Si Deum oras ex debito, accipies ex voto. Iacens in pellibus pernoctat Rex Latinus, sacrificiis intentus, vt Fauni oracula promeatur; & ecce tibi 25

Subita ex alto vox reddita luce est.

Quod petebat, statim accepit ex voto. Annuit Faunus, & fauit Oraculo.

Si Deum oras, vt debes; accipies, vt cupis.

Ne pete connubiis natam sociare Latinis

O mea progenies, &c.

Vbi Ascensius. *Vox subita reddita est, propter meritum petentis.* Et Donatus. *Peractis solennibus subitò ex exalto luco reddita est vox; hoc est, nullâ morâ interpositâ ex interiore luci parte vox extitit, quæ suspensum instrueret consulentem.* Orauit ergo vt debuit, nam ille *propter meritum petentis*, inquit; hic, *Peractis solemnibus*.

26 Ad maiorũ laudem redundant res præclarè gestę nepotum.

Vel ex oraculo Fauni ad Latinum discere potes, res præclarè gestas nepotum ad immortalem maiorum laudem redundare. Sic enim ille de Ænea loquens,

> *Externi venient generi, qui sanguine nostrum*
> *Nomen in astra ferant; quorúmquè à stirpe nepotes,*
> *Omnia sub pedibus, quà Sol vtrumquè recurrens*
> *Aspicit Oceanum, vertiquè regiquè videbunt.*

Vbi benè Donatus. *Ecce quantis laudibus extollitur Æneas, vt ipse condat, quod cumulent posteri sui, quod vsque ad cœlum leuent, & dilatent imperando per omnia, quà solis radij, siderúmquè tenduntur.*

27 Vbi Regiæ personę nominantur, aliorum nomina comitantium tacenda sunt.

Non sunt in eundem numerum personæ Regiæ, & inferiores, (sint hæ nobiles licèt) conijciendæ; Regum nomina si exprimantur, inferiorum taceantur addecet. Hanc seruat œconomiam Virgilius, ex notâ Donati.

> *Æneas, primiquè duces, & pulcher Iulus*
> *Corpora sub ramis deponunt arboris altæ,*

Cum dicit primos duces Æneæ & Iulio ad epulas esse coniunctos, ostendit patrem & filium cæteris fuisse potiores. Nullum nominat, cum regias personas nominarit.

28 Et præstanti beneficiũ, & ei, per quem præstatur, te memorem præsta.

Et ei qui tibi præstitit beneficium, & ei, per quem præstatum est memorem te præstare debes & gratum. Hanc animi memoriam grati ostendit Æneas, erga Iouem, & Anchisen, cum expetita tandem ei felicitas contigit. Inquit enim lætus ad socios,

> *Nunc pateras libate Ioui, precibusquè vocate*
> *Anchisen genitorem.*

Vbi præclarè Donatus. *Intereà, antequam diei alterius actus aduentent, hoc vinum fundamus pateris Ioui, vel honorificas preces patri meo, duobus scilcet authoribus signi, per quod securi sumus effecti. Nam & qui iussit, & per quem iussa ipsa perlata sunt, in honore maximo primi esse debent.*

29 Optanda mala sunt, quæ felicitatis sunt seminariũ.

Optanda sæpè mala sunt, (non quæ culpam importent, sed quæ pœnam,) quæ felicitatis sunt seminarium. Sanè magnum fuit malum illud, quod Troiani passi sunt, scilicet famem, cum illos

> *Vertere morsum*
> *Exiguam in Cererem penuria adegit edendi;*
> *Et violare manu, malisquè audacibus orbem*
> *Fatalis crusti.*

Quod

Quod olim filio prædixit Anchises, vt longè præuisum malum minùs feriret,

> *Te nate fames ignota ad littora vectum*
> *Accisis coget dapibus consumere mensas.*

In hoc ergo malo cum esset Æneas, paternæ meminit prædictionis, quâ se non solùm malum præmonuit, sed simul etiam felicitatem, tunc futuram in malo, nunciauit.

> *Tunc sperare domos defessus, ibiquè memento*
> *Prima locare manu, moliriquè aggere tecta.*

Meminit inquam, & lætus ad socios,

> *Hæc erat ille fames, hæc nos suprema manebant,*
> *Exitiis positura modum.*

Præclarè Donatus. *Magna confirmatio animorum illorum, quos iste turbauerat casus, Fames ista, inquit optanda potiùs fuerat; quàm metuenda. Hoc positum est, vt signum potius videatur esse, quàm pœna. Quis non optaret mediam talem, quæ præterita mala propelleret, & securitatem plenam sponderet in posterum?*

Quàm fuit Æneas Superûm fauore prosequutus, cum adijt Italiam! Quàm illi & Iuppiter ipse & elementa arriserunt! 30

Superni nos fauores in humilitatẽ inducunt.

> *Hic Pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto*
> *Intonuit, radiis ardentem lucis & auro*
> *Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.*

Cum illum quasi manu duceret cœlum in Italiam, & annuentibus Superis eam habiturus esset, posset saltem efferri nonnihil, &, quin Reges Italiæ præmoneret, illam intrare, oppugnare, debellare. Non ita, animus illi in superbiam elatus non est, sed superno fauore ingenuè depressus Legatos mittit, & Legatos centum, cum muneribus ad Latinum Regem, qui veniam precarentur, & pacem exposcerent;

> *Delectos ordine ab omni*
> *Centum oratores augusta ad mœnia Regis*
> *Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes;*
> *Donáquè ferre viro, pacémquè exposcere Teucris.*

Quod ita Donatus expendit. *Licet fatalis terra esse constaret, in officiis primum Rex aduena Regem loci credidit aggrediendum. Neque eum in superbiam duxit successus ille (de quo tribus versibus suprà laudatis) quod fatis suffragantibus debebatur: misit Legatos centum, placituros & nomine legationis, & numero legatorum, & magis obsequia sua commendans ambitione multorum.*

31

Sapiens consilium est; vt altiorem prudenter regas dignitatis tuæ gradum, neque insolenter te geras, præteritæ humilitatis memoriam non abijce. Ita Sabinus ille, qui à falce vocatus ad sceptrum, etiam post mortem falcem non abiecit,

In altiori dignitatis gradu, tua tibi ob oculos versetu humilitas.

> *Paterquè Sabinus*

Viti sator curuam seruans sub imagine falcem.

Insolentiæ pestem extimuit, quæ in altiori positos dignitatis gradu solet inuadere, ideóquè falcem, huius contra venenum morbi, suis semper aspectibus esse voluit obiectam. Et viuus illam seruauit, & nunc mortuus sub imagine seruat. Acutè Donatus. *Seruans sub imagine sic accipiendum est, quòd sic sub imaginis suæ oculis fuit, vt perpetuam teneret, & ferentis aspectibus semper esset obiecta.* Seruat ergo Sabinus humilitatis memoriam suæ, etiam post mortem, obiectam simulachro suo falcem, vt omnibus documento sit, qui ex humili ad altiorem prouecti sunt gradum, humilitatis quisquilias abijciendas non esse, si insolentiæ ac superbiæ fastum velint auertere.

32 Vinosorum penè desperanda correctio est.

Argutè ludit in hanc Sabini falcem Donatus. Viti sator, inquit, Sabinus fuit, & vitibus, & vitium succo, quoad vixit, delectatus est; post mortem etiam voluit suam imaginem falce insigniri, vt testaretur omnibus, nec dum vitium amorem depofuisse. Ideo *Viti sator seruat sub imagine falcem.* Audi Donatum. *Seruans falcem, hoc est perpetuam tenens; & sub imagine, quia sic eam teneret, vt eius visu semper delectaretur, vtpote amator vitium.*

33 Gloriosi vt plurimum milites sũt, & iactabundi.

Ilioneus ab Æneâ legatus missus ad Latinum Regem, expende, quoties inculcet ab Ioue, Deorum maximo, Troianos ducere Originem.

Ab Ioue principium generis; Ioue Dardana pubes
Gaudet auo; Rex ipse Iouis de gente suprema
Troius Æneas.

Gloriosus nimis, & iactabundus, vtpotè miles. Notauit Donatus. *Eandem rem non semel, sed secundò & tertiò repetiuit; Miles quippe, nominans Iouem, quo nullus potior esset.* Ex Maronis ingenio, & prudentiâ, qui nihil frustrà.

34 Quæ Dei sunt, prima nobis cura esse debet.

Quæ prima legatis ad Latinum missis cura fuit? Deorum sedes, & cultus.

Dijs sedem exiguam patrijs, littúsquè rogamus
Innocuum, & cunctis vndámquè aurámquè patentem.

Vbi præclarè Donatus. *Quantâ laude talis petitor dignus! quantum pius & religiosus inuenitur, qui omissâ hominum interim causa, Dijs primitùs desiderat prouideri!* Expeditâ priùs Deorum causâ, cætera feliciter euenerunt.

35 Rem nostrã agimus, cũ Superũm causas expedimus.

Rem nostram feliciter agimus, cum Dei causam pro virili expedimus. Hanc Troiani oratores primam expediendam ambierunt, vt felicem res sua sortiretur effectum; Quod hoc in loco ingeniosè Donatus. *Si agendi artem consideremus, in vna petitione inuenimus & alteram. Cum enim dicitur Deos esse patrios, quis Numinibus tribuat sedem, cultore despecto? Vnde eò res redit, vt, Deorum factâ commemoratione, etiam hominibus sedes latenter postulata videatur.* Ars profectò mirè negociantium est, Dei causæ consulere,

vt tuæ consulas; habet enim illa felicē nexum cum tuâ necessarium.

Quid non humili petitione consequimur? Quid supplices petunt Troiani Oratores? exiguam sedem, littus innocuum, vndam, aurámque patentem, 36 Humili petitioni vltrà votum cōceditur.

Exiguam sedem, littusquè rogamus
Innocuum, & cunctis vndámquè aurámque patentem.

Humilis sanè parabilisquè petitio! Quid à Rege conceditur? Audi Regem,

Non vobis Rege Latino
Diuitis vber agri, Troiave opulentia deerit.

Optimè Seruius. *Est maior petitione promissio. Nam illi tantùm littus, vndam, & auram cunctis patentem petiuerant.* Quid prætereà? Æneas peregrino debitum petit hospitium, & Regiæ filiæ coniugium offertur. Sic enim Latinus ad Oratores,

Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostræ
Non patrio ex Adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt, generos externos affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant; hunc illum poscere fata
Et reor, &, si quid veri mens augurat, opto.

Donatus in versum *Talibus Æneadæ donis* &c. paulò inferiùs. *Quantùm hîc putamus gloriosam effectam legationem, quæ tantam lætitiam fuerat ad Æneam perlatura? Plus quippe est deligi generum, quàm suscipi hospitio peregrinum.*

Pulchrè quidem Donatus expendit vocem *Prætereà*, quam Troianus in Oratione ad Latinum Regem miscet Orator, 37 Magna proponit prætia, qui preces interponit.

Dat tibi prætereà (Æneas) fortunæ parua prioris
Munera.

Quid sibi vult *Prætereà*? quæ dona, quæ munera priùs oblata sunt Latino, vt *Prætereà* sequatur? Hæc enim vox alia supponit munera, cum sciamus nullum adhuc munus præcessisse. *Prætereà, importunè positum videbitur, quoniam nihil fuerat antè datum* (inquit Donatus) *si intellectus multorum interpositione non refertur.* Quem nodum ita soluit, vt dicat, vocem hanc *Prætereà* coniungendam cum versu illo, qui paulo ante præcessit, in quo Ilioneus ad Regē ipsum,

Troius Æneas tua nos ad limina misit.

Nos ad te Rex Æneas precaturos misit. Ergo *Prætereà* præcedentes supponit preces, & cum sequentibus connectitur donis. *Huius igitur aperiendi causâ, narrationis superiora repetamus*, (prosequitur Donat.) *retrahentes quæ narrationem diuiserunt; Troius Æneas tua nos ad limina misit, Dat tibi prætereà fortunæ parua prioris Munera. Ecce dictionis integritas: misit nos Æneas, vt rogemus te; prætereà dat tibi hæc munera quæ sequuntur.* Pluris facturus es nostras preces, quam nostra pretia; illæ enim primæ habendæ sunt; hæc, se-

 cundaria

cundaria, *Præterea.*

38 Plurimi æstimas, quod magno tuo periculo emisti.

Illa plurimi æstimare solemus, quæ magno nostro periculo emimus. Ex hoc loco Ilioneus plurimi æstimanda ea munera insinuat, quæ mittit Æneas.

Dat tibi prætereà fortuna parua prioris

Munera, reliquias Troiâ ex ardente receptas.

Inde munerum pretium est maius, quòd reliquiæ sint receptæ ex Troia ardente. *Commendat Ilioneus* (hæc pulchrè Donatus) *speciecrum merita: hæc enim sola de incendio eripi potuerunt. In maiori enim vi, cessante eligendi arbitrio, quod potuerit, rapitur. Parua ergo fuerunt ante interitum Troiæ, nunc pro magnis efferuntur. Quod Paruum dixit, satiat dicendo Reliquias esse*

39 Principibus fortuna sua vel senibus de longiori & fortunatâ vitâ blanditur.

Vel iam iam cessurus vitâ præ senio Latinus, sic ad Oratores Troianos.

Non vobis, Rege Latino,

Diuitis vber agri, Troiæuè opulentia deerit.

Nullam opulentiæ metam Troianis, & sibi nullam vitæ præscribit. Nunquam, inquit, vber diuitis agri, & Troiæ opulentia vestræ deerit vobis apud Latinum Regem. Sua illi fortuna vel maximè seni de longiori & felici semper vitâ blandiebatur. Anonymus non contemnendus in margine. *Neque opulentiæ terminum, neque sibi regnaturo præscribit.*

40 Princeps, qui vel in senio, mortis meminerit, rara auis.

Melius Donatus in hunc locum. *Pulchrè adiecit, me regnante, quoniam longæuus fuit, & memor esse debuit humanæ conditionis, cui omnes ætates subiectæ sunt.* Non id ergo, quod multi Principes, Latinus Rex, quos fortuna secunda extremi illius actus reddit immemores, & hac in parte stultescere facit.

41 Principû est in largitione beneficiorû & vtilitatē spectare & honorem.

Verè ille Principum more beneficia largitur, qui vtilitatem simul & honorem spectat. Huius notæ sunt munera illa, que Latinus Æneæ misit absenti,

Absenti Æneæ currum, geminosquè iugales

Semine ab ætherio, spirantes naribus ignem.

Vbi benè Donatus. *Currum & Bigam misit Regi, quæ fuerunt insignis honoris, atquè virtutis; honoris, vt ipso curru vectus cum dignitate veniret ad socerum; Virtutis, quia equi & currus bellorum instrumenta sunt.* Et ne quis putet leue esse munus à Rege iugales geminos, illorum excellentiam proponit,

Semine ab ætherio, spirantes naribus ignem.

Datur equis ipsis meritum (prosequitur idem interpres) *ne Rex in regno suo florentissimo positus leue quoddam misisse videretur, aut vile, & ei maximè, cui filiam suam dare cupiebat. Semine ab æthereo, ait, parum fuerat cœlestes esse dixisse, addidit spirantes naribus ignem flatu suo, qui significarent originem suam esse cœlestem: naribus quippe emittebant ignem.* Equi non multi, sed pretij non vulgaris. Regium verè munus!

A Rege regale munus fit.

Perpetes

Perpetes gessit cum Troianis inimicitias Iuno; semper, qua illis parte nocere posset, speculata illorum dolebat prosperis, lætabatur adversis. Vidit aliquando lætum Æneam, lætam Dardaniam classem, & vidit à longè, 42 Tua lætitia dolorem affert inimico tuo.

Et latum Æneam, classemquè ex æthere longè
Dardaniam Siculo prospexit ab vsque Pachyno.

Vide quanto animi dolore sauciet ur! *stetit acri fixa dolore,*
Tum caput quassans. Quia ille lætus, hæc dolet.

Illorum lætitia istius odij veteris dolorem renouauit. Donatus. *Quòd longè adhuc posita lætitiam Troianorum vidit, & doluit, signum fuit veteris & pertinacis odij.*

Donatus mihi videtur proposuisse sibi Venatricem Inuidiam, quæ feras fixura prodit in campum; feras, inquam, inuidos homines, qui de aliorum felicitate liuore tabescunt. Nullis illa parcit; nobiles Reges, & vel Deos ipsos, quos venerabatur Antiquitas, suo iaculo, figit. Virgilius de Iunone liuoris telo grauiter vulneratâ, 43 Inuidi, feræ sunt, quas venatur & figit Inuidia.

Stetit acri fixa dolore.

Ita acri fixa dolore est, vt *steterit*, vt mouere gradum, pedemvè nequiuerit, vt Inuidiæ iaculo cesserit præda, præda ceciderit. *Stetit*, (inquit Donatus) *non sponte, sed doloris morsibus fixa.* Inuidiæ telo factum est, vt vel nolens *steterit*, & ab Inuidia inflictum vulnus ingemuerit.

Irarum tuarum refricata & repetita causa flammas igni ministrat. Huiusmodi illa Iunonis repetitio, cum de Troianis feliciter Italiam appulsis loqueretur iratior. 44 Irarum causa repetita ignem igni ministrat.

Num Sygeis occumbere campis?
Num capti potuere capi? num incensa cremauit
Troia viros?

Vnum idemquè protulit, sed quod ter repetitum irarum excitaret incendia. Eleganter & ingeniosè Donatus. *Cum esset vnum, hoc Iuno misit in partes, vt multa gemere videretur. Capta est, inquit, Troia, & oppressa hostilibus copijs; ignis additus, vt quidquid armis absumi non posset, aboleret incendium; sed illos nec mucro pressit, nec captiuitas vinxit, nec ignis inuenit.* Hæc artificiosa repetitio quàm implacabilem in Iunone Æthnam excitauit! Sic illa paulò post.

Vincor ab Æneâ; quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod vsquam est: 45
Flectere si nequeo Superos, Acheronta mouebo.

Nulla pericula sunt obedienti pericula, illa intrepidus adit, illa euadit indemnis. Deorum iussu Troiâ euersâ excedit Æneas; iussit Venus, lib. 2. Obediens grauiora etiam pericula tutus ingreditur, & egreditur.

Eripe nate fugam.

Iussit Hector qui apparet in somnis,

Heu fuge nate Deâ, teque his, ait, eripe flammis.

Attende ergo illum, quàm per medios ignes irruat intrepidus? quàm per medios hostes feratur impauidus! Hoc aduersa Iuno, ad maiorem animi dolorem sui, considerauit intensiùs,

Medias acies, mediosquè per ignes
Inuenêre viam.

Inuênire viam, inquit, vt & facilitatem pariter, & securitatem significet evadendi pericula. Vbi pulchrè Donatus. *Per medias acies, perquè medias flammas, tanquam nihil obstiterit, tuti securiquè transierunt. Quod fuit felicitatis ipsorum, quos fata ducebant; vt abscessisse potiùs otiosè, quàm fugisse territi viderentur, Quod dixit medias acies & medias flammas, ibi maiorem cumulum doloris expressit. Magnum enim non esset flammarum terminos, aut fines exercitûs evasisse: è medio autem evadere, difficillimum.* Expende illam Donati periodum. *Quod fuit felicitatis ipsorum, quos fata ducebant; vt abscessisse potiùs otiosè, quàm fugisse territi viderentur.*

46 Iniquè Iuno insectatur Æneam, & quando (vt ipsa loquitur)

Illum, quem iniuste insectaris, vel insensibilia tuentur.

Absumptæ in Teucros vires cœliquè marisquè.

Abstinet ab innocentium sanguine Carybdis vasta, parcit innocuis Scylla, non nocent Syrtes, placido Tybris alueo fouet exceptos, & insensibilia illos ab iniuriâ tuentur immunes. De hac Iuno insensibilium placidâ (vt ita dicam) humanitate ac pietate conqueritur.

Quid Syrtes? quid Scylla mihi, quid vasta Carybdis
Profuit? optato conduntur Tybridis alueo.

Vocem *Mihi* expendit hîc Seruius. *Benè mihi; ac si diceret; quæ per suam naturam solent nocere, me rogante, minime obfuerunt.* Et pulchrè Donatus. *Ego illis, inquit, inevitabilia obieci, illa eos ad optata duxerunt, intantum, vt vlteriùs nec me timeant nec ponti minas formident. Per istiusmodi comparationem ostendit cumulum doloris sui, cum cerneret inimicos suos, superatis tot discriminibus terrenis ac pelagi, defendi placiditate fluminis.* Quid ni ab iniquâ oppressione vel insensibilium placiditate defendantur innocui?

47 Expende quæso quàm Auernalis illa sit Furia, quam sic Maro depingit, & advocat Iuno,

Vel ipsâ Furiâ Auernali peior est mulier irata & vindictæ appetens.

Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum,
Infernisquè ciet tenebris, cui tristia bella,
Iraquè insidiaquè, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odêre sorores
Tartareæ monstrum; tot sese vertit in ora:
Tam sæua facies, tot pullulat atra colubris.

Vbi Zerda. *Hanc Furiam tot malis scatentem, tot criminibus fœcundam ipse etiam Pluto, ipsæ Sorores odio babent. Ratio huius odij,* quia

quia ea in omnes malorum formas mutabilis est, & quantis opus ad omnia mala serpentibus pullulat. Ea videlicet est mali natura, vt mali quoquè illud oderint. Hanc ergo ipso Auernaliorem Auerno suis Iuno verbis & instruit & acuit.

Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur.

Huiusmodi monstrũ qui fieri potuit, vt instrueretur & auerteretur à Iunone?Ergo Iuno prior, quæ pessimam Auernalium Furiarum potuit acuere, & vehementiùs efferare. Ita sanè est; irata mulier & vindictæ auida vel ipsos potest instruere (vt ita dicam) Diabolos, verbis acuere, acriùs efferare. Acutissimè Donatus. *Acuebat hanc irata Iuno verbis suis, & instructionibus pessimis; vt mala Furia natura, persuasione loquentis deterior fieret.* Nota obiter, Satis aptum vindictæ instrumentum Diabolus ipse non est furenti fœminæ, nisi ab ipsâmet inflammatâ instruatur, acuatur.

Auernalis Furia apta satis vindictæ nõ est, nisi à fœminâ instruatur iratâ.

48 Flectere cum superos nequeat irata Iuno in Troianorum reliquias, Acheronta mouet, Alecto infernis ciet tenebris, cuius illa vi possit omnino Troianos euertere. Sed miror nullo eam artificio orationes vsam, nec præmuniuisse viam beneuolo exordio, sed iubendo incepisse,

Adularis pessimo, cui pessima iniungis.

Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem.

Expendit ingeniosè Donatus rude exordiendi genus, & incomem dictionem; in primo petitionis aditu ponit *Da mihi!* Quid hoc? Adularis pessimo, cui pessima iniungis, & præcipis. Nihil hoc artificio certius.

Ingeniosè Donatus. *Ecce Iuno non vtitur arte poscendi, nec subtilitatem quærit, nec petit aliquid fieri; sed iubet verbis imperatiuis: Da, inquit, hoc est, impende: quid enim petere debuit ab ea, quæ optabat inuenire, quod verteret?* Artificioso ergo vsa est exordio apud scelestissimam, scelesta iubendo.

49 Auernalis Furiæ partes ille implet, qui fraterno coniunctos vinculo separat, dissipátquè concordiam. Has Iuno partes attribuit Furiæ, quam exciuit ab inferis;

Qui fraterno iunctos vinculo separat, & cõcordiã violat, Auernalis est instar Furiæ.

Tu potes vnanimes armare in prœlia fratres.

Tu, inquit, potes, alius præter te, nemo. Hoc enim Dirarum officium est, quod exequi præter Diras Infernas nulla alia pestis potest. Præclarè Donatus. *Magna quippe vis est naturalem dissipare concordiam; & eos, quos vnus sanguis, idémquè vterus genuit, in exitium prouocare.*

50 Grauissima semper damna afferunt odia; Vita consumitur, animus sæpè perijt, dissipantur bona, familiæ extinguntur. Qui odia igitur seminat, horum est omnium reus. Talis illa Alecto est, ad quam Iuno,

Quid non mutuis euertitur, & dissipatur odijs?

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres
Atque odijs versare domos.

Domos & familias potes odijs euertere, atque ita euertere, vt nec parietes ipsi & fundamenta supersint. Ita Donatus. *Potes tantum immittere seditionum pondus, vt parietes quoque, atque ipsa fundamenta vertantur.* Odia vel florentissimas sæpè domos suo oppressêre pondere, & omninò extinxêre.

51 Si crimina seras, discordiarum cumulus pullulabit.

51 Vbi Iuno ad Alecto, *Sere crimina belli*, pulchrè Donatus. *Optimo verbo dictum est, Sere; vt ex ijs, quæ essent sata, alia rursum fœcundis excessibus pullularent.* Semen hoc vel incultis mandatum fundis centesimam consurgere solet in segetem.

Dirorum hoc proprium Dæmonum est; in multa nos simul mala conantur impellere. Hanc nouerat Iuno Furiarum naturam, atque ita monet Alecto,

52 Non vno nostro Dæmon contentus est malo in multa simul nos conatur impellere.

Sere crimina belli;

Arma velit, poscátquè simul, rapiátquè iuuentus.

Non solùm velit arma, sed poscat; neque poscat solùm, sed rapiat; atque ita non mente solùm, sed & verbis, & opere ipso iuuentus Itala irascatur in Teucros. Satis esset, si raperet arma; in Teucros satis, sed Furiæ & iratæ Iunonis furori non satis. Notauit Ascensius. *Sere causas & semina belli, vt Iuuentus velit, quod animo fit; & poscat, quod ore & verbo; rapiat simul arma, quod manibus fit, & exit ad opus.*

53 Auernalis Furiæ natura hæc est, vt si multa nobis detrimenta simul possit inferre, vno illa contenta non sit.

54 Quem iuuenilis ætas cogit in iras, sanguis retardet ingenuus.

54 Multos solet iuuenilis ætas cogere in iras, sed facilè ingenuo sanguine corriguntur. Quod accidit Regio iuueni Turno; nam cum hic Alecto, anum indutam, ętatis feruore cœpisset illudere, sanguinis nobilitas vitium ætatis omninò correxit.

Sed te victa situ, veriquè effœta Senectus,

O mater, curis nequicquam exercet,

Quam irridere intemperantiùs cœperat, statim *Matrem* vocat, & hac voce irrisionem temperat. Quod Donatus expendit. *Irrisio est aperta; nam primæuis familiare est, senes irridere. Sed religiosum Matris nomen iuuenis Regius adiunxit, vt illa minùs grauiter ferret.* Luxuriantis ætatis vitium nobiles animi correxerunt.

55 Superba solet esse victoria.

55 Præclarè Donatus approbat vocum illam coniunctionem *Victrix*, & *superba* in illo Carmine

Iunonem victrix affatur voce superbâ.

Vbi Virgilius loquitur de Alecto victrici ad Iunonem; Superba voce Iunonem affata est Alecto; quando? cum iam victrix euaserat. *Victoriam quippe superbia sequitur*, (Donati verba) *& tumores animorum vehementer extollit.*

56 Sera erroris agnitio vix veniam meretur.

56 Qui citò errorem agnoscit suum, meretur veniam; qui serò, non ita. Ita Rex Latinus ad Turnum.

Votisquè Deos venerabere seris.

Vbi Donatus. *Qui citò ab errore discedit, & malè cœpta maturè condemnat*

condemnat, potest mereri veniam; sera verò erroris agnitio agnitori fauorem non potest prouocare.

Magno in periculo versatus est Ascanius, Regius puer, in illo, post occisum ceruum, tumultu; non paulatim, neque per partes succursum ei est à suis, sed ab omnibus simul, 57 In principibus & superioribus defendendis incuria inferioribus esse nō debet.

Troïa pubes

Ascanio Auxilium castris effundit apertis.

Donatus hîc expendit vocem *Effundit. Rectè Effundit, nam in periculo Regij pueri non paulatim processum est ad auxilium, nec in partibus, sed simul omnes Troiani effusi sunt.*

Virgilius maximè exaggerat vltionis affectum, præsertim in fœmina, cum Iunonem dicit cœlo delapsum, vt Italos morantes impelleret in Troianos, de quibus sumere vindictam satagebat. 58 Vltionis auida fœmina nihil non postponit vltioni.

Tum Regina Deûm cœlo delapsa, morantes

Impulit ipsa manu portas, & cardine verso

Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Sibi cœlum cœlum non est, dum quærit vltionem: vel cœlum posthabet & postponit vltioni. *Fecit vltionis auida Iuno, quod non conueniebat Dea,* (inquit ingeniosè Donatus) *vt relictis cœli partibus veniret ad terras, & panderet sceleribus viam, atque in bello perituros vrgeret.* Vehemens nimis hic affectus est, qui in tam dira impellit extrema.

Ea vis est praui in persona publica exempli, vt pluriimos facilè trahat; qui licitum id esse putatur, quod à superiore committitur. Belli ferratos postes rupit Saturnia Iuno; ipsa prima manum operi admouit, 59 Prauum superioris exemplum ceteros trahit.

Impulit ipsa manu portas

Hoc prauo statim exemplo totam secum traxit Italiam; nam sequitur,

Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis antè,

Ascensius breuiter ex Donatiana paraphrasi. *Ecce quantum potuit factio Iunonis! Faccion de superior gran fuerza tiene.*

Cum morantes videret Italos in inferendo bello Troianis, ipsa violenter illos impellit in arma, & belli ferratos rumpit postes, portasquè recludit. 60 Aut superiorem, aut nobilem dedecet maximè pertinax ira.

Impulit ipsa manu portas, & cardine verso

Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Vel effrænem Iunonis iram R interiecta his vocibus abundè significat, cum littora hæc *Canina* dicatur. Notauit indecentiam Donatus. *Iuno impulit, quod non decebat. Ergo ostenditur pertinax inimicitia. Neque aperuit solùm, sed euertit portas, & euertit à cardine*

Existimabant Rustici illi, qui contra Troianos arma fabricaturi, vomeres & falces, & aratra in enses & bellica instrumenta conflarunt, 61 In quo no-

strum quærunt, sic vltionem posse satiare suam, & tunc maximè vltionem satiabant alienam, cum culturæ subsidia consumerent, & suum iam inde præuenirent interitum.

Stram quærimus vltionem, satiamus alienā.

Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor, patrios recoquunt fornacibus enses &c.

Eos amentiæ conuincit Donatus. *Ecce qualis amentia vniuersorum agrestium fuit. Sic omnium culturarum subsidia consumebantur, vt præsagio quodam, omnium iam monstraretur interitus, & apparet eos ad aruorum exercitium nunquam esse redituros.* In suam ipsi perditionem ruebant, qui quærebant alienam: sibi ruinam moliuntur, cum temerè putant se alienam moliri.

62 Ascensius ex decurtata Donatiana paraphrasi aliam ingeniosam in hæc Carmina commentationem adducit; Amentiam nimirum amentissimam esse, quæ ad vitam instrumenta conducunt, in perniciem vitæ vertere. *Ecce qualis amentia vniuersorum agrestium, vt instrumenta vitæ profutura, in perniciem vitæ verterent.* Aratra, falces, & vomeres, quorum vsu vitam alebant, in gladios conflant, quibus iugulentur, & pereant.

Amens ille est, qui instrumenta vitæ in perniciem vitę vertit.

63 Patriæ causâ & boni publici arma sunt arripienda. Hoc nobis significauit Maro in illo Carmine, vbi Latini,

Causâ solius boni communis arma sunt arripienda.

Recoquunt patrios fornacibus enses.

Enses patrios dixit, non suos. Quod ingeniosè Donatus. *Patrios, inquit, non suos; tanta enim ciues pace vti deberent, vt armorum strepitus & tubarum clangor omnibus esset incognitus.*

64 Mezenzius primus est, qui, cum primum ad arma conclamatum est, armatur in Æneam; Quis Mezenzius? lib. 8.

Impius facilè armatur in piū.

Contemptorquè Deûm Mezenzius.

Quis Æneas? *Deorum cultor.* Rectè ergo primus Mezenzius Impius insurgit in Pium.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor Diuûm Mezenzius.

Pulchrè Donatus expendit vocem *Primus.* Primus nimirum ille contrà pium Æneam initurus erat bellum: antiquum enim est impietati cum pietate certamen. *Benè Primus* (Donatus ait) *quia contemptor eorum Deorum, quibus authoribus Æneas in Italiam venerat.* Seruius apertiùs. *Non mirum, si & contemptor Diuûm & sacrilegus Mezenzius contrà pium primus arma corripuit.* Et in vers. 7. lib. 8. idem Interpres; *Quis enim iustiùs, quàm sacrilegus contra pios & præpararet bellum, & gereret?*

65 Præclarè Donatus adiectiua illa *Primus* & *Asper* congruenter posita esse notauit: Et primum effectum esse secundi. *Ideo primus,* inquit, *quia asper*; quia, qui asperi naturâ sunt, primi solent esse in quouis tumultu.

Qui asper naturâ est, primus solet esse in tumultu.

66 Inde sæpè nostrum emergit dedecus, vnde ambimus honorem.

Prodit

Prodit in bellum contrà Troianos,

Satus Hercule pulchro Pulcher Auentinus;
Collis Auentini siluâ quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit auras,
Mista Deo mulier.

Inde tuum dedecus emergit interdum, vnde honorē petebas.

Nothus ergo Auentinus fuit. Paternum insigne clypeo præferebat, centum nimirum angues, & Hydram serpentibus cinctam,

Clypeoquè insigne paternum,
Centum angues, cintámquè gerit serpentibus Hydram.

Heus tu Iuuenis, inquit Donatus, vbinam materna sunt stemmata? paterna præfers, materna abijcis, cum vel vtraquè præferenda in bello sint, vel vtraquè abiicienda. Te nothum esse, & ignobili natum matre constat & turpi. Ergo cum tuum ambis honorem à Patre, dedecus tibi emergit à matre; & vbi quæris gloriam, expiscaris infamiam. *Gloria causa* (Donati verba) *Hydram, insigne paternum gestabat in clypeo, vt hoc signo filium se Herculis demonstraret; sed ludibrium matris hoc genere prodebatur.*

Qud non vincit vsus? Fœmineum vicit sexum Camilla, quæ à primis annis, non colo assueta vel calathis, sed prælijs & cursibus. 67 Vsus naturā superat.

Non illa colo, calathisve Mineruæ,
Fœmineas assueta manus; sed prælia virgo
Dura pati, cursuquè pedum prauertere ventos.

Nunc agmen agit equitum, & florentes ære cateruas ducit.

Aduênit Volscâ de gente Camilla
Agmen agens equitum, & florentes are cateruas
Bellatrix.

Vbi Donatus. *Advênit Camilla, fiducia videlicet non sexus sui, sed exercitationis; cum ea sexu asset, qui alienus esse à bello debuerat. Incipit asserere poëta posse vsum superare naturam.* 68 In suis Deus validiori oppugnatione, validiora etiam præbet auxilia.

Vbiquè in Æneide oppugnatur Æneas; nullibi acriùs quàm in lib. septimo: nullibi etiam validiora ille experitur auxilia. Expendit Donatus & acutè & fusè hanc cœlestis Numinis naturam erga mortales in Æneâ, ad huius libri calcem. Eius proponam verba. Vide oppugnationem. *Æneæ felicitati inuidens Iuno, defectus suos evidenti dolore confessa etiam inferos mouet; vocauit Furiam, hanc adversus homines, Deorum voluntate munitam iunxit partibus suis quâ ministra apponitur mater Lauiniæ per fraudem, quæ fidem promissæ affinitatis everteret, scilicet cum offerret alterum generum, diuitem, regium, atquè formosum, Sed hæc non potuerunt Latini mentem commouere. Excitatus est Turnus in bellum, exciti Reges innumeri, Prouinciæ quoquè & gentes, asperæ, bellicosæ, feroces, & multitudinis fiduciâ truces.* Quid valentius contra Æneam potuit armari, quàm tempestas hæc ex Auerno ipso ex Regia Latini, ex gentibus, ex prouincijs, ex Regibus, bellicosissimis omnibus, & numero &

 virtute

virtute ferocibus, Ipsa Deorum Regina Iunone omnium iras mouente, concitante furorem? Sed audi ad validissimam oppugnationem validissimum auxilium adiunctum à cœlesti Numine, ne oppugnatus fortè deficeret. *Vt venit ad Italiam Æneas auspicijs diuinis susceptus est, blandientibus omnibus elementis; sereno cœlo, placido mari, ventis silentibus, luce crescente, sole mundo, aurora fulgente, secundo fluminis cursu, etiam ipsis auibus latis, nemoribus quoquè ocium securitatemquè spondentibus. Quo tempore emerserunt apes, genus animalis asperum pro se, & aduersus eos, quos senserint inimicos, generans mella & examinum infinitam prolem; flammatum est quoquè Lauiniæ caput, sed illud lumen potiùs, quàm incendium fuit. Responsum est vocibus Vatum venturum virum admirabilem, cui Italiæ totius deberetur imperium. Ecce aduentûs eius non homines nuntij fuerunt sed Dij. Consultus Faunus super deligendo genero multos petitores respuit; spondens venturum, cuius reuera coniugio Lauinia deberetur. Deinde ab ipso Latino Rege libenter exceptus est, & vxor ei oblata potiùs, quàm petenti concessa. Prælatus est ciuibus multis virtute, genere, pulchritudine corporis, fortunaquè præstantibus.* Quid potuit his auxilijs excogitari valentius, cum vrgerent aduersa, quibus nil videbatur excogitari acriùs, & vehementiùs potuisse? Hæc totius huius septimi libri ingeniosa est epitome, & synopsis acuta, quam Donato debemus.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER OCTAVVS.

ALIQVI Interpretes, inter quos eruditissimus Zerda, Carmen illud, 1

Vtque acres concussit equos, vtquè impulit arma,

Ita explicant, vt dicant suos Turnum equos concussisse, sua arma impulisse: quippe qui Dux omnium omnibus proponeretur virtutis exemplar; quo præeunte, cæteri difficillima quæquè aggrederentur in armis. Vberior Seruius: *Quidam sanè suos equos, & sua arma de Turno tradunt.* Non compendiosa minus, quàm efficax ducis est adhortatio, qui ad ardua quæquè præcedit exemplo. *Ita videlicet ad bellum Duces se ipsi acuebant* (ait Zerda) *militari procursu*, vt suos etiam acuerent. Lege apud illum huius notæ pulcherrima exempla, Nota 6.

Si præcedat Superior, facilè cæteri difficillima quæque aggrediuntur.

Summa profectò Æneæ laus fuit (expendit Donatus) quòd eæ res, quæ Æneæ hostibus fiduciam possent afferre, metum intulerint. 2

Magna tua

laus est, si quod in te fiducià hostibus deberet afferre, inferat metum.

Quis externum, naufragum, nouum, nullis fretum subsidiis non contemnat? non exsibilet? non despuat? huiusmodi tamen virum omnis Italia, tot Duces, tot populi extimescunt.

Extemplò turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, sæuitquè iuuentus
Effera. Ductores primi Messapus & Vfens,
Contemptorquè Deûm Mezenzius vndiquè cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.

Accedebat illud, quod magis laudes eius extolleret, vt Italia omnis, tot Duces, tot populi, tanta vniuersorum conspiratio, rebus suis, cum ipsa subsidiorum mole, diffiderent; cum peregrinum, naufragum, nouum, ac nullis in ea regione familiaritatibus fretum contemnere armata multitudo debuisset. Hæc Donat.

3 Prudens virorum electio plurimum valet in bello.

Non dubium est, quin plurimum valeat in bello prudens virorum electio. Talem probat Seruius in Messapo, Vfente, & Mezenzio, qui duces electi contra Troianos,

Ductores primi Messapus & Vfens,
Contemptorquè Deûm Mezenzius, vndiquè cogunt
Auxilia.

Bona (inquit) *electio personarum ad delectum habendum; vnus equus bonus, id est Messapus mittitur; alter pedes egregius, id est Vfens; deinde quis iustiùs quàm sacrilegus contra pios & prepararet bellum, & gereret?*

4 Qui Deum non timet, pium hominẽ solet interdum extimescere.

Contemptor Deorum Mezenzius erat, quos neque reuerebatur, neque timebat, pium tamen Æneam ita extimuit, vt sumpserit arma, auxilia coëgerit, & se bello ducem contra Troianos professus sit. Pulchrè Donatus. *Magna laus Æneæ, vt Mezenzius contemptor Diuûm aliquando inuenerit quem timeret.* Præsagiebat sanè piæ dexteræ ministerio iugulandam esse impietatis insaniam.

5 Auernalis est Furiæ omnes simul turbare socios.

Præclarè Landinus, & ingeniosè, in illo loco,

Simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium

Expendit voculas illas *Simul*, & *omne*. Vnde, ait, tanta potuit prouenire turbatio, vt *omnes* & *simul* coniurarent, nisi ab Auernali Furiâ, quam euocatam Erebo Iuno produxit? *Omne simul* (verba Landini) *quasi dicat, eodem tempore omnes: quod nisi Furiæ opera factum non esset. Qui enim potuissent omnes eodem momento tantoperè commoueri nisi Furiæ impulsu?*

6 Antiquus hostis lynceis te oculis inspectũ habet.

Qui à Latinis ad Diomedem legati mittuntur, vt de Æneæ aduentu in Italiam antiquum Troianorum hostem edoceant; & vt auxiliaribus armis obstet ingressuro, Latinóquè ac Turno suppetias ferat, ita subinferunt,

Quem, si fortuna sequatur,

Euentum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

Vbi Zerdæ explicatio necessaria est. *Hoc Diomedi erit manifestius, vt qui diu cum Troianis pugnauit; quàm Turno aut Latino. Nam certum est, quid Æneas his cœptis struat, quem cupiat esse pugnæ euentum, aspirante fortuna; non profectò alium, quàm toti Italiæ dominari, ac proinde nec Diomedem tutum esse in Apulia.* Expendit hîc Pomponius Sabinus verba illa *Manifestius ipsi. Aiunt* (inquit) *Diomedem, qui antiquus hostis, melius nosse. Qui hostis est Troianis, melius ipse cognoscit Diomedes, quàm nos.* Nam antiquus hostis linceis oculis aduersarium habet inspectum.

Profitebantur Latini Duces maxima se in formidine positos, cum & ab exteris auxilia conquirere, & ab agrorum cultura colonos coguntur abducere. 7 Grauis tibi metus est, cum etiã ab exteris quęris auxilia.

Vndiquè cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium.

Non frustrà singulorum nomina posuit; ostendit enim, excepto timore plebis; etiam in ipsis ducibus, in quibus præcipua virtus existeret, maximum fuisse terrorem. Nam qui auxilijs cogendis operam dabant, & nec ipsos quidem inermes esse patiebantur cultores agrorum, proculdubio quòd formidinem animo gererent, euidentissimè profitebantur.

Quando vel est, vel instat commune malum, vel qui mutuas gerebant inimicitias, facilè, vt illi obstetur, conciliantur. Ab Ænea imminet bellum Italiæ, statim externum hominem, & inimicum fortasse Mezenzius & Turnus sibi conantur in belli societatem per legatos allicere, Itali Græcum, qui nuper in Italiæ partes regnaturus aduenerat. 8 Inimicos adducere in concordiam solet commune malũ.

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium, &c.

Præclarè hîc Zerda. *Qui petat auxilium, nempè à Græcis, qui diuersi à Latinis genere & moribus. Sed ideò quia vtriquè genti vnus hostis imminebat.* Adducit deinde Simocattæ locum lib. 3. Hist. cap. 5. qui ita ait. *Communia mala in concordiam adducunt eos, qui diuersi sunt.* Additquè ex ipso Simocatta, sæpè fieri conspirationem ab illis, *quos discernit genus, lex, lingua.* Consule Notam 4. fol. 170. in illud *Gens eadem* &c.

Quò non pertrahit sanguis & caro? quò non impellit? in vtramvis partem vim habet sanè quàm maximam. Expendit Seruius vocem *Dardanio*, quam legati ad Diomedem. 9 Caro & sãguis in quãcũquè partem vim maximam habet.

Viro se adiungere gentes
Dardanio

Non dicunt *Externo Duci*, non *Æneæ*, vel quid simile, sed *Viro Dardanio*, qui sanguinem ducit à Dardano, à quo Dardano Itali trahere dicebantur originem; quæ ratio efficacissima erat, vt quem petebat Æneas, res sortiretur effectum. *Benè* (ait Seruius) *non Ænea dixit, sed Viro Dardanio; vt non sit mirum, si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum: vt Hinc Dardanus ortus, Huc repetit* Et Zerda in hanc rem. *Quasi Itali se adiungant, non tam Æneæ Troiano, quàm viro Dardanio; videlicet agnoscentes post longa sæcula primos Dardani ortus, qui fuit Italus, atquè ita velint ex suo semi nio Regem, non Græcum aliquem, & externum.*

Tibi congressus cum illo recusándus non est, quem semel superasti.

Congressus cum illo nobis recusandus non est, quem semel superauimus. Sic *à facili* Venus persuadere nititur Diomedi, vt cum Ænea, qui Italiam appulerat, congrediatur, quem iam inde in Troiano bello Diomedes ipse vicisset. Ita Donatus explicat emistichium illud,

Aduectum Æneam classi

Æneam nominat; quasi dicat; Æneas ille, quem tu semel vicisti, facilè iterum poterit tuâ dexterâ comprimi & ferro. *Æneam, inquit,* (ait benè Donat.) *quasi quem vicerat in bello Troiano; ne desperet nunc de victoria.*

11 Vel hostis nomen hostem irritat.

Volebat venulus Diomedis animum irritare in Æneam, & in auxiliaria arma contrà Teucros impellere; nihil præsentius ad persuasionem duxit, quàm hostis antiqui nomen semel iterúmquè exprimere; *Æneam* nominat, & *Dardanium* appellat; *Æneam,* vtpote quocum acerrimè singulari certamine sit congressus ad Troiam: *Dardanium*, nam & gentem Troianam oderat vir Græcus, *como Moros y Christianos*. En primum.

Advectum Æneam classi

En secundum, *multasquè viro se adiungere gentes Dardanio.*

Vbi Donatus. *Quod Æneam dixit, & Dardanium addidit, non vacat; admonere enim voluit Diomedem veteris odij.* Æneas Diomedi, Græco Dardanius, hostis hosti quod animo non immittat amarum fel? quas non iras irritet?

12 Inter prima Ducis partes est, artes & fallacias noscere hostiles.

Hanc etiam Ducis strenuissimi partem suo Virgilius attribuit Heroi, vt hostiles artes & fallacias nouerit, quæ in Duce maximè est necessaria.

Talia per Latium, quæ Laomedontius Heros
Cuncta videns, &c

Laomedontius hic aptius (ait Zerda) *quàm Dardanius, aut quidvis aliud, vt innuat callidum Æneam vigilantem & prudentem ad motus omnes Turni.* Nota *enim est prudentia Laomedontis.* Sed grauiter & ingeniosè Donatus. *Cuncta videns, idest, planè considerans omnia, & habens comperta, ac manifesta. Quod ait Cuncta, illud exprimere*

primere voluit, Ex illis, quæ per diuersa agitabant, nihil Æneam latuisse. Laomedontium dixit, astutum, callidum, vigilantem, & respondentem virtutibus Laomedontis. Et re verâ hæc prima sollicitudo est in ratione bellorum, vt vnusquisquè intelligat, quid hostes agant, quid innouetur. Hæc igitur Æneas sic nouerat, vt eadem ipsa non solùm audisse, sed vidisse videretur. Ita omnes actus diuersæ partis inuestigando collegerat. Ideò ergo *Laomedontius*, quia cuncta videbat, quæ ab hoste tractabantur.

Inter hæc Æneas magno fluctuabat æstu curarum de futuro euentu valdè sollicitus, 13 Curarum æstus Dei voce sedantur.

Magno curarum fluctuat æstu.
Tristi turbatus pectora bello,

Sed hi curarum æstus vide quàm facilè Dei Tyberini voce sedantur, qui in ripa dormienti apparet Æneæ.

Tunc sic affari, & curas his demere dictis.

Dubitari non potest (ait Donat.) *quantum detur Æneæ successibus, vt affatibus Dei præsentis omnis eius cogitationum remoueretur acerbitas.*

Æstuabat Æneas, fluctuabat animus, quid potissimum consilij caperet, dum in ipsum & suos 14 Inter labores inuenitur Deus, non inter delicias.

Simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, sæuitquè iuuentus
Effera.

Congeries tandem illum laborum simul & somnus oppressit; procumbit in ripa, sub Ioue frigido.

In ripa, gelidiquè sub ætheris axe
Procubuit, serámquè dedit per membra quietem,

Nihil non vides in Duce cum graui labore coniunctum, siue illum interiùs, siue exteriùs inspicias. Miserum hominem dicas, quem tot vndiquè mala circundant. Sed ecce tibi has inter ærumnas inuenitur Deus, & felicissimè satiat vota fluctuantis.

Huic Deus ipse loci fluuio Tyberinus amœno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus, &c.
Tum sic affari & curas his demere dictis.

Illices Deo Tyberino labores fuerunt, quibus tunc vrgebatur Æneas. Ideò tanta illi felicitas contigit, ait Donat. quia non delicias quærebat, sed de auxiliis & suorum salute anxiè cogitabat, *Ecce felicitas cogitantis! Dormit autem auxilia potiùs, quàm delicias quæsiturus.* Addit deinde idem interpres, expendens verba illa *Deus ipse visus. Tunc Deus ipse fluminis præsens visus est dormienti; non occultus aut dubius, nec aliter, quàm fuit, apparens.* Quid est *Tunc?* dum corpore simul & animo conflictatur Æneas: nam *in rubo* (quod aiunt) *Deus.*

Et corporis laboribus, & molestiis animi premebatur Æneas; ibi geminatæ illi felicitates obueniunt; quod ingeniosè quidem 15 Labores pa-

tienti geminatæ felicitates obueniunt. Donatus expendit. *Habuit* (inquit) *Æneas vltrà quàm sperabat maximum meritum, quem leuabat somnus, leuabat & somnium.* Vtriquè hominis parti, & corpori scilicet & animo leuamen indulgetur à Dijs, Somnus corpori, Somnium menti. In vtroquè homine Troianus patiebatur, angores animo, labores corpore; in vtroque etiam homine recreetur, corpus somno, somnio animus reficiatur: nam ibi per somnium de felici suorum euentu à Tyberino Numine certissimo præmonetur oraculo.

Nec vana putes (inquit) *tibi fingere somnum.* Et deinde,
Haud incerta cano.

16 Qui suorũ commodis Superior inuigilat, felici gaudet euentu. Aliud hinc tibi sit documentum: Qui suorum commodis Superior inuigilat, dignus efficitur, qui felici semper gaudeat euentu, & vel somnum & somnia sibi & suis proficua esse lætetur. Huius bonæ notæ Superior Æneas, *Quem leuabat somnus, leuabat & somnium.*

17 Facienti quod in se est, diuinum adest auxilium. Facienti, quod in se est, suum nunquam Deus subtraxit auxilium. Sollicitus Æneas, de belli, quod grauissimum imminebat, euentu, plurima secum consilia versabat, quâ potissimum parte felicius expediretur.

Curarum fluctuat æstu
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partesquè rapit varias, perquè omnia versat.

Nec labori vigiliisquè pepercit, vt faustum tandem res posset euentum sortiri. Quî poterat huiusmodi homini opportunum à Deo auxilium non adesse?

Huic Deus ipse loci fluuio Tyberinus amœno
Visus.
Tunc sic affari, & curas his demere dictis.

Hoc à Landino documentum habes. *Ostendit, Numen ijs, qui pro virili periculis resistunt, nunquam abesse.*

18 Quæ Dei causâ nobis sunt curæ, demuntur à Deo. Curas tibi Dei causâ susceptas demet ipse Deus, & cumulatissimo fructu rependet. Quot vrgebatur Æneas de communi suorum vtilitate distractus?

Magno curarum fluctuat æstu.

Has Troiano curas iniectas à Deo, & Deorum causa susceptas demit ipse Deus, qui

Tunc sic affari, & curas his demere dictis.

Ingeniosè Donatus. *Hoc autem ei demebat Deus ipse; quare? quòd eum importunis cogitationibus pro suorum salute* (hæc Dei causa est) *vexari cognouerat.* Quas Deus inijcit curas, ipse eximit Deus.

19 Non cedit periculis inuictus animus. Talis debet esse Imperator, & Dux, & Superior, cuius animus magnitudini periculorũ minimè cedat. Esto, fluctuet, non tamen cedat: excogitet, & discutiat quæ melior, quæ deterior sit pars, at non succumbat. Inuicti animi hæc nota est; Talis Æneas, qui quamuis

Magno

Magno curarum fluctuat æstu,
atque animum *In parteſquè rapit varias, perque omnia verſat.*

Non tamen ceſſit. Quod expendit Landinus. *Non cedit periculorum magnitudini inuictus Æneæ animus; ſed quo pacto pericula declinet, omni curâ cogitat.*

Diſtractus curis ſomno tandem capitur ad Tybridis ripas Æneas. 20

Qui in periculo constituti dormiunt, pecudes ſunt.

Non erat, & terras animalia feſſa per omnes
Alituum, pecudúmquè genus ſopor altus habebat.
Cum pater in ripa, gelidiquè ſub ætheris axe
Æneas, triſti turbatus pectora bello
Procubuit, ferámquè dedit per membra quietem.

Dormiant alites, dormiant pecudes, & alto ſopore teneantur; at Æneas qui in tanto eſt periculo, peruigil ſit, quoad vſque vel renuenti ſomnus obrepat, & in ſeram quietem illum cogat in ripa. Pulcherrimè Donat. *Nihil cogitantibus, & nullâ curâ diſtentis aderat noctis tempus, quod ſomnum ſuaderet, & requiem; ſed Æneæ aliud aſſignat, vt fecerit, quod homo, & fecerit, quod ſollicito congruebat. Cum, inquit, cuncta animalia ſomnus habuiſſet, ac pleno otio requieſcerent, ſolus Æneas per aliquam partem noctis peruigil fuit. Sed vbi vicit natura vigilantem, & reſiſtentem ſuperauit, non quæſita ſunt tecta, nec procuratus eſt ad delicias torus; ſed ſub nudo æthere, atquè in fluminis ripa, hoc eſt, vbi pro ratione temporis & loci frigus ſupererat, & pruina. Procubuit ſuper, corpus quieti conceſſit, ſerum capiens ſomnum, hoc eſt, tardum: quod proculdubiò faciunt ij, quos ſollicitat ſalutis cura; nec voluit primo veſpere in lucem vſquè dormire.* Longiuſculè, ſed pulcherrimè.

Superior commoda ne quærat ad quietem.

Expendit Landinus vocem *Rapit* in carmine illo, vbi curis diſtentus Æneas, animum 21

In parteſquè rapit varias

Vis ingenij oſtendit in verbo illo *Rapit.* Neceſſe eſt enim vt & ingenio valeat acri Imperator, & qui aliorum Dux & caput conſtituitur. Non illius iaceat ingenium, ſed acri examinatione omnia diſcutiat. Rapitur Æneæ animus in varias partes, quippe qui imperatoris & Superioris munus ſuſtineret. Hæc inter præcipuas eſſe debet Superioris virtutes. *Tanta erat vis ingenij* (Landini verba) *vt eodem penè momento, per quæcunquè, quæ aut ad rem facerent, aut rei aduerſarentur, raperetur, eáquè diſcuteret.*

Vis ingenij in Imperatore requiritur.

Opportunè Virgilius, cum Æneas naturali neceſſitate compulſus, capitur ſomno, verbo *Procubuit* vſus eſt. Declarat enim huius vocis ſignificatio nullis Æneam peperciſſe vigilijs, vt conſuleret ſuis. Talis debet eſſe Superior, qui vel neceſſario ſibi ſomno detrahat, vt ſuorum ſaluti, commodiſquè prouideat. Vincatur neceſſe eſt naturali neceſſitate, non tamen iaceat ſponte; *Sea à mas no poder.* 22

Nullis parcere vigilijs debet pro ſuorum ſalute Superior.

Proh Deus! huius notæ quàm pauci! Ita explicat Landinus. *Quasi victus necessitate naturali; non enim sponte iacuit, sed victus ipse à somno procubuit.*

23 Quam Tyberinus Deus rationem adhibet, ne belli minas timere debeat Æneas?

Qui Deum patrē habet pericula timere non debet.

Neu belli terrêre minis.

Hanc; quòd Deorum sanguine satus sit, quòd Veneris filius, quòd nepos Iouis.

O Sate gente Deûm.

Donati ingenium est. *Cogitas, inquit, humana percula Nate ex Dijs, nec respicis salutem tuam in hominum manus venire non posse.* Apage verò cum hac tua cogitatione; qui Deum patrem habes, humana pericula non formides, à diuinâ te manu non eripiet humana. Emphaticè & Poëta,& Interpres. Agnoscit hanc Poëtæ Emphasin Seruius. *Sanè interdum hæc epitheta non vacant.* (nunquam nùnquam in Virgilio, mi Serui) *sed vim hortandi habent.*

24 Non ineptè hîc Deorum gente satum indigetat,

Diuinitas est quasi cognata laboribus.

O sate gente Deûm

Cum ipse laborum & curarum congerie pressus cogatur aliquantisper somno indulgere. Videtur enim quasi cognata laboribus esse diuinitas. Cum vigilaret Æneas, & intempestâ nocte velis rudentes immitteret, dum socij quiete & somno potiuntur; illæ è nauibus Nymphæ lib. 10. opportunè *Deûm gentem* salutant;

Vigilas ne Deûm gens
Ænea, vigila & velis immitte rudentes.

Possent alio nomine; sed hoc apprimè quadrat Æneæ, dum totus in laboribus est. Ibi consule num. 43. Dum luctamen init Entellus, lib. 5. dum sudore perfunditur, dum anhelat ad palmam, & aduersarium Daretem totis viribus, contentisquè neruis conatur euertere, *Deum* vocat Æneas victorem Entellum; sic enim ille ad Daretem,

Cede Deo.

Apud Donatum aliqui *Deum Entellum* interpretantur; sed quare? quia à laboribus ille & sudore diuinitatem traxerat, quæ cognata sudori & laboribus est. Consule lib. 5. n. 37.

25 Vbique laborum patiens & iniuriarum laudatur Æneas; imò & Deos sibi & Troiæ infestos est sacrificijs & obsequio pleno promeritus; Quid ni tanta pietas in plenissimam lenitatem, & in omnem placiditatem Deos, hominesquè conuerterit? Ita Tyberinus Deus.

Tua patiētia inimicorum tuorum pectora emollit.

Ne belli terrêre minis, tumor omnis, & ira
concessere Deûm

Vbi Donatus. *In lenitatem plenissimam versum est, quod animorum terroribus ferebant Numina, & in omnem placiditatem dura tam dudum illorum iracundia tuâ pietate commutata est, perindequè cessit*

felicitati

felicitati tuæ, quidquid solebat esse contrarium. Sanè infestos tibi tuâ patientiâ mirè emollis, & placas.

Quærit Donatus, quare à dormienti Æneâ *Deus ipse visus* eâ certitudine, vt dubitari non posset ipsum Deum Tyberim esse. *No en confusion dè sueño, y sombras de dormido, sino con claridad y certidumbre de mas que despierto?* Ipse omnem ambiguitatem tollit Æneæ 26 Non vult Deus sua beneficia accipiantur in cassùm.

Ne vana putes hæc fringere somnum

Et paulò inferiùs,

Haud incerta cano.

Respondet sanè ingeniosè. *Debuit dormiens evidenter cernere quis esset, ne daret humanis erroribus, quod magni beneficij loco fuerat præstitum.* Voluit ergo Deus evidenter, insomnis licet, ostendi, ne somniorum erroribus tribueretur, quod illi Consilium beneficiumquè præstabat.

De re grauissimâ Tyberinus Deus instruebat Æneam, & de instanti docebat. Et ne sermonis prolixitate suspenderet (ait Donatus) breuî se dicturum præmittit. 27 Quæ res est grauis & instat, verbis est breuiter expedienda.

Nunc, quâ ratione quod instat;

Expedias victor, paucis, aduerte, docebo.

Benè promisit breuitatem (Donati verba) *ne iamdiu sollicitum sermonis prolixitate suspenderet.*

Non solùm Tyberis Deus instruit consilijs Æneam, sed & iuuat auxilijs. 28 Consilium & auxilium pariter.

Ipse ego te ripis, & recto tramite sistam,

Aduersum remis superes subuectus vt amnem.

Præclarè ibi Donatus. *Dicit quod fiat, & quomodo fiat: hoc enim conueniebat studio pleni fautoris.* Plenus fautor, qui vtrumquè coniungit.

Notat Donatus rectè à Deo monitum esse Æneam, vt matutino tempore preces Iunoni ferret, & vota nuncuparet; aptum est enim hoc sacrificijs & precibus est. 29 Matutinum tēpus sacrificijs & precibus aptissimum est.

Primisquè cadentibus astris,

Iunoni fer ritè preces

Matutinum tempus (ait) *congruum sacrificijs ostendit.*

Dei consilium est, Potentium iras supplicando potius, quàm repugnando debere superari. Ita Tyberinus Deus ad Æneam. 30 Potentium iræ supplicādo potiùs, quam repugnādo superantur.

Iunoni fer ritè preces, iramquè minasquè

Supplicibus supera votis

Donatus, Nam, *Potentium iræ supplicando potiùs, quàm resistendo franguntur.*

Debitum contrahis, cum beneficium accipis, quod grati animi saltem memoriâ rependendum est. Cum Tyberis beneficium præstitisset Æneas, audi quid addat 31 Debitum est grati animi memoria

post beneficium.

Mihi victor honorem

Persolues.

Ante meritum solutio petenda non est.

Persolues, inquit; agnoscit debitum, quando solutionem exposcit. Nequè ante plenissimum meritum solutionem petit; *Victor persolues*, inquit: cum eam quam prænuntio victoriam, adeptus fueris, & omnimodè te obligatum videris, beneficiumquè plenè senseris meum, tunc mihi debitum solues honorem. Acutè Donatus. *Victor persolues dixit, Cum senseris beneficia mea, cum latus de effectibus fueris, tunc mihi repræsentabis, quæ mereor propter hanc causam.* Item nota obiter pia nostra in Deum officia honorem ab ipso Deo & vocari, & haberi, *Mihi victor honorem persolues. Mihi honorem*, ait.

Pia erga Deũ officia honor sunt Deo.

32 Proprias effutire laudes, nisi vrgeat necessitas, leuis est animi; illas in tempore temperatè proferre, prudentis. Hoc nos Tyberinus admonet Deus, qui necessariò suas tetigit laudes, vt evidenter nosset Æneas, quis ille esset, cui fidem adhibere posset, & sciret cui tantum beneficium referre deberet acceptum.

Ad proprias laudes sis necessitate compulsus.

Ego sum pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Caruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.

Vbi præclarè Donatus. *Non arroganter tetigit laudes suas, sed necessario: Debuit enim Æneas, quis ille esset consiliorum bonorum commodissimus demonstrator, evidenter attendere; vt considerato Cantorum authore dictorum, fideret vera esse quæ audiuerat, atquè auribus senserat.*

33 Nihil est ambigendum in ijs, quæ nobis imperat Deus, etiam si difficilia nobis & ardua esse videantur. Tyberinus Deus ad Æneam; Iunonem inquit.

In ijs, quæ Deus imperat ambigẽdum non est.

Supplicibus supera votis.

Imperans loquitur *Supera.* Vbi Landinus optimè. *Nec dubitandum quin Iuno placari possit, postquam Deus imperat, quod Superet.*

34 Non te lectus foueat nisi dormientem, expergefactus es? desere lectum, mollium est hominum ad multam lucem lecto foueri. Quod est in Superiore valde damnabile. Vix *somnus reliquit Æneam*, cum ille.

Lectus tibi ad somnum, non ad molliciem.

Surgit.

Pyerius legit in præsenti *Relinquit. In antiquis exemplaribus Relinquit per instans, vt conueniat cum Surgit.* Præclarè sibi respondent præsentia illa *Relinquit, & surgit. Illum somnus relinquit, & surgit.* Si præterito vsus poëta esset tempore in primo, *Reliquit*, mollem

35 dicere posset Æneam, & delicatulum qui dudum iam à nocte & somno relictus adhuc lectum fouebat. Superiorem agebat; & superiorem molliculum quis non oderit? hunc vix Nox relinquat, cum illum pariter somnus, & ille lectum.

Te prius lustra, quam preces fundas.

Pulchrè sanè Landinus in illum locum,

Ritè

Ritè cauis vndam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad æthera voces.

Notat, priùs Æneam corpus lauisse suum, quàm funderet preces. Priùs enim te lustres oportet, quàm precibus vaces. *Recto ordine* (inquit) *progressus est, vt primo corpus lustraret aquâ, deinde preces effunderet.* Et addit. *Nam impurum purum affari haud decet.*

Tyberino Deo gratus Æneas, quare priùs ad Laurentes Nymphas, quàm ad Tybrim conuertitur? nam primæ ad illas preces, 36 Filij laudibus nulla fit fraus, cum parentum laudes præponuntur.

Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus vnde est,
Tuquè ô Tybri, tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Æneam, & tandem arcete periclis.

Mirè Donatus. *Videamus cur primò Nymphas induxerit, & secundo loco nominauerit Tybrim, quem primo debuit venerari? Hunc sciendum est partem sequutum laudatinæ materiæ, in qua retinendum est, vt parentes eius præferantur, qui fortè laudandus est. Cum igitur ipse ista dixisset, Nymphæ, genus amnibus vnde est, non fuit eius iniuria, qui secundo loco positus est.* Nulla illata iniuria filio est, quòd parentum laudes præponantur, sed ex rethorico artificio factum est ad filij laudem cumulatiorem.

Ingeniosè Donatus in illud carmen, vbi Æneas *Genitorem* vocat Tyberim. 37 Tibi pater est, qui bona tibi consilia præbet.

Tuquè ô Tybri, tuo Genitor cum flumine sancto.

Quærit, quare Genitorem & patrem vocet? an quia Deus? an quia Senior? nam,

Populeas inter Senior se attollere frondes
Visus.

Nequaquam verò, sed quia paterno more & amore salutaria præbuisset sibi consilia *Genitorem Tybrim* (Donati verba) *aut honorificè dixit; aut suum, quoniam ad similitudinem paterni moris consulta eius acceperat.*

Quare cum Æneas Suem interficit, & sanguinem fundit vocatur *Pius?* 38 Pietas interdum est, quæ videtur esse crudelitas.

Quam (Suem) *pius Æneas, tibi enim tibi maxima Iuno,*
Mactat sacra ferens.

Mactare crudelis hominis potius est quàm pij. Donatus. *Pius, inquit, Æneas mactat, cum mactandi officium crudelitatem potius, quàm pietatem significat. Non ita Pium dixit, quasi misericordem, sed pro loco supplicem Numini & religiosum sacrificantem.* Nec mactationi per se ipsum ille pepercit, vt offerret sacra Iunoni: in qua crudelitatis specie summa pietas fuit.

Quid est, quòd cum mactatam Suem sacram Iunoni ferret Æneas, geminare Poëta voluit voculam *Tibi Tibi Iuno?* 39 Reconciliato inimico non facilè credatur.

Quam pius Æneas, tibi enim tibi maxima Iuno,
Mactat, sacra ferens.

An quòd Iuno, inimica semper Troianis, vix Troiano crederet sacra ferenti, perindequè necessarium duxit *Tibi* repetere? Tibi, tibi in quam, ô Iuno, Sus hæc à Troiano mactatur, & animo offertur amico. Fortasse hæc Seruij mens. *Tibi, vt ex iteratione crescat augmentum.* Augmentum, inquam, & Troiani voti & conciliatæ voluntatis & fidei.

40 Felicibus indicijs sæpè in Marone præuenitur ipsa felicitas.

Ex placida illa Æneæ nauigatione ad Euandrum quis non in Marone nostro conijciat venturam felicitatem? Quid placidius? quid pulchrius hac præambula rerum serie?

Labitur vncta vadis abies, mirantur & vnda,
Miratur nemus insuetum fulgentia longè
Scuta virûm, fluuio pictasquè innare carinas.
Olli remigio noctemquè diemquè fatigant,
Et longos superant flexus, varijs teguntur
Arboribus, viridesquè secant placido aquore syluas.

Landinus ex hac rerum placiditate conijciendum facile ait in Marone felicissimum eventum. *Vt ex pulcbritudine nauigationis* (verba Landini) *quædam felicitas portendi videretur.* Hoc Virgilij artificium est.

41 Princeps in primis diuino cultui, deinde suorum incolumitati prouideat.

Idem Landinus præclarè sanè ait Principem inprimis diuino cultui; suorum deinde incolumitati debere consulere. Ita Pallas prius vetat incæpta rumpi sacra, in subito Troianorum ad Palatinum appulsu; deinde volat ipse Troianis obvius arrepto telo.

Terrentur visu subito, cunctiquè relictis
Consurgunt mensis; audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoquè volat tela obuius ipse.

Iam tum format (ait Landinus) *virum egregium, qui & sacrificio simul* en primum) *& saluti publica consulit*; (en secundum.)

42 Plus tibi est supplicem videre inimicum, quã ferro vicisse.

Euander Arcadiæ Rex, Græcus erat, à quo cum Æneas petit auxilia contrà Latinos, in hunc modum orditur;

Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vittâ comptos voluit pratendere ramos.

Optimum Graiorum vocat, totius Græciæ felicissimum. Quærit Donatus quare illum tunc temporis hoc nomine appellet? an vt Regi, à quo ambiebat auxilia, adularetur? ita nonnulli existimant. Sed respondet acutè. *Inde Optimus, quòd esset fortuna melioris, ex eo, quod Æneam supplicem videret. Melior es, inquit, omnibus Gracis. Plus enim est Æneam Troianum rogantem videre, quàm vicisse.* & addit. *Magnaquè felicitatis est indigẽtibus videri necessarium.*

Magna felicitas est, posse indigentibus subuenire.

Quasi dicat; qui Troianam vrbem ferrovicerunt Græci, non tantam sunt laudem consequuti, & gloriam adepti, quantam tu hodie, qui supplicem me & lectissimos Troiæ viros tibi supplices vides, quibus & potes opem indigentibus ferre. Quod autem lectissimi duces tunc ad Euandrum comitarentur Æneam, ita ipse ad Pallantem, cum primum appulisset.

Dicste

Dicite lectos
Dardaniæ venisse viros, socia arma rogantes.

Ex ipsa Æneæ Physiognomia coniectat Euander talem esse Troianum, qualem ipse se prædicat. Non enim contemnendum iudicium est in vtramquè partem Physiognomiæ consideratio. 43 Ex Physiognomiâ laus nasci vel vituperatio potest.

Dixerat Æneas; ille os oculosquè loquentis
Iam dudùm, & tot lustrabat lumine corpus.
Tunc sic pauca refert. Vt te fortissime Teucrûm
Accipio, agnoscóquè libens!

Vbi Landinus. *Ex Physiognomia capiebat coniecturam, eum Æneam esse, quem ipse de se prædicabat.*

Diuinis intererat Rex Euander, & sacrificiis operam Arcades dabant, cum Æneas appulit petiturus auxilia. Sed necessarium fuit cum Troianis miscere colloquia, quæ breuiter, & pauca; 44 Cum occupationibus distinemur diuinis, necessaria, & pauca, & breuiter loquamur.

Tum sic pauca refert.

Breuitatis huius causam notauit Donatus. *Pauca enim dici conuenerat, ne fabulæ longiores solemnitati essent impedimento. Pauca debemus accipere, pauciora quàm dici potuerunt.* Plura ad Troianos Rex posset, sed solemnitas obstitit, & sacrificia præsentia vetuerunt.

Multi elapsi iam anni erant, cum aliqua dona ab Anchisâ Euander acceperat, quæ regio ille animo exaggerat, & epithetis ornat. Sic enim ad Æneam, 45 Ingenuo in pectore acceptum beneficium nùnquam emoritur.

Ille mihi insignem pharetram, Lyciasquè sagittas,
Discedens, Chlamidémquè auro dedit intertextam,
Frenaquè bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Vbi Zerda præclarè. *Reliquit symbolum amoris & hospitij, videlicet pharetram, & hanc insignem; deinde sagittas, & has Lycias; tertiò Chlamydem, & hanc auro intertextam; demum frena duo, & hæc aurea. Vide vt munera elogijs ornauerit optimus beneficij æstimator.* Priùs huius regij memoriam animi vidit Donatus. *Ornauit ipsa munera, ne leuia viderentur.* Deinde munerum expendit adiuncta; & in illud *Quæ nunc habet meus Pallas*, sic commentatur. *Ecce addit prædicationis supplementum: horum, ait, apud me tanta propter dantis meritum fuit gratia, vt cum his per senium vti non possem, traderem filio meo, & in hodiernum vsque diem perdurant.* Vidisti memorem beneficij Regem; eundem vide pensantem. Beneficijs beneficia pensanda sunt.

Ergo &, quam petitis, iuncta est mihi fœdere dextra,
Et lux cum primum terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibusquè iuuabo.

Quàm pulchrum *Ergo!* legitima hæc ingenui animi & grati consequentia est. Donatus. *Ergo, inquit, propter præcedentis, & præsentis temporis causam, profiteor me societatem fœderis habere vobiscum, & crastina incipiente luce vos instructos opibus cum auxilijs dimittam.*

46 Non in prolixum tempus Rex Euander distulit promissa Troianis,

Bis dat qui citò dat.

Et lux cum primum terris se crastina reddet
Auxilio latos dimittam, opibusquè iuuabo.

Vbi Donatus. *Promissa non distulit in prolixum tempus, pollicens proximâ luce facturum, quod petitum fuerat. Nec moram alterius lucis fecisset, nisi interesset sacra solemnitas, & eiusdem diei pars lucis, sole currente, transacta esset.* Benè!

47 Nobilis est ingenij quid acceperis beneficij recensere, tacere quid dederis. Vide quàm regiè Euander, quæ ab Anchisæ acceperit munera, recenseat, & ornet.

Ingenui animi est quid acceperis, referre tacere, quid dederis.

Ille mihi insignem pharetram &c. (suprà num.45.)

Quibus ille mutuo Anchisen affecerit, non enumerat; cum certum sit, hospitij iure mutuò munerari solitos esse. Hanc Euandri regiam omninò naturam notauit hîc Seruius. *Ius hospitij habet inter se remunerationem; sed verecundè tacet Euander de muneribus suis.* Consule suprà n.45.

48 Nullus ad sacra poterat olim extraneus adhiberi. Quare cum ad Herculis sacra fortè Troiani Palatinum appulissent, ad illa admittuntur, vtpotè amici. Ita Euander illos inuitat ad sacra.

Ad sacra nemo accedere debet nō amicus.

Intereà sacra hæc (quando huc venistis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate fauentes
Nobiscum, & iam nunc sociorum assuescite mensis.

Vbi Seruius. *Siquidem in amicitiam venistis. Extraneos enim ad sacra non licebat adhibere: hos autem adhibet ad sacra, quasi antiquos iunctos amicitijs; vnde infert Et iam nunc sociorum assuescite mensis.* Caue ne ad sacra accedas non amicus.

49 Vnde suam cladem habuere Troiani? nonne à Græcis? Et quidem maximam; nihil enim est de Troia relictum,

Vnde vulnus, inde sępè medela.

Omnis humo fumat Neptunia Troia.

Iam nihil præter

Campos, vbi Troia fuit.

Vnde verò illorum felicitas habuit initium? ab ipsis planè Græcis: Euander enim, à quo prima Æneas auxilia tulit in Turnum, Græcus non erat? Ita ad illum Æneas,

Optimè Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vittâ comptos voluit prætendere ramos.

Et premuntur, & leuantur à Græcis; vnde vulnera, inde medelam accipiunt; ab eisdem & spoliantur, & fouentur; illic ferro atque igni vocantur ad necem, hîc auxilijs iuuantur & opibus; nam Euander.

Auxilio lætos dimittam, opibusquè iuuabo.

Donatus præclarè in illa verba. *Cui me fortuna precari voluit. Hæc obliqua querela est; nam subtiliter incusat inimicum Fortunæ iudicium,*

qua

qua Gracum addixerat Romana felicitatis authorem (Nollet Æneas Græcos habere futuræ felicitatis pronectores, quos Troiani Imperij euersores habuisset.) *Simulquè asserit suum fatum esse deterrimum, quo in eas angustias ductus est, vt ei, qui esset ex origine hostium, perindequè persequendus foret, preces supplex effunderet.* Non vides vnde vulnus inde medelam extitisse Troianis? Humanarũ inconstantia rerum.

Ad prophanum vsum prophana olim à templis stramenta, aut sedilia exulabant; nunc proh dolor! quàm auro sericoquè contexta ad fæmellarum & eneruium mollitiem & prophanam ostentationem inuehuntur! Reges olim Euander & Æneas in Herculis templo acerno solio consederunt; Troianos reliquos Euander 50 Prophana in templis stramenta, aut sedilia esse non debent.

Gramineòquè viros locat ipse sedili.

Nec regia dignitas, nec nobilitas despumata aut auro tectis, aut inclusis argento, aut discolori variatis serico vsi sunt solijs, acernis toris gramineisquè contenti. Seruius hîc. *Benè dixit Sedili gramineo; nam in templo lectisternium esse non licebat.*

Euander Rex non suâ dignitate iudicauit indignum, aut indecorum canis, omni comitate & humanitate Troianos excipere; Expendit Donatus emistichium illud, vbi Euandri humanitas abundè se prodit; 51 Nobilitate, aut dignitate pollẽrem maximè decet humanitas.

Gramineòquè viros locat ipse sedili.

Ecce non fieri precepit Euander, vt longæuus, vt Rex; sed ipse per se humanitatis plenissima iura compleuit. Egregiè princeps, dignitas comitate, & humanitate conditur.

Seruius in vocem *Lecti* illius Emistichij 52 Qui seruus erat, accedere olim ad sacra nõ poterat. Mysticè.

Tum lecti iuuenes

Ita commentatur. *Non vacat Lecti; nam in sacris Herculis, neque serui intererant, neque liberti: adeò vt Appius, qui sacra hæc transtulit in libertos, & caruerit oculis, & intra annum omnem familiam perdiderit Potitiorum.* I nunc, & seruos aude ad mystica sacra aut vocare, aut immittere, seruos inquam, qui Auernalis tyranni inscripti sunt notis. Caue, caue.

Cum eam conuiuio excepit Euander, nihil mensæ, præter bubulam carnem, apposuit obsonij. Delicata sanè fercula! & à Rege in Regem dignissima! 53 Religiosi mores nulla ex causa sũt violandi.

Vescitur Æneas, simul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Pulchram Donatus rationem reddit. *Nulla erat ambitio in sacris escis; Caro portabatur copiosa, sed bubula. Male autem acceptus Euandrus fuisset, si tolleretur sacrorum religio.* In more positum, vt bubulâ solum carne, qui Herculis sacrificijs aderant, vescerentur; noluit ergo Rex, quamuis & Regem & hospitem haberet Æneam, alia delicatiora fercula inferri, ne sacrum morem ac religiosum à se violatum esse diceretur. Maluit rusticitatis, quàm impietatis insimulari;

ſuum religioni pudorem poſtpoſuit. Addit idem interpres. *Indignè Regi à Rege appoſita eſt bubula aſſa, nec ſaltem aliquo iure condita: & re vera iniuria fuit, ſi tollamus è medio morem ſacrorum, qui alia reſpuebat.*

54 Inquietus animus, & vêter famelicus libenter & attentè ſermones non audit.

Prudenter Euander Troianis Herculis & Caci non narrabit hiſtoriam, antequam eorum petitionem ſatiaret & famem: nam inquietus animus & venter famelicus libenter ſermones & attentè nō audit. At verò

Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi,

Et poſtquam illos de auxiliaribus armis ſollicitos confirmauit,

Auxilio lætos dimittam, opibuſquè iuuabo,

Tunc opportunè dicere inſtituit, cum cauſa nulla attentionem remoraretur.

Tunc Euandrus ait.

Ingenioſè Donatus. *Debuit habere auditores animis liberis, & nulla ex cauſa ſuſpenſis; quod procuratum eſt auxiliorum promiſſis, & inedia excluſa.*

55 Labores & animi ſollicitudo voluptatē non quærunt in epulis.

Vim habent maximam labores, & animi ſollicitudo, & prementes curæ, vt nos à quacumquè retrahant voluptate. Hoc notat Landinus hoc loco, adducens locum ex lib. 1. Æneid. vbi curis implicati Troiani, non de voluptate ſed de ſedanda tantùm fame laborabant. *Vt in primo* (inquit) *libro deſcribit Troianos multis rebus ſollicitos nihil voluptuoſum in epulis quæſiuiſſe; ſed famem pellere ſat fuiſſe.*

56 Vel inſenſibiles creaturæ ab officina crudelitatis abhorrent.

Quàm immanis crudelitatis officina Caci illa ſpelunca fuit!

Hic ſpelunca fuit vaſto ſummota receſſu
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat,
Solis inacceſſam radijs; ſemperquè recenti
Cæde tepebat humus, foribuſquè affixa ſuperbis
Ora virûm triſti pendebant pallida tabo &c.

Ab hac immanitatis totius officina, quidni Sol ſuos radios auerteret? Virgilius ait Caci ſpeluncam, vbi miſerrima ſemper extabant carnificinæ monumenta, *radijs ſolis fuiſſe inacceſſam.* Vbi pulchrè Donatus. *Tantâ autem immanitate fuit, vt hanc ſolis radij nec tangerent, nec viderent. Ni tocarla, ni verla.*

57 Suam Deus â crudelitate faciem auertit.

Quod ſi ethnico more Solem dixerimus Deum, ille nobis ſenſus moralis occurrit, Deum ſcilicet, qui naturâ bonus & in miſericordiam propenſior eſt, à crudelitatis immanitate lumina & faciem auertiſſe, mirum non eſſe. Spelunca, *quam dira facies tegit,* Solis facie non gaudeat, Solaribus *radiis ſit inacceſſa.*

58 Suorū oſtētatorē ſcelerum oderit Deus.

Aliam Donatus pulcherrimam rationem adducit, quare Caci ſpelunca *Solis inacceſſa ſit radiis, vt hanc* (vt ipſe loquitur) *ſolis radij nec tangerent, nec viderent.* Quia ſuorum oſtentatorem ſcelerum ſemper conſueuit cœlum odiſſe. Vide quàm ad oſtentationem immania Cacus ſcelera perpetraret,

Foribuſque

Foribusquè affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.

Ad superbas fores tā execrabilis monumenta crudelitatis affigebat, nec Deos vindices, nec vltores homines veritus. *Non id faciebat occultè* (ait Donatus) *sed ad ostentationem propriorum scelerum, cæsorum capita figebat in foribus.* Ideò solis radijs inaccessam dixerim.

Vt plurimùm Patrum aut virtutes, aut vitia transfunduntur in filios, Matrum in filias. Filius Vulcani Cacus, 59

Patrum vitia trāsfunduntur in filios.

Huic monstro Vulcanus erat pater

Quid ergo in filium est transfusum à Patre ? audi,

Illius atros
Ore vomens ignes.

Naturæ monstrum est, qui crudelitatem exercet.

Patris ignes ore vomit & filius. In hunc sensum capio verba illa Donati. *Vulcani patris filius vomebat incendia.* Apertè paulò ante. *Vulcani incendia in pectus filij migrauerant.* Quare hæreditariò habet à patre vt vomat incendia, quorum pater est Deus.

Præclara est Donati commentatio in hæc Carmina 60

Ignauiæ & inertiæ vitium non est, illum fugere, quē vides à te superari nullo modo posse.

Huic monstro Vulcanus erat Pater, illius atros
Ore vomens ignes, magnâ se mole ferebat.

Magnus fuit,(inquit) *& altissimis, ad incutiendum terrorem, gressibus ferebatur : quis posset tolerare magnum corpore, & ratione feritatis tutum, ac vomentem Vulcani patris incendia ? Hæc idcirco sunt posita, ne inertia vitium teneret incolas, qui qualecunquè monstrum, vnum omnes, non valuerunt superare: accessus enim ad eum quis esse posset, cuius anhelitus flamma fuerat, & incendium vomitus ?* Itaquè Ignauiæ & inertiæ vitium non est, illius vitare congressum, quem vides à te superari nullo modo posse.

Separationis vitium adeò ipsi est naturæ contrarium, vt vel ipsa muta animalia patienter illud ferre non possint, sed, vt vt possunt de huiusmodi, conquerantur, & gemant. Ex armento Herculis octo Cacus boues furatur, & in speluncam abstrahit à cauda, vt explorantem Herculem vestigia fallerent. Dum Hercules ergo armenta iam saturata moueret, & profectionem pararet in stabula, mugire & conqueri discessu ceperunt ablata, 61

Separationis iniuriam vel ipsa muta animalia patienter ferre non possunt.

Discessu mugire boues, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

Qui vero boues speluncæ latebris tenebantur, quasi separationis & querelarum iniuriam excusantes, ad querelas querelis, ad mugitum mugitu respondent.

Reddidit vna boum vocem, vastóquè sub antro
Mugijt.

Hîc Donatus pulcherrimè. *Discessu mugire boues, amissione illorum, qui subrepti erant; habent enim quendam inter se etiam muta animalia quasi familiaritatis affectum, & separationis iniuriam patienter*

ferre non possunt.(Vnionē amant,separationē fugiunt) Addit deinde. *Denique quid ex ea separatione oneris portent, querulà voce testantur.*

62 Ex humili sæpè causa amplissimi nascuntur effectus.

Vna boum, quas Cacus abduxerat, vocem querulam reddidit ad abeuntium clamorem; quò factum, vt delusa spes Caci fuerit, & furentis Herculis beneficio illius regionis incolæ tam graui monstro liberi respirarent.

Cum iam stabulis saturata moueret
Amphytrioniades armenta, abitúmque pararet,

Tunc opportunissimè

Reddidit vna boum vocem, vastóque sub antro
Mugijt.

Debile sane instrumentum ad incredibilem Arcadiæ totius vtilitatem! Hîc exclamat Donatus; *Ecce fortuna regionis illius, & cunctis omni prosperitate plenissima! Iam recedebat Hercules, nec boum intellexerat damna,euasurus fuerat Cacus,si boues paululum tacuissent.* Ni bos mugijsset, tanta felicitas non obuenisset Arcadiæ; Mugijt illa,respirauit hæc;vne bouis mugitu factum est, ne tota iam timere posset Arcadia.

63 Ipsa, quam in te admittis, culpa te prodit.

Tui sceleris testes sedulus fugis, cum ipsa te sæpè culpa, quam patras, euidentissimè prodat. Boues clàm Cacus abduxit in antrum; quàm ille callidè!

Ne qua forent pedibus vestigia rectis
Caudâ in speluncam tractos, versisquè viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.

Crimen ille suum putabat occultum: at certè non ita; nam quæ asseruata erat speluncæ latebris præda, contrà asseruatorem vocem intendit, & ipso, quod admisit ille, proditur furto.

Reddidit vna boum vocem, vastóque sub antro
Mugijt.

Acutè Donatus. *Nihil Caco profuit custodia sua, nihil fraus, & ingeniosa inuentio doli,quibus indicia omnia querentibus pernegauerat: bos clausa prodidit factum,& spem Caci mugiendo frustrata est.*

64 Regiã æstimat impius suæ officinã impietatis.

Quærit Donatus, quare Virgilius Caci speluncam, totius officinam impietatis, *Regiam* vocauerit?

At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia.

Domicilium Impij *Regia* dicenda est? *Asseramus reuerâ* (respondet Donatus) *speluncam fuisse, & pro qualitate personæ dictam esse Regiam; scilicet vbi Cacus impius scelera committendo habitaret, Impij regis animum gerens.* Regium ille putabat eum locum, vbi impunè poterat in omnes se crudelitatis & impietatis partes effundere. Sed verè inferna potiùs sedes dicenda est, cui prudentissimus illam Poëta paulò inferius comparat, cum recluditur & vastatur ab Hercule;

Sed potius Auernus dicendus est.

Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens.
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida.

Nonne vides Avernalem potiùs domum fuisse Caci speluncam, quam ille sibi regiam putabat ? Quâ Cacus viâ vitam quærebat, eàdem omnino mortem invenit. Fumo & flammis nitebatur Herculis manus & furorem effugere. 65

Quâ viâ tua commoda quæris iniquè, illa tibi obvenit clades.

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involuitquè domum caligine cæcâ,
Prospectum eripiens oculis, glomeratquè sub antro
Fumigeram noctem, commixtis igne tenebris.

Fumo ergo atquè igne suum ipse maturauit interitum, nam Hercules.

Sequè ipse per ignem
Præcipiti iecit saltu, quà plurimus vndam
Fumus agit.

Per ignem Hercules & vndantes fumo flammas sibi viam inuenit, vt inueniret tandem in speluncæ obscuritate, quem quærebat ad necem. Inuenit, occidit, vltus est. Acutè planè Donatus. *Cum non videretur in tenebris, per eas insedias captus est quibus se sperauerat evasurum.* Quas ille insidias est molitus ad vitam, neci seruierunt.

Ore, oculis, faucibus ignem Cacus spirat & fumum; ori, oculis, faucibus pœna incumbat ab Hercule: illis peccauit partibus, illæ luant. Nam Hercules 66

Ea puniendus es parte, quâ peccas.

Angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.

Ingeniosè Donatus. *Magnum viri fortis ingenium! quoniam viderat eum fumum & flammas fundere, & inuentum in tenebris, eà parte corporis pressit, qua se crediderat tutum.* Culpæ instrumenta tutissima crediderat Cacus os, fauces, & oculos; pœnam eadem luant. Item maius Caco ex ea parte periculum creetur, vnde se tutum esse putabat. Quod apertè Donatus, Cuius extrema verba mirè faciunt ad thema numero præcedenti propositum, *Ea parte corporis pressit, qua se crediderat tutum.*

Qua tutum te putas, maius tibi periculum creatur.

In teterrimo Caci antro rapinæ mille, mille impietates latebant, quas Hercules, speluncâ disiectâ, & dissipatâ, ostendit cœlo, 67

Lėto in vindictam gradu fertur Deus.

Panditur extemplò foribus Domus atra reuulsis,
Abstractæquè boues, abiurataquè rapinæ
Cœlo ostenduntur.

Vbi Donatus. *Cœlo ostenduntur; hoc est, syderibus cum inuidiâ offeruntur, quòd inulta dimiserant, quæ illicita commiserat Cacus.* (Iustè ergo in impios sæpè precamur vltionem;) Sed parum nota erat Herculi adhuc cœli natura, quod lento solet gradu in vindictam

Iustè in impios precamur vltionem.

ferri, cum tamen nihil relinquat invltum.

68 Nemo ad aras inimicus accedat. Scelus maximum, ad aras & sacra inimico animo accedere. Hoc Troianos monet Euander, quos sciebat in Herculem animo pacato non esse, quòd ille stetisset in Troiam;

Communémquè vocate Deum & date vina volentes.

Quasi diceret. Communis iam hinc vobis & nobis Deus Hercules sit, quem adhuc questi estis inimicum. Omisso ergo iniuriæ, quam iactatis, dolore, & animi acerbitate depositâ, anniuersaria nobiscum illius sacra percolite, & laudes celebrate. Hunc habet sensum vox illa *Volentes.* Donatus præclarè. *Ideò Volentes, quia aliquando inimicus Troiæ Hercules fuit; vt videatur hoc dixisse, Qui inimicus vester fuit, erit iam amicus vobis, qui nostri estis effecti.* Quia cum ad aras & sacra illos vocet, inimici accedere non debebant.

69 Propriũ est Principum ac Superiorum, placare inimicos. Item, Superior & Princeps in eam maximè partem incumbat, vt inimicitias placet & componat alienas. *Ecce Euandri* (prosequitur Donatus) *etiam in hoc beneuolentia, vt iam dudum offensum Deum velit illis esse propitium.* Amico bibatur animo in huius reconciliatione amicitiæ. *Date vina volentes*; & nulla vlteriùs sit voluntatis diuisio, *Communémquè vocate Deum.* Noster erit & vester Hercules Deus. Boni Princeps hac in parte partes impleuit.

70 Ingenui animi est datâ occasione statim inimicitias deponere. Item. Satis apparet nobiles illos & ingenuos esse Troianos (*lectos iuuenes* vocauit Æneas; non quoscumquè putare debemus.) qui statim Euandri dictis sunt obsequuti. Euander ad illos;

Communémquè vocate Deum & date vina volentes.

Illi actutùm, sine morâ Herculem sibi vsquè ad illud tempus inuisum, Deum amicissimè sunt venerati. Vix Euander

Dixerat, herculeâ bicolor cum populus vmbrâ
Veláuitquè comas, folijsquè innixa pependit.

Herculeis tempora cingunt ramis, & se iam inde profitentur amicos. Quod & notauit Donatus. *Mox Troiani, quia occasio fuit offensis satisfacere, herculeis, hoc est, populeis frondibus se coronarunt.*

71 Ipso opere volũtas est potior. Opus à voluntate suum pretium habet. Herculis stata solemnia & Arcades celebrant & Troiani; quos omnes monet Euander, vt *Volentes* id agant, quod agunt.

Communémquè vocate Deum, & date vina volentes.

Pulchrè Donatus. *Addidit Volentes, quia non accipiuntur obsequia, nisi plenâ voluntate fuerint persoluta.*

72 Ad pocula cogendus nemo. Nota obiter, Euandrum dixisse, *date vina Volentes.* quia ad pocula cogendus est nemo. Vel inter Ethnicos hic mos salutaris inualuit, vt quisque biberet, quantum necessitas postularet, non quantum belluina auiditas ad satietatem vsquè; & ad turpitudinem propinaret ebrietas.

Item, statim Troiani obsequuntur Euandro, à quo auxilia petebant, ne, si quod iubebantur, detrectarent, illius animum exaspera

exaſperarent, & læderent voluntatem ac ſine auxilijs, eos opibuſquè dimitteret. Ita Donatus. *Nec Arcades ex hoc læſi poſtulata non facerent, mox Troiani herculeis, hoc eſt, populeis frondibus ſe coronarunt.*

73 Ne illius anſmũ lędas, qui tibi poteſt eſſe ſubſidio.

In ſacris Herculis egregias illius laudes Arcades celebrarunt, inter quas & euerſionem Troiæ.

Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes
Troiamquè Oechaliamquè

74 Diuini honores omittendi non ſunt, ne in hominum offenſionem incurras.

Hanc nonnulli putant im prudentiam fuiſſe Virgilij, qui præſente Æneâ, & Troianorum lectiſſimis, finxerit Troianæ vrbis euerſæ importunè ſatis memoriam refricari. Sed ab hac Donatus vendicat obiectione Maronem. *Multi* (inquit) *hoc loco Virgilium reprehendunt, quòd præſentibus Troianis triumphum actum de Troia non debuit ponere; quaſi demum in hominum gratiam Diuorum debeat veneratio mutilari.* Ingeniosè! Noluerunt ergo Arcades in Troianorum gratiam debitas Herculi laudes mutilare; aut Dei honores omittere, ne in hominum offenſionem incurrerent. Poſthabuerunt meritò humana diuinis.

In hominũ gratiã à debitis Deo laudibus non recedas.

Acutè Donatus in hunc locum, vbi de Hercule dicitur, quòd

Duroſq mille labores
Rege ſub Euryſthæo, fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit.

75 Nouerca vel nomine ipſo timenda eſt.

A nouecra pertulit, ideò labores *Mille*, & *Duros*. Nouercam illa in priuignum impleuit. *Numquam enim nouerca* (ait Donatus) *expectat iuſtas commotionis cauſas; ſed nomen ſuum exiſtimat cauſam eſſe ſæuiendi. Senſerat igitur Hercules duo mala, Nouercam implentem partes ſuas, & Euryſthæum Regem aptum iniquis iuſſionibus.* Ab iniuſto Rege, & nouercâ quid non durum; quid non dirum extimeas?

Iniuſti Regis & nouercæ manus æquè timendæ.

Quando Arcades *Carmine laudes Herculas, & facta ferunt*, quamuis multum iam temporis eſſet elapſum, cum hæc patrata ab Hercule fuerant: præſenti tamen tempore vtuntur, non præterito.

76 Extingui egregiè facta poſſunt.

Tu nubigenas inuicte bimembres
Hylæumquè Pholumquè manu, tu Creſſia mactas
Prodigia, & vaſtum Nemeæ ſub rupe leonem.

Notauit Anonynus in margine. *Mirè præſenti vtitur in Herculis laude, quia præclarè geſta intermori iniuriâ temporis non poſſunt; ne dicam extingui.* Præſentia ſemper ſunt, nullo temporis lapſu obſoleſcunt.

Ne illum tibi Patrem iactes, à quo te filium probas eſſe degenerem. Hoc expendit Donatus in Emiſtichium illud, quod in Herculis laudem Arcades intonant.

77 Ille tibi pater non eſt à quo filius degeneras.

Salue ô vera Iouis proles!

Apparet (ait) *eſſe te verum filium Iouis, dum paterna, potentia fa-*

ctorum nobilitate respondes. Diuinam originem factis testaris.

78 Reipublicæ ornamentũ & decus probus est ciuis.

Illustrissima proculdubiò laus Herculis illa est, quam statim Arcades addunt

Decus addite Diuis.

Diuis Decus additum vocant. *Non ideò factus es Deus* (Donatianam agnosce paraphrasin.) *Vt ornareris ex aliis Dijs, sed vt illos accessione tua societatis ornares.* Is es, qui potes solus egregiam ornare Remp. Et vel Deorum cœtui splendorem addere, *Decus addite Diuis.*

79 Effusiùs de nostrâ felicitate, quàm de alienâ lætamur.

Hoc natura comparatum est, vt effusiùs de nostra felicitate, quàm de aliena lætemur. Cum res præclarè gestas Herculis Arcades carmine celebrant, cecinisse illos tantùm Virgilius ait.

Talia carminibus celebrant

At verò cum ad Cacum ventum est, quem exceptum brachijs elisit, Hercules, læto strepitu nemus collesquè resultant;

Consonat omne nemus strepitu, collesquè resultant.

Cum de felicitate, quâ, interfecto ab Hercule Caco, fruuntur, facta fuit mentio, effusissimè lætitiam præ se ferunt; & beneficium hoc super omnia vocibus attollunt & gestibus.

Super omnia Caci
Speluncam adyciunt, spirantémquè ignibus ipsum.

Pulchrè Donatus. *Vbi ventum est ad ea, quæ sibi fuerant præstita, creuit omnium vox, & laudationis affectus in tantùm cumulatus est, vt exultantium clamor emissus in nemore perueniret ad montes.*

80 Tuæ dignitati nusquã obstat humanitas.

Nihil potest de tua dignitate, aut existimatione detrahere, aut minuere humanitas, quâ te facilem inferiori præstiteris. Inanis hæc aliquorum cogitatio est, qui stipitum ritu, ad inferiorum aut affatum aut aditum, ne aliquid de inuiolabili suâ dignitate deponant, mirum in modùm obrigescunt. Misselli! qui veram humanitatis viam aut ignorant, aut respuunt, mendacem verò grauitatis affectant. *Et Rex,* & *æuo obsitus* adeò se facilem Troianis exhibuit, vt illis par esse videretur..

Ibat Rex obsitus æuo,
Et comitem Æneam iuxtà, natúmquè tenebat.
Ingrediens

Ibat (inquit Donatus) *Rex contrà meritum potestatis. Ac ne esset obscurum quid sit, Ibat, non vehebatur, inquit, sed ambulabat suis pedibus Rex, & senex, qui & itineris laborem, quem longæuus ferre non poterat, remedio toleraret.* Neque aliquid est de illius dignitate deperditum, imò auctum est plurimum. Contrà meritum ibat, sed quia humanus, non contrà votum. Cæterùm aliquid interdum dissimulare de merito, de dignitate deponere, auctioris est dignitatis, lucrum auctioris est meriti.

81 Qui Superior animi laxationem quærit, aut amat, dum graues illum

illum curæ aliò vocant, Superioris indignus est nomine. Quando Æneas, optimi Superioris idea, — *Dū graues curæ Superiorem vocant, animi ille laxatione ne quærat.*

Capitúrquè locis, & singula latus
Exquiritquè auditquè virûm monumenta priorum?

Cum iam de auxilio, quod ab Euando petierat contrà Latinos, securus est; cum iam ab Rege audierát,

Auxilio latos dimittam, opibusquè iuuabo.

Grauis nota Donati, qui vocem illam *Latus* expendens sic ait. *Inde latus, quia securus de auxiliis fuerat redditus. Caeterùm si hoc non esset, culparetur Æneas, qui in tantâ cura positus, locis capiebatur, & veterum fabulas cupiebat audire.*

Quando Euander Saturni & Iouis historiam narrat Æneæ, neque Saturnum *Patrem* vocat, neque Iouem *filium*. Quare? quia cum hic in patrem sumpserit arma, *filij* nomine illum Rex iudicauit indignum. Vbi nulla debitæ gratitudinis, debitæ pietatis relatio est, nulla sanguinis sit; neque ille *Pater* dicatur, quia filium non habet, sed aggressorem; neque hic *filij* nomine appelletur, qui oderit patrem, & armis insectetur. 82 — *Qui in patrem filius insurgit, filij nomine indignus est.*

Primus ab athereo venit Saturnus Olympo
Arma Iouis fugiens.

Vbi pulchrè simul & ingeniosè Donatus. *Primus Saturnus violentiâ Iouis exclusus. Non dixit Filij, vt & historiam tangeret, & impietatem in patres non doceret.* Vbi aliam habes causam, quare *Filium* non dixerit, Ne scilicet doceret impietatem in patres, & in illos peccare discerent audientes, magistro Ioue. Nota, *Vt historiam tangeret:* Satis enim est, suppressis totius charitatis nominibus, impiam historiam tetigisse. — *Quæ praui sunt exēpli dicenda nō sunt.*

Aurea illa Saturni sæcula non in deteriùs repentè ruerunt, sed paulatim ab auro in metallum vilius degenerarunt. 83 — *Nemo fit repentè deterior.*

Aureáquè (vt perhibent) illo sub Rege fuere
Secula
Deterior donec paulatim, ac decolor atas, &c.

Expendit Donatus vocem, *Paulatim. Benè autem addidit, Paulatim; longa enim bene viuendi consuetudo non potuit semel abrumpi.*

Incidunt sæpè tempora, in quibus sine superiorum merito, aut culpâ, vel praui sunt inferiores, vel probi. Hoc significare Virgilius voluit, quando sic de Saturni temporibus ait, 84 — *Sæpè sine Superioris merito, aut culpâ, vel praui vel probi sunt inferiores.*

Aureáquè (vt perhibent) illo sub Rege fuêre
Secula.

Non dixit, Ita ille temperauit ac rexit, vt fecerit aurea; sed *Aurea fuere sæcula sub illo Rege.* Cum verò in deteriùs sæcula degenerarunt, ita effert,

Deterior donec paulatim, ac decolor atas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.

Non cuiquam imputat Superiori huius causas degenerationis, sed tempori. Donatus præclarè. *Hic Virgilius benè vel malè viuendi rationem non rectorum vult esse sæpè, sed temporum. Nam suprà dixit Aurea sæcula extitisse; nunc dicit Deterior ætas successit.* Felix ille qui Superiorem aureis sæculis agit; infelix ille, qui ferreis! *Felix tamen est* (addit Donatus) *cuius imperio natura cursus arridet; infelix verò, cuius administrationi temporum iniquitas deputatur,* Et quidem verè!

85 Ea prauitatis vis est, vt vel vestigia virtutis conetur euertere.

Emergentibus ferreis sæculis aurea exularunt, quæ à Saturno Rege Saturnia sunt dicta. Sed notes velim Maronis ingenium. Cum ferrea aureæ successit ætati, neque huius quidem vestigium illa reliquit; non auream solùm euertit, sed deleuit & nomen. Cum enim

Et belli rabies, & amor successit habendi,

Tunc, audi quid ingeniosus Poëta dicat,

Tum manus Ausoniæ, & gentes venêre Sicanæ
Sæpiùs, & nomen posuit Saturnia tellus.

Praui irruerunt mores, innocentia & pietas exularunt, atque ita exularunt, vt vel suum nomen emiserint, *Nomen posuit Saturnia tellus*; Et prauitatis nomen inualuerit, extincto virtutis. Pulchrè Donatus. *Emergentibus malis crudelitatis & auaritiæ, cum diuersarum gentium populi in hæc loca venissent, felicitas morum cum nomine præcipui rectoris oppressa est, & Ausonia vocari cœpit, quæ Saturnia dicebatur.* Itáne verò! vt nec nomen quidem extaret! *Felicitas morum cum nomine oppressa est.* Miseram sanè oppressionem!

86 In proprias laudes necessariò descendas, & obiter.

Vide quàm in suas laudes parcus Euander, quas necessariò censuit esse dicendas, vt suam à patria excusaret fugam. Matre Nymphâ se natum dicit, à quâ monitus, & authore Apolline, fugam arripuit.

Me pulsum patriâ, pelagique extrema sequentem
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum,
His posuere locis; matrisquè egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & Deus author Apollo.

Quàm obiter Matrem Nympham dixit! quàm breuiter! quàm aliud agens! Notauit Donatus. *Ex occasione aliâ commendat originem suam, quòd Deâ sit matre progenitus.*

87 Curam habe de bono nomine. Præcipuè si superior sis.

Curam omnes (Superiores præsertim) de bono nomine debent habere. Dixit Euander fugam se de patria arripuisse; & ne apud Troianos, quibus cum loquebatur, illius honor labaret & dignitas, causas addit, quibus impulsus patriâ excessisset.

Me pulsum patria (vt suprà)

Vbi mirè Donatus. *Ne esset vitium in eo, quod dixit, Me pulsum patriâ, (nemo enim patrijs terris bonus excluditur) mox subiecit, Fortunam fecisse omnia; ad hæc, inquit, loca perductus sum, cum Fortuna impelleret,*

impelleret, truderet fatum, Apollo preciperet, mater vrgeret. Addit deinde pulcherrimè, Matris nomen expendens. *In vocabulo Matris quantum est pondus! Iubebat mater, & Dea mater, quæ filium contra pietatis meritum monere non posset; matris habens nomen, & pronuntiandi substantiam.*

Bonæ monitis matris quis non fidat? Nympha mater monitis vrgebat Euandrum, vt se patriâ fugâ proriperet; fugam Rex recusare posset, vt turpem, præsertim in terras exteras; subdubitauit, an maternis obsequeretur ille consilijs, sed amantissimæ parentis & Deæ quid non monita lubens exequeretur? probauit iudicium, cessit ex patria. Donatus. *Dubitationem, quæ existere potuit, iudicium matris abrupit.* 88

Bonæ matris monitis fidendũ est.

Quicunquè parentibus est debitus honos, nullus est nimius. Euander matris aram monstrat & portam, quæ à Carmenta Carmentalis est dicta: Fatidicam dicit, quæ prima Æneadas (apud equos loquitur) magnos futuros esse præcinuit 89

Monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam;
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.

In exhibendo parentibus honore nulla diligentia nimia est.

In verbo *Monstrat*, moras agnosce, ibi à filio in matris honorem cum voluptate interpositas. Et quamuis ex hoc matris honore plurimum redundet in filium, laudabilis tamen narrantis affectus, & vt nimius dãnari non potest. Donatus. *Monstrauit ergo & portã materni meriti testem, & aram quoque, vt ex hac probaret Deam. Fatidicam dicit, & addit, Cecinit quæ prima futuros Æneadas magnos Ecce apertum documentum, quòd Deam, & Nympham, & fatidicam Euander habuit matrem.* * *Quod autem prima hoc ipsum dicta est cecinisse, hanc habet gratiam, & fidem, ne præcedentia responsa sequuta esse videatur.* Sine rubore itaquè matrem filius effusè laudauit.

* El que primero te fauorece, mas te obliga.

Ingeniosè notat Donatus Arcadiæ Regem *Pauperem* dictum esse à Virgilio. Vituperat ne Poëta an laudat Euandrum? 90

Talibus inter se dictis, ad tecta subibant
Pauperis Euandri.

Publici administratoris maxima laus, paupertas.

Egregiam sanè illi laudem attribuit! Noluit dicere liberalem, prudentem, iustum &c. sed *Pauperem* dixit, quæ effusa in publico administatore laus. *Hinc Euandri memoria prædicabilis,* (Donati verba) *quòd pauper, & inde meritò prçficiendus; quia magna eius gloria extitit in paupertate regnasse, atque in regni potestate positum, nec quæsiisse, nec auxisse diuitias.* In administratore, in iudice summa laus hæc, administrasse rempublicam, quin quæsierit, auxeritve diuitias, fortunas æmulauerit. Explicat deinde hic interpres, quid paupertatis

nomine in administratore publico intelligendum sit. *Sic tamen pauperem debemus accipere, non egestate oppressum, sed congruentem Regi non habuisse substantiam.*

91 Minorum officia Principibus sũt ex voluntate metiẽda. Vilia licet officia erga Principem sint, si tamen ex diuiti sunt voluntate profecta, in pretio habenda sunt, quia ex voluntate metienda. Quàm effusa in Herculem hospitis Euandri voluntas, qui illum pauperi quidem domo, sed quàm potuit studiosè & officiosè suscepit! Ita ipse ad Æneam, dum confabulantes *ad tecta subibant Pauperis Euandri*

Hæc, inquit, limina victor
Alcides subijt, hæc illum Regia cepit.

Vbi præclarè Donatus. *Personam Herculis posuit, meritúmquè victoris, vtraque humilibus tectis incongrua, & tamen cum aliud non esset, illum fuisse contentum, ac mentem potiùs hospitis, quàm ipsius hospitis angustias tractauisse. Non ideò Regiam dixit, quòd parietum eius, aut cultus aliqua fuisset ambitio, sed tantam illius Dei voluit ostendere beneuolentiam, vt magnum putaret, quò fuisset ingressus.* Ostenditur ergo Dei beneuolentia, qui *magnum putauit, quò fuisset ingressus*; Et Euandri sincera voluntas, quam Hercules *hospitis mentem potiùs, quàm ipsius hospitis angustias tractauit.*

92 Herculeum est opus cõtemnere. Cum ad contemnendas opes Æneam hortatur Euander, sic inquit;

Aude hospes contemnere opes, & te quoquè dignum
Finge Deo

Vbi præclarè Donatus. *Cum ait, Aude hospes ostendit contemptũ opum esse difficilẽ. Quod si audeat, vide quantũ Æneæ laudibus dedit Euander, vt eum Herculi comparet.* Et Zerda. *Imitari Deum si vis Herculem, opes contemne, & aude contemnere. Et magnum, & supra omnem audaciam florentem rerum fortunam despicatui ducere: hac vnâ re finges te simillimum Herculi potiùs, quàm victis monstris.* Herculeum itaque opus est opes contemnere, paupertatem amare. Et legi tum hîc consequens est; Audes opes contemnere? dignum ergo te Deo fingere potes. Apud Ascensium Seneca in hunc Virgilij locum. *Nullum ait dignum Deo, nisi paupertatis amatorem.*

93 Bona vitæ ratio constanter arrepta te quasi deificat. Euander Æneam hortatur, vt *Audeat* opes contemnere; *Aude,* inquit; rem planè arduam & difficilem suadeo, sed si eam animosè & constanter arripueris, proh quantum tibi vtilitatis ex hac laudabili manabit audacia! Aude, & te iam inde finge quàm simillimum Deo. Tua te deificabit audacia. Seruius in hunc sensum, *Aude, & iam inde te compone in similitudinem Numinis.*

94 Quidquid hauritur oculis, plurimùm quẽvis mouet affectum. Quò Vulcanum Venus efficacius alliciat, vt suo arma fabricetur Æneæ, vt aspiciat hortatur, quanto ille in periculo sit.

Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me, excidiúmquè meorum.

Addit Aspice (inquit Donatus) *propter fidẽ dictis suis faciendam,*

vt

vt probarent oculi eius, quæ dolentis animum mentémquè feriebant. Nam ad quemcumquè effectum maxima est oculorum probatio. Nota; nequè priuignum dixisse, nequè victricum nominasse, abstinuit ab inuidiosis nominibus: deinde suam dixit rem agi in hoc bello *in me, excidiumquè meorum*, vel quia filij causa matris causa est; vel vt coniugis ille causæ accuratiùs consuleret.

95 Quidquid imperfectũ est, plus habet timoris, dum malorũ speratur augmẽtum.

Vt metum Venus augeat, quo ex armorum Italorum confæderatione percellitur, (vt sic præsentiùs Vulcanum moueat ad arma facienda, quibus pugnare impugnè possit Æneas) quæ ingruant in dies pericula, exponit,

Aspice qui coëant populi, quæ mænia clausis
Ferrum acunt portis, in me, excidiúmquè meorum.

Vbi benè Donatus. *Quòd verò dixit Coëant, illud expressit, quòd adhuc colligerentur, quæ res creabat maximum metum, cum per singulos dies metuenda crescebant. Hoc idem significat & Acuant; quidquid enim imperfectum est, plus habet timoris, dum malorum sperat augmentum.*

96 Amor vinculorum nomen sortitur.

Cum Vulcanus à Virgilio fingitur amans cum sua Venere miscuisse colloquia, *Deuinctus* dicitur,

Fatur deuinctus amore.

Laqueus, vinculum, rete & amor est, quo te vinctum expedire vix queas. Hìc Pyerius. *Benè deuinctus, quòd amoris proprium est, & vinculum in mysticis significationibus amorem denotat. Neminem enim faci ius ad te trahas, & arbitrio colligaueris tuo, quàm amantem. Poetæ verò passim laqueos, & retia decantarunt.*

97 Tibi pater est, qui beneficia præstat.

Notat Donatus in illo carmine, in quo dicitur Venerem alloquutum esse Vulcanum,

Tum pater æterno fatur diuinctus amore,

Notat, inquam, Patrem dictum esse Vulcanum, cum Æneæ victricus fuerit. Quare? *Patrem non dixit* (Donati verba) *quia loco patris fuerat Æneæ profuturus.* Dicatur Pater, qui se fauturum promisit Æneæ.

98 A constantissimo quoquè amor imcutus extorquet interdũ, quidquid conatur.

Ab amantis fæmellæ illecebris nulla est ferè tuta Constantia. Suo Venus Æneæ arma petit à Vulcano marito. Priuignus victrico erat inuisus, vtpote qui ex coniugis esset adulterio conceptus. Maritum illa mollit illecebris, & ex offenso iam dubitantem reddit, fouet illum amplexu, & facile vincit, atquè ab eo quidquid conatur, extorquet. Illa.

Cunctantem amplexu molli fouet.

Ille iam victus, *Fiducia cessit*

Quo tibi Diua mei? similis si cura fuisset,
Tum quoquè fas nobis Teucros armare fuisset.

Vbi perbelle Donatus. *Sic exorsus est, quasi non ipse esset, qui paulò ante cunctabatur; ita se facilem præbet, tanquam Veneris non in-*

tellectus ingenio, bonum se satis & beneuolum praestat. Dicendo, Tum quoquè, ostendit se nihil in praesenti negaturum. Quantùm illum fecit libido subiectum! Item, non ex ferro solùm conficienda promittit arma, sed ornanda liquido electro, & omni curâ & arte polienda.

Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro, liquidove potest electro,
Quantum ignes, animaquè valent.

Ecce plus promittit, quàm petierat Venus. Debebat quippe postulanti sola arma, ex ferro promittere; hic addidit dicens, Faciam ex ferro, &, quod vltrà necessitatem est, electro ornabo, quod fecero. Alterum pertinet ad firmitatem, alterum ad pulchritudinem e plurimum etiam terrorem hostibus incutit terror armorum. Haec Donatus. Et paulò inferius amans Vulcanus omninò expugnatus.

Absiste precando
Viribus indubitare meis.

Vbi Donatianam audi paraphrasim. *Absiste diffidentiam tuam monstrare, dum rogas. Proinde, cum, quidquid possum, tuum sit, remotis precibus, vtere viribus tuis.* Non vides quantum impuri vis amoris extorserit? Tanquam à facie colubri fuge foemellas, quae vel tutissimam solent expugnare constantiam.

99 Prudentissimè sanè Virgilius laborantem noctuquè diuquè foeminam, & instantem penso depingit, & addit, eo illam animo sic exercitam esse.

Castitatis labor est parens.

Castum vt seruare cubile
Coniugis, & possit paruos educere natos.

Assignat huius laboris & vigilantiae effectum, castitatem: huius autem causam castitatis, laborem. Benè Donatus. *Non tantum alimonia sua, & natorum sollicitudine tangitur, quantum castitatem maritali toro debitam cupit custodire.* Praesentissimum omninò contra huiusmodi tabem remedium!

100 Vt amatae coniugis precibus Vulcanus obsequatur & votis, intempestâ se nocte lecto proripit, Cyclopes excitat, incudem, malleos, ignem versat & ferrum; sudorem quieti, lecto speluncam, & molli strato fabrilis artis laborē praeponit. Nouerat enim susceptos pro amata Venere labores amoris esse incrementa, & cum foenore cumulatissimo recipiendos.

Labores pro amato suscepti, amoris incrementa sunt.

Inde vbi prima quies medio iam noctis abacta
Curriculo expulerat somnum

(Interponitur deinde comparatio satagentis foeminae, sanè pulcherrima)

Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.

Vbi pulchrè Donatus. *Ecce quantum animus proficit! Excitatur Vulcanus noctis medio, relinquitur pulchra vxor: praeponitur quieti*

labor

labor, cœlo ſpeluna; & ſtrato molli contempto fabrilis artis difficultas elicitur. Hoc enim deſiderabant ratio temporis, & graues æſtus vxoris, vt ſummotâ omni ſegnitie, perfectis opportunè armis, gratior rediret ad coniugem. Eò hæ tendebant curæ Vulcaniæ, vt *gratior ille rediret ad coniugem.* Dum pro ſua Venere labores addebat, incrementa quærebat amoris.

Amantes fere atheiſtas reddit amor impurus. Dum ſuis illi amoribus obſequantur, cœli iuſſa nil curant. Arma Venus à Vulcano petit Æneæ ſuo. Annuit vltrò Vulcanus, & vt petenti ſtatim obſequatur, ſic ad Cylopas. 101 Deum amáſ ſuis morem gerat amoribus, cœli ſæpè iuſſa non curat.

> *Tollite cuncta, inquit, cæptoſquè auferte labores,*
> *Æthnei Cyclopes, & huc aduertite mentem,*
> *Arma acri facienda viro; nunc viribus vſus;*
> *Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtrâ,*
> *Præcipitate moras.*

Expendit ingenioſè Donatus vocem illam *Cuncta*. Itáne Vulcane tui te amores, & tua obcæcauit impietas, vt *cuncta* Deorum opera tolli iubeas, vt coniugi tuæ morem geras? non operibus ſaltem Iouis peperceris? *Ecce quantus ardor* (Donati verba) *perficiendi, quæ Venus poſtulauerat! iubentur cuncta remoueri, nec ſaltem perſona Iouis excipitur, qui Deorum omnium retinet imperium.* Non videtur, præ Venere, Deorum quempiam agnoſcere.

Quando Vulcanus Cyclopibus imperat, vt arma fabricentur, non quis petierit, nec cui illa facienda ſint, aperit; nam quæ coniuges interſe ſecreta tractauerant, reuelare non debuit. *Arma,* inquit, *acri facienda viro.* Notauit Donatus. *Cum loqueretur, & remouenda vniuerſa mandaret, quod ſecretum inter ſe & vxorem ſuam fuit, breuitatis ratione ſimul ductus, & pudoris ſui cauſa, contexit.* Nota item, illum puduiſſe vxoriis ſe blanditiis expugnatum aperire Cyclopibus, ne nimis vxorius haberetur; quod & Donatus addidit. *Suppreſſit cuius causâ, ne nimis vxorius videretur.* 102 Quæ inter coniuges ſecreta tractantur, reuelari non debent. Pudor eſt viro à fœmina vinci.

Vt Vulcanus apud Cyclopas ſuo cauſas obtendat errori, qui *Cuncta* Deorum opera iuſſerit tolli, vt ſatis voto Veneris faciat, addit, 103 Cauſas Amor ſuis obtendit erroribus quibus eos ſæpè grauiùs accuſat.

> *Arma acri facienda viro*

Non cuicunquè, ait, ſed *Viro*, & huic *Acri*. Quod Donatus vidit; *Virum dixit, non vt ſexum, ſed vt meritum ſignificaret. Denique Acri addidit, vt oſtenderet dignum, quem ipſe Vulcanus armaret; vt merito videretur dixiſſe cuncta, & omnes de medio ceptorum operum labores auferre.* Sed planè præ amore defecit. Quæ enim excuſatio erroris hæc, vt opera Deorum abijceret, hominis armis prælatis, quantumvis ille *Vir*, quantumvis *Acer* eſſet?

Cum aliquid eſt, quod te lædat, aut pungat; in eo homine, in quem inferre beneficium volueris, ab eâ precor offenſione mentem

104 averte, ne te in faciendo beneficio retardet, aut retrahat. Facturus arma priuigno vitricus, Vulcanus Æneæ; neque se vitricum, neque priuignum nominauit Æneam, ne animus odioso nomine pungeretur, & sic parcus ipse & illiberalis esset in Venerem, cui armorum munus erat pollicitus. *Acrem virum* pro Priuigno substituit, vt alliceret potiùs nomen, quàm retardaret. Ingenui animi ingenium!

In beneficio faciendo ab offensionibus montem auerte.

Arma acri facienda viro.

Vbi Donatus. ad rem fortassè. *Nec nominat priuignum, cui facturus est beneficium, qui naturali malitiâ odiosus esse potest.*

In præstando beneficio celeritas, nouum est beneficium, Duplici ergo Vulcanus beneficio affecit Æneam, cum Cyclopes iubet in fabricandis armis moras precipitare.

105 *Præcipitate moras.*

Bis dat, qui cito dat.

In beneficijs quippe præstandis (Donati verba) *non solum factum, sed facti ipsius maturitas grata est.*

106 Moraliter sanè & prudenter Virgilius, cum hic Vulcano Superior's attribuat munus, Cyclopibus tantùm manus attribuit. Ille iubet.

Vt Superioris est iubere, ita inferioris, iussa exequi.

Arma acri facienda viro, nunc viribus vsus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistrâ,
Præcipitate moras. Nec plura effatus.

Nulla est in Cyclopibus mora: quare ipsi nec verbum; sed manus operi admouent & industriam: audi

At illi.
Ocyùs incubuere omnes

Expendit pulchrè Landinus. Rectè At illi, *Inferioris enim non est respondere, sed iussa quàm primum exequi; præsertim cum intelligit properato opus esse.*

107 Frustrà multi laborant, nisi laboris partes ipsi sortiantur; confusio potius ex multitudine nascitur, quàm opus prouehitur. Quare prudenter Maro Cyclopes inducit laborem sortitos, vt faciliùs, & felicius Vulcani iussa expedirent, Non solùm dixit.

Rem multi feliciter expedient, si suo sit vnusquisque muneri intentus.

Ocyùs incubuere omnes.

Sed & adiecit, quod ad rei perfectionem maximè conduceret,

Pariterquè laborem
Sortiti.

Pulchrè Landinus. *Non satis est, quod omnes incumbant, nisi etiam pariter, idest, æquis portionibus operentur.* Non contemnenda est hic notula Zerdæ, ad illa verba.

Superioris præsentia vrgetur inferior.

Nec plura effatus. At illi
Ocyùs incubuere omnes

Vix hæc, (inquit ille) *cum illi ocyùs, festinantiusquè solito ad præsentiam sui Regis incubuere (quippe Vulcani præsentia vrgebat.)*

Lepidè

Lepidè satis Donatus expendit vocem *Pater* in illo carmine. 108

Hæc Pater Æolys properat dum Lemnius oris.

Patrem Poëta vocat Vulcanum, cum victricus esset Æneæ. Paternitatem obtrudit facili Deo Deo, qui Veneris dementatus dolosis illecebris in paterna se iura bonus immisit, facile passus Anchisen adulterum, Æneæ patrem, amasium Veneris, Vulcanei violatorem coniugij. *Heus tu Vulcane, fronti potiùs crede, quàm coniugi; Ex Ænea victrico Patrem te fecit dolus vxoris;* neque vt cuique patrem; *Deniquè patrem, qui patris ad plenum fungeres officio, & perficiendis armis instanter operam dares.* Omninò lepidè. O miserum coniugem!

Quid non fœminæ dolus assequitur?

Landinus in Carmen illud. 109

Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma,

Nota Euandrum, licet senio confectum, primâ luce lectum deseruisse: decebat quippe, qui Superiorem ageret, vigilantem describi. *Nam populi rectores* (Verba Landini) *vigilantes esse oportet.*

Vigiles superiores esse debent.

Quasi conquiescere Rex non posset, nisi priùs datam Æneæ fidem & obligata promissa impleret; illum *tecto lux suscitat alma*, & statim, 110

Hospitis Æneæ sedem; & secreta petebat,
Sermonum memor, promissi muneris Heros.

Promissis stare omninò Reges debent.

Promissa Regem sollicitabant: promiserat suprà,

Auxilio tutos dimitam, opibusquè iuuabo.

Huius igitur promissionis illum stimulabat impletio, vtpote Regem cuius illa inter primas laus esse debet, *Præstita fides.* Notauit Zerda Nota, 14. *Hac fide esse debent Principes. Hanc celebrat in Theodosio Latin. Pacat.* his verbis. *Nihil ita labris primoribus polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sancias. Nemo iam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis: quia tam sunt certa, quæ spondes, vt tum videantur accepta, cum spondes.* Hæc Pacat. Præclarè ergo de Euandro, *Memor sermonum & promissi muneris.*

Vel leuissimam moram sæculum putant, qui feruentius aliquid desiderant, aut amant. Nox interiecta tantùm est, & breuissima nox, cum ad primam auroram Reges Troianum & Arcadem expergefecerit gallicinium; nam Euandrum 111

Ex humili tecto lux suscitat alma,

Æneas

Nec minus Æneas se matutinus agebat.

Amanti, aut vehementer cupienti quæcunquè mora sæculum est.

Particulam tamen *Tandem* interponit Poëta cum sermonem hesternum redintegrant.

Et licito tandem semone fruuntur.

Apparet summæ voluptati hesternum fuisse vtriquè congressum, in verbo *Fruuntur*. Vnde moram damnat particula *Tandem*. Seruius optimè. *Tandem dixit, quia amborum desiderio nox moram fecerat.*

112 Compendiosè profectò, sed vberrimè laudat Rex Euander Æneam.

Egregia laus compendio collecta.

> *Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam*
> *Res equidem Troiæ victas, aut regna fatebor.*

Hic Zerda in explicatione. *Illustrissima Æneæ commendatio, quo saluo, imperium Troiæ non victum.* Et addit deinde; *Dic an maior possit excogitari*; Vix dicam.

RP.

R·P·SEBASTIANI DE MATIEÑZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER NONVS.

QVID assiduis cœlum fatiges precibus, si opera negligas? Iungenda tuis precibus tua opera sunt; sic ad felicem exitum, quod optas, perducetur. Ideò ait Donatus correptum esse Turnum ab Iride, quam Iuno ad illum misit irata; 1 Tuis ad Deum precibus opera iunge.

Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum.

Audacem, inconsultum, & temerarium accipiendum est. Donatus. Quid enim inconsultius, & temerarium magis, quàm solis fidere precibus, & rem totam Deo, superisquè relinquere, cum manus illa postulet tuas, industriámquè requirat? *Sedebat* tunc temporis Turnus, hoc est, explicatore Zerda, sacris operabatur, in sacratæ vallis luco Pilumni Patris, quasi vallis illum sacratio, & Pilumnus parens iuuare residem & otiantem possent.

ferre non possunt. (Vnionẽ amant, separationẽ fugiunt) Addit deinde. *Denique quid ex ea separatione oneris portent, querulâ voce testantur.*

62 Vna boum, quas Cacus abduxerat, vocem querulam reddidit ad abeuntium clamorem; quò factum, vt delusa spes Caci fuerit, & furentis Herculis beneficio illius regionis incolæ tam graui monstro liberi respirarent.

Ex humili sæpè causa amplissimi nascuntur effectus.

Cum iam stabulis saturata moueret
Amphytrioniades armenta, abitúmquè pararet,

Tunc opportunissimè

Reddidit vna boum vocem, vastóquè sub antro
Mugijt.

Debile sane instrumentum ad incredibilem Arcadiæ totius vtilitatem! Hîc exclamat Donatus; *Ecce fortuna regionis illius, & cunctis omni prosperitate plenissima! Iam recedebat Hercules, nec boum intellexerat damna, euasurus fuerat Cacus, si boues paululum tacuissent.* Ni bos mugijsset, tanta felicitas non obuenisset Arcadiæ; Mugijt illa, respirauit hæc; vne bouis mugitu factum est, ne tota iam timere posset Arcadia.

63 Tui sceleris testes sedulus fugis, cum ipsa te sæpè culpa, quam patras, euidentissimè prodat. Boues clàm Cacus abduxit in antrum; quàm ille callidè!

Ipsa, quam in te admittis, culpa te prodit.

Ne qua forent pedibus vestigia rectis
Caudâ in speluncam tractos, versisquè viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.

Crimen ille suum putabat occultum: at certè non ita; nam quæ asseruata erat speluncæ latebris præda, contrà asseruatorem vocem intendit, & ipso, quod admisit ille, proditur furto.

Reddidit vna boum vocem, vastóquè sub antro
Mugijt.

Acutè Donatus. *Nihil Caco profuit custodia sua, nihil fraus, & ingeniosa inuentio doli, quibus indicia omnia querentibus pernegauerat: bos clausa prodidit factum, & spem Caci mugiendo frustrata est.*

64 Quærit Donatus, quare Virgilius Caci speluncam, totius officinam impietatis, *Regiam* vocauerit?

Regiã æstimat impius suæ officinã impietatis.

At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia.

Domicilium Impij *Regia* dicenda est? *Afferamus reuerà* (respondet Donatus) *speluncam fuisse, & pro qualitate personæ dictam esse Regiam; scilicet vbi Cacus impius scelera committendo habitaret, Impij regis animum gerens.* Regium ille putabat eum locum, vbi impunè poterat in omnes se crudelitatis & impietatis partes effundere. Sed verè inferna potiùs sedes dicenda est, cui prudentissimus illam Poëta paulò inferius comparat, cum recluditur & vastatur ab Hercule;

Sed potius Auernus dicendus est.

Non

Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens.
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida.

Nonne vides Avernalem potiùs domum fuisse Caci speluncam, quam ille sibi regiam putabat ? Quâ Cacus viâ vitam quærebat, eâdem omnino mortem invenit. Fumo & flammis nitebatur Herculis manus & furorem effugere. 65 Quâ viâ tua commoda quæris iniquè, illa tibi obvenit clades.

Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involuitquè domum caligine cæcâ,
Prospectum eripiens oculis, glomeratquè sub antro
Fumigeram noctem, commixtis igne tenebris.

Fumo ergo atquè igne suum ipse maturauit interitum, nam Hercules.

Sequè ipse per ignem
Præcipiti iecit saltu, quà plurimus vndam
Fumus agit.

Per ignem Hercules & vndantes fumo flammas sibi viam inuenit, vt inueniret tandem in speluncæ obscuritate, quem quærebat ad necem. Inuenit, occidit, vltus est. Acutè planè Donatus. *Cum non videretur in tenebris, per eas insedias captus est quibus se sperauerat euasurum.* Quas ille insidias est molitus ad vitam, neci seruierunt.

Ore, oculis, faucibus ignem Cacus spirat & fumum; ori, oculis, faucibus pœna incumbat ab Hercule: illis peccauit partibus, illæ luant. Nam Hercules 66 Ea puniendus es parte, quâ peccas.

Angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.

Ingeniosè Donatus. *Magnum viri fortis ingenium! quoniam viderat eum fumum & flammas fundere, & inuentum in tenebris, eâ parte corporis pressit, qua se crediderat tutum.* Culpæ instrumenta tutissima crediderat Cacus os, fauces, & oculos; pœnam eadem luant. Item maius Caco ex ea parte periculum creetur, vnde se tutum esse putabat. Quod apertè Donatus, Cuius extrema verba mirè faciunt ad thema numero præcedenti propositum, *Ea parte corporis pressit, qua se crediderat tutum.* Qua tutum te puras, maius tibi periculum creatur.

In teterrimo Caci antro rapinæ mille, mille impietates latebant, quas Hercules, speluncâ disiectâ, & dissipatâ, ostendit cœlo, 67 Lęto in vindictam gradu fertur Deus.

Panditur extemplò foribus Domus atra reuulsis,
Abstractaquè boues, abiurataquè rapinæ
Cœlo ostenduntur.

Vbi Donatus. *Cœlo ostenduntur; hoc est, syderibus cum inuidiâ offeruntur, quod inulta dimiserant, quæ illicitè commiserat Cacus.* (Iustè ergo in impios sæpè precamur vltionem;) Sed parum nota erat Herculi adhuc cœli natura, quod lento solet gradu in vindictam Iustè in impios præcamur vltionem.

 ferri

ferri, cum tamen nihil relinquat inultum.

68 Nemo ad aras inimicus accedat. Scelus maximum, ad aras & sacra inimico animo accedere. Hoc Troianos monet Euander, quos sciebat in Herculem animo pacato non esse, quòd ille stetisset in Troiam;

Communémquè vocate Deum & date vina volentes.

Quasi diceret. Communis iam hinc vobis & nobis Deus Hercules sit, quem adhuc questi estis inimicum. Omisso ergo iniuriæ, quam iactatis, dolore, & animi acerbitate depositâ, anniuersaria nobiscum illius sacra percolite, & laudes celebrate. Hunc habet sensum vox illa *Volentes*. Donatus præclarè. *Ideò Volentes, quia aliquando inimic..a Troiæ Hercules fuit; vt videatur hoc dixisse, Qui inimicus vest.. fuit, erit iam amicus vobis, qui nostri estis effecti.* Quia cum ad aras & sacra illos vocet, inimici accedere non debebant.

69 Propriũ est Principum ac Superiorum, placare inimicos. Item, Superior & Princeps in eam maximè partem incumbat, vt inimicitias placet & componat aliénas. *Ecce Euandri* (prosequitur Donatus) *etiam in hoc beneuolentia, vt iam dudum offensum Deum velit illis esse propitium.* Amico bibatur animo in huius reconciliatione amicitiæ. *Date vina volentes*; & nulla vlteriùs fit voluntatis diuisio, *Communémquè vocate Deum.* Noster erit & vester Hercules Deus. Boni Princeps hac in parte partes impleuit.

70 Ingenui animi est datâ occasione statim inimicitias deponere. Item. Satis apparet nobiles illos & ingenuos esse Troianos (*lectos iuuenes* vocauit Æneas; non quoscumquè putare debemus.) qui statim Euandri dictis sunt obsequuti. Euander ad illos;

Communémquè vocate Deum & date vina volentes.

Illi actutùm, sine morâ Herculem sibi vsquè ad illud tempus inuisum, Deum amicissimè sunt venerati. Vix Euander

Dixerat, herculeâ bicolor cum populus vmbrâ
Veláuitquè comas, folijsquè innixa pependit.

Herculeis tempora cingunt ramis, & se iam inde profitentur amicos. Quod & notauit Donatus. *Mox Troiani, quia occasio fuit offensis satisfacere, herculeis, hoc est, populeis frondibus se coronarunt.*

71 Ipso opere volũtas est potior. Opus à voluntate suum pretium habet. Herculis stata solemnia & Arcades celebrant & Troiani; quos omnes monet Euander, vt *Volentes* id agant, quod agunt.

Communémque vocate Vocate Deum, & date vina volentes.

Pulchrè Donatus. *Addidit Volentes, quia non accipiuntur obsequia, nisi plenâ voluntate fuerint persoluta.*

72 Ad pocula cogendus nemo. Nota obiter, Euandrum dixisse, *date vina Volentes.* quia ad pocula cogendus est nemo. Vel inter Ethnicos hic mos salutaris inualuit, vt quisque biberet, quantum necessitas postularet, non quantum belluina auiditas ad satietatem vsquè; & ad turpitudinem propinaret ebrietas.

Item, statim Troiani obsequuntur Euandro, à quo auxilia petebant, ne, si quod iubebantur, detrectarent, illius animum exaspera

exasperarent, & læderent voluntatem ac sine auxilijs, eos opibusquè dimitteret. Ita Donatus. *Nec Arcades ex hoc læsi postulata non facerent, mox Troiani herculeis, hoc est, populeis frondibus se coronarunt.* 73 Ne illius an mũ lędas, qui tibi potest esse subsidio.

In sacris Herculis egregias illius laudes Arcades celebrarunt, inter quas & euersionem Troiæ. 74 Diuini honores omittendi non sunt, ne in hominum offensionem incurras.

Vt bello egregias idem disiecerit vrbes
Troiamquè Oechaliamquè

Hanc nonnulli putant im prudentiam fuisse Virgilij, qui præsente Æneâ, & Troianorum lectissimis, finxerit Troianæ vrbis euersæ importunè satis memoriam refricari. Sed ab hac Donatus vendicat obiectione Maronem. *Multi (inquit) hoc loco Virgilium reprehendunt, quòd præsentibus Troianis triumphum actum de Troia non debuit ponere; quasi demum in hominum gratiam Diuorum debeat veneratio mutilari.* Ingeniosè! Noluerunt ergo Arcades in Troianorum gratiam debitas Herculi laudes mutilare; aut Dei honores omittere, ne in hominum offensionem incurrerent. Posthabuerunt meritò humana diuinis. In hominũ gratiã à debitis Deo laudibus non recedas.

Acutè Donatus in hunc locum, vbi de Hercule dicitur, quòd 75 Nouerca vel nomine ipso timenda est.

Duros mille labores
Rege sub Eurysthæo, fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit.

A nouecra pertulit, ideò labores *Mille*, & *Duros*. Nouercam illa in priuignum impleuit. *Numquam enim nouerca* (ait Donatus) *expectat iustas commotionis causas; sed nomen suum existimat causam esse sæuiendi. Senserat igitur Hercules duo mala, Nouercam implentem partes suas, & Eurysthæum Regem aptum iniquis iussionibus.* Ab iniusto Rege, & nouercâ quid non durum; quid non dirum extimeas? Iniusti Regis & nouercæ manus æquè timendæ.

Quando Arcades *Carmine laudes Herculas, & facta ferunt*, quamuis multum iam temporis esset elapsum, cum hæc patrata ab Hercule fuerant: præsenti tamen tempore vtuntur, non præterito. 76 Extingui egregiè facta possunt.

Tu nubigenas inuicte bimembres
Hylæumquè Pholumquè manu, tu Cressia mactas
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.

Notauit Anonynus in margine. *Mirè præsenti vtitur in Herculis laude, quia præclarè gesta intermori iniuriâ temporis non possunt; ne dicam extingui.* Præsentia semper sunt, nullo temporis lapsu obsolescunt.

Ne illum tibi Patrem iactes, à quo te filium probas esse degenerem. Hoc expendit Donatus in Emistichium illud, quod in Herculis laudem Arcades intonant. 77 Ille tibi pater non est à quo filius degeneras.

Salue ô vera Iouis proles!

Apparet (ait) *esse te verum filium Iouis, dum paterna, potentia fa-*

ctorum nobilitate respondes. Diuinam originem factis testaris.

78 Illustrissima proculdubiò laus Herculis illa est, quam statim Arcades addunt

Reipublicæ ornamentū & decus probus est ciuis.

Decus addite Diuis.

Diuis Decus additum vocant. *Non ideò factus es Deus* (Donatianam agnosce paraphrasin.) *Vt ornareris ex aliis Dijs, sed vt illos accessione tua societatis ornares.* Is es, qui potes solus egregiam ornare Remp. Et vel Deorum cœtui splendorem addere, *Decus addite Diuis.*

79 Hoc natura comparatum est, vt effusiùs de nostra felicitate, quàm de aliena lætemur. Cum res præclarè gestas Herculis Arcades carmine celebrant, cecinisse illos tantùm Virgilius ait.

Effusiùs de nostrâ felicitate, quàm de alienâ lætamur.

Talia carminibus celebrant

At verò cum ad Cacum ventum est, quem exceptum brachijs elisit, Hercules, læto strepitu nemus collesquè resultant;

Consonat omne nemus strepitu, collesquè resultant.

Cum de felicitate, quâ, interfecto ab Hercule Caco, fruuntur, facta fuit mentio, effusissimè lætitiam præ se ferunt; & beneficium hoc super omnia vocibus attollunt & gestibus.

Super omnia Caci
Speluncam adijciunt, spirantémquè ignibus ipsum.

Pulchrè Donatus. *Vbi ventum est ad ea, quæ sibi fuerant præstita, creuit omnium vox, & laudationis affectus in tantùm cumulatus est, vt exultantium clamor emissus in nemore perueniret ad montes.*

80 Nihil potest de tua dignitate, aut existimatione detrahere, aut minuere humanitas, quâ te facilem inferiori præstiteris. Inanis hæc aliquorum cogitatio est, qui stipitum ritu, ad inferiorum aut affatum aut aditum, ne aliquid de inuiolabili suâ dignitate deponant, mirum in modùm obrigescunt. Miselli! qui veram humanitatis viam aut ignorant, aut respuunt, mendacem verò grauitatis affectant. *Et Rex, & æuo obsitus* adeò se facilem Troianis exhibuit, vt illis par esse videretur.

Tuæ dignitati nusquā obstat humanitas.

Ibat Rex obsitus æuo,
Et comitem Æneam iuxtà, natúmquè tenebat.
Ingrediens

Ibat (inquit Donatus) *Rex contrà meritum potestatis. Ac ne esset obscurum quid sit, Ibat, non vehebatur, inquit, sed ambulabat suis pedibus Rex, & senex, qui & itineris laborem, quem longæuus erre non poterat, remedio toleraret.* Neque aliquid est de illius dignitate deperditum, imò auctum est plurimum. Contrà meritum ibat, sed quia humanus, non contrà votum. Cæterùm aliquid interdum dissimulare de merito, de dignitate deponere, auctioris est dignitatis, lucrum auctioris est meriti.

81 Qui Superior animi laxationem quærit, aut amat, dum graues illum

illum curæ aliò vocant, Superioris indignus est nomine. Quando Æneas, optimi Superioris idea,

Dū graues curæ Superiorem vocant, animi ille laxationē ne quærat.

Capitúrquè locis, & singula latus
Exquiritquè auditquè virûm monumenta priorum?

Cum iam de auxilio, quod ab Euando petierat contrà Latinos, securus est; cum iam ab Rege audierat,

Auxilio latos dimittam, opibusquè iuuabo.

Grauis nota Donati, qui vocem illam *Latus* expendens sic ait. *Inde latus, quia securus de auxiliis fuerat redditus. Caeterùm si hoc non esset, culparetur Æneas, qui in tantâ cura positus, locis capiebatur, & veterum fabulas cupiebat audire.*

Quando Euander Saturni & Iouis historiam narrat Æneæ, neque Saturnum *Patrem* vocat, neque Iouem *filium*. Quare? quia cum hic in patrem sumpserit arma, *filij* nomine illum Rex iudicauit indignum. Vbi nulla debitæ gratitudinis, debitæ pietatis relatio est, nulla sanguinis fit; neque ille *Pater* dicatur, quia filium non habet, sed aggressorem; neque hic *filij* nomine appelletur, qui oderit patrem, & armis insectetur. 82

Qui in patrem filius insurgit, filij nomine indignus est.

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo
Arma Iouis fugiens.

Vbi pulchrè simul & ingeniosè Donatus. *Primus Saturnus violentiâ Iouis exclusus. Non dixit Filij, vt & historiam tangeret, & impietatem in patres non doceret.* Vbi aliam habes causam, quare *Filium* non dixerit, Ne scilicet doceret impietatem in patres, & in illos peccare discerent audientes, magistro Ione. Nota, *Vt historiam tangeret:* Satis enim est, suppressis totius charitatis nominibus, impiam historiam tetigisse.

Quæ praui sunt exépli dicenda nō sunt.

Aurea illa Saturni sæcula non in deteriùs repentè ruerunt, sed paulatim ab auro in metallum vilius degenerarunt. 83

Nemo fit repentè deterior.

Aureáquè (vt perhibent) illo sub Rege fuere
Sacula
Deterior donec paulatim, ac decolor ætas, &c.

Expendit Donatus vocem, *Paulatim. Benè autem addidit, Paulatim; longa enim bene viuendi consuetudo non potuit semel abrumpi.*

Incidunt sæpè tempora, in quibus sine superiorum merito, aut culpâ, vel praui sunt inferiores, vel probi. Hoc significare Virgilius voluit, quando sic de Saturni temporibus ait, 84

Sæpè sine Superioris merito, aut culpâ, vel praui vel probi sunt inferiores.

Aureáquè (vt perhibent) illo sub Rege fuêre
Sacula.

Non dixit, Ita ille temperauit ac rexit, vt fecerit aurea; sed *Aurea fuere sacula sub illo Rege.* Cum verò in deteriùs sæcula degenerarunt, ita effert,

Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.

impelleret, truderet fatum, Apollo preciperet, mater vrgeret. Addit deinde pulcherrimè, Matris nomen expendens. *In vocabulo Matris quantum est pondus! Iubebat mater, & Dea mater, quæ filium contra pietatis meritum monere non posset; matris habens nomen, & pronuntiandi substantiam.*

Bonæ monitis matris quis non fidat? Nympha mater monitis vrgebat Euandrum, vt se patriâ fugâ proriperet; fugam Rex recusare posset, vt turpem, præsertim in terras exteras; subdubitauit, an maternis obsequeretur ille consilijs, sed amantissimæ parentis & Deæ quid non monita lubens exequeretur? probauit iudicium, cessit ex patria. Donatus. *Dubitationem, quæ existere potuit, iudicium matris abrupit.* 88

Bonæ matris monitis fidendū est.

Quicunquè parentibus est debitus honos, nullus est nimius. Euander matris aram monstrat & portam, quæ à Carmenta Carmentalis est dicta: Fatidicam dicit, quæ prima Æneadas (apud equos loquitur) magnos futuros esse præcinuit 89

In exhibendo parentibus honore nulla diligentia nimia est.

Monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam;
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.

In verbo *Monstrat*, moras agnosce, ibi à filio in matris honorem cum voluptate interpositas. Et quamuis ex hoc matris honore plurimum redundet in filium, laudabilis tamen narrantis affectus, & vt nimius dānari non potest. Donatus. *Monstrauit ergo & portā materni meriti testem, & aram quoque, vt ex hac probaret Deam. Fatidicam dicit, & addit,* *Cecinit quæ prima futuros Æneadas magnos Ecce apertum documentum, quòd Deam, & Nympham, & fatidicam Euander habuit matrem.* * *Quod autem prima hoc ipsum dicta est cecinisse, hanc habet gratiam, & fidem, ne præcedentia responsa sequuta esse videatur.* Sine rubore itaquè matrem filius effusè laudauit.

* El que primero te fauorece, mas te obliga.

Ingeniosè notat Donatus Arcadiæ Regem *Pauperem* dictum esse à Virgilio. Vituperat ne Poëta an laudat Euandrum? 90

Publici administratoris maxima laus, paupertas.

Talibus inter se dictis, ad tecta subibant
Pauperis Euandri.

Egregiam sanè illi laudem attribuit! Noluit dicere liberalem, prudentem, iustum &c. sed *Pauperem* dixit, quæ effusa in publico administatore laus. *Hinc Euandri memoria prædicabilis,* (Donati verba) *quòd pauper, & inde meritò prasiciendus; quia magna eius gloria extitit in paupertate regnasse, atque in regni potestate positum, nec quæsiisse, nec auxisse diuitias.* In administratore, in iudice summa laus hæc, administrasse rempublicam, quin quæsierit, auxeritve diuitias, fortunas æmulauerit. Explicat deinde hic interpres, quid paupertatis

nomine in administratore publico intelligendum sit. *Sic tamen pauperem debemus accipere, non egestate oppressum, sed congruentem Regi non habuisse substantiam.*

91 Minorum officia Principibus sũt ex voluntate metiẽda.

Vilia licet officia erga Principem sint, si tamen ex diuiti sunt voluntate profecta, in pretio habenda sunt, quia ex voluntate metienda. Quàm effusa in Herculem hospitis Euandri voluntas, qui illum pauperi quidem domo, sed quàm potuit studiosè & officiosè suscepit! Ita ipse ad Æneam, dum confabulantes *ad tecta subibant Pauperis Euandri*

Hæc, inquit, limina victor
Alcides subijt, hæc illum Regia cepit.

Vbi præclarè Donatus. *Personam Herculis posuit, meritúmquè victoris, vtraque humilibus tectis incongrua, & tamen cum aliud non esset, illum fuisse contentum, ac mentem potiùs hospitis, quàm ipsius hospitis angustias tractauisse. Non ideò Regiam dixit, quòd parietum eius, aut cultus aliqua fuisset ambitio, sed tantam illius Dei voluit ostendere beneuolentiam, vt magnum putaret, quò fuisset ingressus.* Ostenditur ergo Dei beneuolentia, qui *magnum putauit, quò fuisset ingressus*; Et Euandri sincera voluntas, quam Hercules *hospitis mentem potiùs, quàm ipsius hospitis angustias tractauit.*

92 Herculeum est opus cõtemnere.

Cum ad contemnendas opes Æneam hortatur Euander, sic inquit;

Aude hospes contemnere opes, & te quoquè dignum
Finge Deo

Vbi præclarè Donatus. *Cum ait, Aude hospes ostendit contemptũ opum esse difficilẽ. Quod si audeat, vide quantũ Æneæ laudibus dedit Euander, vt eum Herculi comparet.* Et Zerda. *Imitari Deum si vis Herculem, opes contemne, & aude contemnere. Et magnum, & supra omnem audaciam florentem rerum fortunam despicatui ducere: hac vnâ re finges te simillimum Herculi potiùs, quàm victis monstris.* Herculeum itaque opus est opus contemnere, paupertatem amare. Et legi tum hîc consequens est; Audes opes contemnere? dignum ergo te Deo fingere potes. Apud Ascensium Seneca in hunc Virgilij locum. *Nullum ait dignum Deo, nisi paupertatis amatorem.*

93 Bona vitæ ratio constanter arrepta te quasi deificat.

Euander Æneam hortatur, vt *Audeat* opes contemnere; *Aude*, inquit; rem planè arduam & difficilem suadeo, sed si eam animosè & constanter arripueris, proh quantum tibi vtilitatis ex hac laudabili manabit audacia! Aude, & te iam inde finge quàm simillimum Deo. Tua te deificabit audacia. Seruius in hunc sensum, *Aude, & iam inde te compone in similitudinem Numinis.*

94 Quidquid hauritur oculis, plurimùm quęvis mouet affectum.

Quò Vulcanum Venus efficacius alliciat, vt suo arma fabricetur Æneæ, vt aspiciat hortatur, quanto ille in periculo sit.

Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me, excidiúmquè meorum.

Addit Aspice (inquit Donatus) *propter fidẽ dictis suis faciendam,*

vt

vt probarent oculi eius, quæ dolentis animum mentémquè feriebant. Nam ad quemcumquè effectum maxima est oculorum probatio. Nota; nequè priuignum dixisse, nequè victricum nominasse, abstinuit ab inuidiosis nominibus: deinde suam dixit rem agi in hoc bello *in me, excidiumquè meorum*, vel quia filij causa matris causa est; vel vt coniugis ille causæ accuratiùs consuleret.

Vt metum Venus augeat, quo ex armorum Italorum confœderatione percellitur, (vt sic præsentiùs Vulcanum moueat ad arma facienda, quibus pugnare impugnè possit Æneas) quæ ingruant in dies pericula, exponit, 95 Quidquid imperfectũ est, plus habet timoris, dum malorũ speratur augmẽtum.

Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuunt portis, in me, excidiúmquè meorum.

Vbi benè Donatus. *Quòd verò dixit Coëant, illud expressit, quòd adhuc colligerentur, quæ res creabat maximum metum, cum per singulos dies metuenda crescebant. Hoc idem significat & Acuant; quidquid enim imperfectum est, plus habet timoris, dum malorum sperat augmentum.*

Cum Vulcanus à Virgilio fingitur amans cum sua Venere miscuisse colloquia, *Deuinctus* dicitur, 96 Amor vinculorum nomen sortitur.

Fatur deuinctus amore.

Laqueus, vinculum, rete & amor est, quo te vinctum expedire vix queas. Hîc Pyerius. *Benè deuinctus, quòd amoris proprium est, & vinculum in mysticis significationibus amorem denotat. Neminem enim faciliùs ad te trahas, & arbitrio colliganeris tuo, quàm amantem. Poëtæ verò passim laqueos, & retia decantarunt.*

Notat Donatus in illo carmine, in quo dicitur Venerem alloquutum esse Vulcanum, 97 Tibi pater est, qui beneficia præstat.

Tum pater æterno fatur diuinctus amore,

Notat, inquam, Patrem dictum esse Vulcanum, cum Æneæ victricus fuerit. Quare? *Patrem non dixit* (Donati verba) *quia loco patris fuerat Æneæ profuturus.* Dicatur Pater, qui se fauturum promisit Æneæ.

Ab amantis fœmellæ illecebris nulla est ferè tuta Constantia. Suo Venus Æneæ arma petit à Vulcano marito. Priuignus victrico erat inuisus, vtpote qui ex coniugis esset adulterio conceptus. Maritum illa mollit illecebris, & ex offenso iam dubitantem reddit, fouet illum amplexu, & facile vincit, atquè ab eo quidquid conatur, extorquet. Illa. 98 A constantissimo quoquè amor immitius extorquet interdũ, quidquid conatur.

Cunctantem amplexu molli fouet.

Ille iam victus, *Fiducia cessit*

Quò tibi Diua mei? similis si cura fuisset,
Tum quoquè fas nobis Teucros armare fuisset.

Vbi perbelle Donatus. *Sic exorsus est, quasi non ipse esset, qui paulò ante cunctabatur; ita se facilem præbet, tanquam Veneris non intellectus*

tellectus ingenio, bonum se satis & beneuolum praestat. Dicendo, Tum quoquè, ostendit se nihil in praesenti negaturum. Quantùm illum fecit libido subiectum! Item, non ex ferro solùm conficienda promittit arma, sed ornanda liquido electro, & omni curâ & arte polienda.

Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro, liquidove potest electro,
Quantum ignes, animaquè valent.

Ecce plus promittit, quàm petierat Venus. Debebat quippe postulanti sola arma, ex ferro promittere; hîc addidit dicens, Faciam ex ferro, & quod vltrà necessitatem est, electro ornabo, quod fecero. Alterum pertinet ad firmitatem, alterum ad pulchritudinem e plurimum etiam terrorem hostibus incutit terror armorum. Haec Donatus. Et paulò inferius amans Vulcanus omninò expugnatus.

Absiste precando
Viribus indubitare meis.

Vbi Donatianam audi paraphrasim. *Absiste diffidentiam tuam monstrare, dum rogas. Proinde, cum, quidquid possum, tuum sit, remotis precibus, vtere viribus tuis.* Non vides quantum impuri vis amoris extorserit? Tanquam à facie colubri fuge foemellas, quae vel tutissimam solent expugnare constantiam.

99 Prudentissimè sanè Virgilius laborantem noctuquè diuquè foeminam, & instantem penso depingit, & addit, eo illam animo sic exercitam esse.

Castitatis labor est parens.

Castum vt seruare cubile
Coniugis, & possit paruos educere natos.

Assignat huius laboris & vigilantiae effectum, castitatem: huius autem causam castitatis, laborem. Benè Donatus. *Non tantum alimonia sua, & natorum sollicitudine tangitur, quantum castitatem maritali toro debitam cupit custodire.* Praesentissimum omninò contra huiusmodi tabem remedium!

100 Vt amatae coniugis precibus Vulcanus obsequatur & votis, intempestâ se nocte lecto proripit, Cyclopes excitat, incudem, malleos, ignem versat & ferrum; sudorem quieti, lecto speluncam, & molli strato fabrilis artis laborē praeponit. Nouerat enim susceptos pro amata Venere labores amoris esse incrementa, & cum foenore cumulatissimo recipiendos.

Labores pro amato suscepti, amoris incremēta sunt.

Inde vbi prima quies medio iam noctis abacta
Curriculo expulerat somnum

(Interponitnr deinde comparatio satagentis foeminae, sanè pulcherrima)

Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.

Vbi pulchrè Donatus. *Ecce quantum animus proficit! Excitatur Vulcanus noctis medio, relinquitur pulchra vxor: praeponitur quieti labor*

labor, cælo ſpelunca; & ſtrato molli contempto fabrilis artis difficultas elicitur. Hoc enim deſiderabant ratio temporis, & graues æſtus vxoris, vt ſummotâ omni ſegnitie, perfectis opportunè armis, gratior rediret ad coniugem. Eò hæc tendebant curæ Vulcaniæ, vt *gratior ille rediret ad coniugem.* Dum pro ſua Venere labores addebat, incrementa quærebat amoris.

Amantes fere atheiſtas reddit amor impurus. Dum ſuis illi amoribus obſequantur, cœli iuſſa nil curant. Arma Venus à Vulcano petit Æneæ ſuo. Annuit vltrò Vulcanus, & vt petenti ſtatim obſequatur, ſic ad Cylopas. 101 Deum amás ſuis morem gerat amoribus, cœli ſæpè iuſſa non curat.

> *Tollite cuncta, inquit, cæptoſquè auferte labores*
> *Æthnei Cyclopes, & huc aduertite mentem,*
> *Arma acri facienda viro; nunc viribus vſus;*
> *Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtrâ,*
> *Præcipitate moras.*

Expendit ingenioſè Donatus vocem illam *Cuncta.* Itáne Vulcane tui te amores, & tua obcæcauit impietas, vt *cuncta* Deorum opera tolli iubeas, vt coniugi tuæ morem geras? non operibus ſaltem Iouis peperceris? *Ecce quantus ardor* (Donati verba) *perficiendi, quæ Venus poſtulauerat! iubentur cuncta remoueri, nec ſaltem perſona Iouis excipitur, qui Deorum omnium retinet imperium.* Non videtur, præ Venere, Deorum quempiam agnoſcere.

Quando Vulcanus Cyclopibus imperat, vt arma fabricentur, 102 non quis petierit, nec cui illa facienda ſint, aperit; nam quæ coniuges interſe ſecreta tractauerant, reuelare non debuit. *Arma,* inquit, *acri facienda viro.* Notauit Donatus. *Cum loqueretur, & remouenda vniuerſa mandaret, quod ſecretum inter ſe & vxorem ſuam fuit, breuitatis ratione ſimul ductus, & pudoris ſui cauſa, contexit.* Nota item, illum puduiſſe vxoriis ſe blanditiis expugnatum aperire Cyclopibus, ne nimis vxorius haberetur; quod & Donatus addidit. *Suppreſſit cuius causâ, ne nimis vxorius videretur.* Quæ inter coniuges ſecreta tractantur, reuelari non debent. Pudor eſt viro à fœmina vinci.

Vt Vulcanus apud Cyclopas ſuo cauſas obtendat errori, qui 103 *Cuncta* Deorum opera iuſſerit tolli, vt ſatis voto Veneris faciat, addit,

> *Arma acri facienda viro*

Non cuicunquè, ait, ſed *Viro*, & huic *Acri.* Quod Donatus vidit; *Virum dixit, non vt ſexum, ſed vt meritum ſignificaret. Denique Acri addidit, vt oſtenderet dignum, quem ipſe Vulcanus armaret; vt merito videretur dixiſſe cuncta, & omnes de medio ceptorum operum labores auferre.* Sed planè præ amore defecit. Quæ enim excuſatio erroris hæc, vt opera Deorum abijceret, hominis armis prælatis, quantumvis ille *Vir*, quantumvis *Acer* eſſet? Cauſas Amor ſuis obtendit erroribus quibus eos ſæpè grauiùs accuſat.

Cum aliquid eſt, quod te lædat, aut pungat; in eo homine, in quem inferre beneficium volueris, ab eâ precor offenſione mentem

104 In beneficio faciendo ab offensionibus mentem averte.

averte, ne te in faciendo beneficio retardet, aut retrahat. Facturus arma priuigno vitricus, Vulcanus Æneæ; neque se vitricum, neque priuignum nominauit Æneam, ne animus odioso nomine pungeretur, & sic parcus ipse & illiberalis esset in Venerem, cui armorum munus erat pollicitus. *Acrem virum* pro Priuigno substituit, vt alliceret potiùs nomen, quàm retardaret. Ingenui animi ingenium!

Arma acri facienda viro.

Vbi Donatus. ad rem fortasse. *Nec nominat priuignum, cui facturus est beneficium, qui naturali malitiâ odiosus esse potest.*

In præstando beneficio celeritas, nouum est beneficium, Duplici ergo Vulcanus beneficio affecit Æneam, cum Cyclopes iubet in fabricandis armis moras precipitare.

105 Bis dat, qui cito dat.

Præcipitate moras.

In beneficijs quippe præstandis (Donati verba) *non solum factum, sed facti ipsius maturitas grata est.*

106 Vt Superioris est iubere, ita inferioris, iussa exequi.

Moraliter sanè & prudenter Virgilius, cum hìc Vulcano Superior's attribuat munus, Cyclopibus tantùm manus attribuit. Ille iubet.

Arma acri facienda viro, nunc viribus vsus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistrâ,
Præcipitate moras. Nec plura effatus.

Nulla est in Cyclopibus mora: quare ipsi nec verbum; sed manus operi admouent & industriam: audi

At illi.
Ocyùs incubuere omnes

Expendit pulchrè Landinus. Rectè At illi, *Inferioris enim non est respondere, sed iussa quàm primum exequi; præsertim cum intelligit properato opus esse.*

107 Rem multi feliciter expedient, si suo sit vnusquisque muneri intentus.

Frustrà multi laborant, nisi laboris partes ipsi sortiantur; confusio potius ex multitudine nascitur, quàm opus prouehitur. Quare prudenter Maro Cyclopes inducit laborem sortitos, vt faciliùs, & felicius Vulcani iussa expedirent, Non solùm dixit.

Ocyùs incubuere omnes.

Sed & adiecit, quod ad rei perfectionem maximè conduceret,

Pariterquè laborem
Sortiti.

Superioris præsentia vrgetur inferior.

Pulchrè Landinus. *Non satis est, quod omnes incumbant, nisi etiam pariter, idest, æquis portionibus operentur.* Non contemnenda est hìc notula Zerdæ, ad illa verba.

Nec plura effatus. At illi
Ocyùs incubuere omnes

Vix hæc, (inquit ille) *cum illi ocyùs, festinantiusquè solito ad præsentiam sui Regis incubuere (quippe Vulcani præsentia vrgebat.)*

Lepidè

Lepidè satis Donatus expendit vocem *Pater* in illo carmine. 108

Hæc Pater Æolijs properat dum Lemnius oris. Quid non fœminæ dolus assequitur?

Patrem Poëta vocat Vulcanum, cum vitricus esset Æneæ. Paternitatem obtrudit facili Deo Deo, qui Veneris dementatus dolosis illecebris in paterna se iura bonus immisit, facile passus Anchisen adulterum, Æneæ patrem, amasium Veneris, Vulcanei violatorem coniugij. *Heus tu Vulcane, fronti potiùs crede, quàm coniugi; Ex Æneæ vitrico Patrem te fecit dolus vxoris;* nequè vt cuiquè patrem; *Deniquè patrem, qui patris ad plenum fungeres officio, & perficiendis armis instanter operam dares.* Omninò lepidè. O miserum coniugem!

Landinus in Carmen illud. 109

Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma, Vigiles superiores esse debent.

Nota Euandrum, licet senio confectum, primâ luce lectum deseruisse: decebat quippe, qui Superiorem ageret, vigilantem describi. *Nam populi rectores* (Verba Landini) *vigilantes esse oportet.*

Quasi conquiescere Rex non posset, nisi priùs datam Æneæ fidem & obligata promissa impleret; illum *tecto lux suscitat alma*, & statim, 110 Promissis stare omninò Reges debent.

Hospitis Æneæ sedem; & secreta petebat,
Sermonum memor, promissi muneris Heros.

Promissa Regem sollicitabant: promiserat suprà,

Auxilio tutos dimitam, opibusquè iuuabo.

Huius igitur promissionis illum stimulabat impletio, vtpote Regem cuius illa inter primas laus esse debet, *Præstita fides.* Notauit Zerda Nota, 14. *Hac fide esse debent Principes. Hanc celebrat in Theodosio Latin. Pacat.* his verbis. *Nihil ita labris primoribus polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sancias. Nemo iam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis: quia tam sunt certa, quæ spondes, vt tum videantur accepta, cum spondes.* Hæc Pacat. Præclarè ergo de Euandro, *Memor sermonum & promissi muneris.*

Vel leuissimam moram sæculum putant, qui feruentius aliquid desiderant, aut amant. Nox interiecta tantùm est, & breuissima nox, cum ad primam auroram Reges Troianum & Arcadem expergefecerit gallicinium; nam Euandrum 111 Amanti, aut vehementer cupienti quæcunquè mora sæculum est.

Ex humili tecto lux suscitat alma,

Æneas

Nec minus Æneas se matutinus agebat.

Particulam tamen *Tandem* interponit Poëta cum sermonem hesternum redintegrant.

Et licito tandem sermone fruuntur.

Apparet summæ voluptati hesternum fuisse vtriquè congressum, in verbo *Fruuntur*. Vnde moram damnat particula *Tandem*. Seruius optimè. *Tandem dixit, quia amborum desiderio nox moram fecerat.*

112 Compendiosè profectò, sed vberrimè laudat Rex Euander Æneam.

Egregia laus compendio collecta.

Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam
Res equidem Troiæ victas, aut regna fatebor.

Hic Zerda in explicatione. *Illustrissima Æneæ commendatio, quo saluo, imperium Troiæ non victum.* Et addit deinde; *Dic an maior possit excogitari*; Vix dicam.

R P.

R. P. SEBASTIANI DE MATIEÑZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER NONVS.

QVID assiduis cœlum fatiges precibus, si opera negligas? Iungenda tuis precibus tua opera sunt; sic ad felicem exitum, quod optas, perducetur. Ideò ait Donatus correptum esse Turnum ab Iride, quam Iuno ad illum misit irata; 1 Tuis ad Deum precibus opera iunge.

Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum.

Audacem, inconsultum, & temerarium accipiendum est. Donatus. Quid enim inconsultius, & temerarium magis, quàm solis fidere precibus, & rem totam Deo, superisquè relinquere, cum manus illa postulet tuas, industriámquè requirat? *Sedebat* tunc temporis Turnus, hoc est, explicatore Zerda, sacris operabatur, in sacratæ vallis luco Pilumni Patris, quasi vallis illum sacratio, & Pilumnus parens iuuare residem & otiantem possent.

Vbi Donatus. *Sedere vel maximè hoc loco non tantùm corpore, verum etiam otiosum animo esse significat. Sedebat igitur in luco parentis Pilumni, quasi demum illum aut Pilumnus mortuus, aut vallis consecratio iuuare potuissent. Hunc ergo vsque adeo Poëta desidem notat, & in periculo suo satis incautum, vt ipsi quoquè Iunoni displicuisset. Nam hæc fuit causa, cur ad eum Irim mitteret, quæ torpentem ad aliqua facienda compelleret. Non enim hoc faceret Iuno, si in periculo positus partes suas rectè tractaret.* Deo igitur displicet, qui totus precibus, operibus nullus impenditur. Suas ille tractat partes, qui operibus faciendis vacat, & precibus.

2 Immediata beneficio gratiarum actio est conferenti gratissima.

Semper est conferenti beneficium gratiarum actio grata, immediata verò beneficio, gratissima. Vix salutare consilium Turnus accepit ab Iride,

Turne, quod optanti Diuûm promittere nemo
Auderet, voluenda dies en attulit vltrò, &c.

Cum ille gratus

Tali fugientem est voce sequutus.
Iri, decus cœli.

Quamuis illa celerrimè, post alloquutum Turnum, paribus sese in cœlum alis attolleret, (nam

Dixit, & in cœlum paribus se sustulit alis,

Turnus actutùm, sine mora, gratitudinis plenâ fugientem est voce sequutus. Quod Nymphæ gratissimum accidisse pulchrè Donatus expendit. *Tanta fuit celeritas subsequutæ vocis, vt fugientis abscessum, hoc est, celeriter recedentis vox Turni fuerit subsequuta. Quàm iucunda autem gratiarum actio est, quando Iris, ante inuenit, qui gratias ageret, quàm ipsa ad sedem propriam reuenire potuisset.*

3 Duplũ nobis id redditur, quod impẽdimus Deo.

Cum Turnus Iridem Nympham agnouit, acturus gratias, palmas cœlo tetendit,

Agnouit Iuuenis, duplicesquè ad sydera palmas
Sustulit

Quare non *vtramquè* dixit, aut *duas*, sed *duplices*? Quia, quas manus debitis Deo gratiarum actionibus consecrauerat, non iam duæ tantùm sunt, sed *duplices* duæ; Vtramquè sustulit palmam, vtramquè simul cœlo in gratiarum impendit actionem? duplicem ergo recipiat vtramquè. Ante gratiarum actionem vltrà duas manus neque habuit, neque habere potuit; in ipsa gratiarum actione duplicantur, & duplices habet iam, qui simplices attulit. Nam quod Deo impendimus, duplum recipimus. Vide quàm duplas Turnus manus; duplas, inquam, virtute, animis, furore Martio; nam statim ipse,

Sequor omnia tanta,
Quisquis in arma vocas.

Ad bellúmquè processit intrepidus, Latini exercitus Imperator, qui modò deses languebat in luco,

Medio

Medio Dux agmine Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice suprà est.

Hùc trahendus Donatus. *Duplices dixit, non duas, neque enim vltrà duas habuit, neque habere potuit; sed ambas simul erexit, quod fuit signum plenè agentis gratias.* Tam benè impensas palmas, quidni duplices sensu, quem diximus, recepisset?

Facta Superis consecratio, quæcunquè illa sit, diuisionem non habeat. Manca illa est, quæ partim datur, partim subtrahitur: omninò sit integra. Non palmam Turnus in gratiarum actionem sustulit, palmam depressit, non iam vnâ, iam alterâ gratum testatus est animum, sed vtrámquè gratus simul tetendit ad sydera, sicquè plenè suo satis animo fecit. Quod notauit Donatus. *Ambas simul erexit, quod fuit signum plenè agentis gratias.* 4

Quod Deo consecras, diuidendum non est.

Ex affectu grati animi sæpè in verba verum excedentia, per augesin descendimus. Ita Turnus Irim *cœli decus* appellat. 5

Eucharistica oratio non respuit augêsin.

Iri decus cœli

Vbi pulchrè Donatus. *Ornare cœlum quanti est meriti? pulchritudinis quanta? vbi tot sidera suo quaquè radiantia parent soli. Et tamen cum Iris extiterit, omnia illa cum ipso Sole vincuntur. Neque obscuratur radijs solis, sed coloribus diuersis pingit cœlum, & ipsum solem gratiâ fulgoris exsuperat.* Addit deinde. *Hæc pro voluntate dicta sint eius, qui agebat gratias, non quò re verâ, ipsa sit potior sole.* Hæc ex gratæ mentis affectu.

In ipso Eucharisticæ suæ orationis exordio sic Turnus ad Irim, 6

Expendendæ sunt in gratiarū actione personæ, res, locus.

In decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras?

Vbi personæ, res, locus breuiter expenduntur. Te, mihi, quis Deus? mei causâ te decus cœli in terras. Donatus. *Intelligo multum me meruisse de Superis, quòd dimissis regionibus cœli, quorum es ornamentum, ad terras, mei causâ venire potuisti, ac mei causâ viduare tuis ornatibus, quod decorare consueuisti.*

Insidiosè Turnus suum in Troianos ductabat exercitum; insidiarum nuntius extitit puluis; sic enim Caïcus ab aduersâ clamauit speculâ, 7

Callidi hostis fallacias puluis ostēdit mysticè.

Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atrâ?

Pulueris enim globum prospexit Stationarius his miles, & Teucri,

His subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri.

Oculis puluere obiecto callidi hostis fallacias agnoscunt. Donatus benè. *Prodidit quamuis tacitos puluis, & Troianis semper, absente Rege, diligenti curâ sollicitis quasi quidam nuntius aduentum insidiosi hostis indicauit.* Qui puluis obcæcare oculos solet ad ruinam, Troianorum oculos ad salutem aperuit. Puluere factum est, vt technas

illi callerent hostiles, & sibi ab Turni furore & armis præcauerent. Sic enim viso puluere,

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.
Hostis adest eia. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, & mœnia complent.

Si mysticè intelligas, aliquid potest hic locus habere energiæ.

8 Grauius nos pericula interdum terrere solent, quæ imminere nobis à longè sentimus, quàm quæ præsentia experimur. Hunc affectum & effectum præclarè notauit Donatus in illa verba,

Maiorē sæpè nobis terrorē afferunt imminentia pericula, quàm præsentia.

Hic subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras nigrescere campis,
Primus ab aduersa conclamat mole Caicus;
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra?

In imperfectis, (inquit,) *maior semper est terror: illud enim, quod iam accepit statim de perfectione, potest habere dispositum animum; illud verò, quod adhuc in augmentis est, & habetur incertum, quemadmodum euasurum sit, plus terret, quàm necesse est. Denique malum illud, quod sic per momenta crescebat, vt primò in modum nubium glomeratio tetra; dehinc tenebræ non agrorum angusta, sed campos obtegere cernerentur, addebat terrorem intuentibus.* Et eum terrorem, vt festinantiùs clamaretur,

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest, eia

9 Quæ pericula cominùs visa non eum Troianis intulere timorem. Nauigiorum necessitas vrgebat Æneam, quibus, post Troiæ ruinam, in alias terras transuehi possent ij, qui plurimi ad littora, illo duce, confluxerant. Posset ille ex Berecynthiæ sylua ligna cædere, aptare trabes, malos, tabulasquè seligere, non tamen ausus propter pietatem, ac religionem, quia nouerat sacram illam Deorum matri, quam scindere, aut ferro violare nefas esse duxit. Itaque hac pietate ductus nec ramulum passus est à quoquam decerpi. Huc accedit, quòd dilecta illa sylua Berecynthiæ matri maximè fuit, non solùm sacra. Sic ipsa

Multum & meretur pietas, & assequitur.

Pinea sylua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summá, quò sacra ferebant.

Maxima hæc Æneæ religio ac pietas id tandem meruit, vt Dea ipsa vltrò donaret, quod ille neque ausus est violare, nec petere. Ita Dea, Trabes

Has ego Dardanio Iuueni, cum classis egeret,
Læta dedi.

Quod optimè notauit Donatus. *Cum dixit Dedi, ostendit se non petenti præstitisse. Potest etiam sic intelligi. Non petenti libentiùs dedi, ille enim, licèt in magna necessitate positus non ausus est postulare, quod nouerat sacrum; aut scindere, quod incola omnes venerari consueuerant.*

Quæ

Quæ à violatione nemoris pietas retardauit, nauibus meruit ipsa materiem, & est eam cumulatissimè consequuta.

Donare, multorum est; cum lætitiâ donare, fortasse non multorum: Qui autem læti donant, Deum imitantur. Expendit acutè Donatus, Berecynthiam, cum dicit se Troiano Duci necessariam classi donasse materiem, dixisse pulcherrimè, *Lætam* se dedisse, vtpote Deam, 10 Qui lætus donat, Deū imitatur.

Has ego Dardanio iuueni, cum classis egeret
Læta dedi.

Diuinæ potius naturæ proprium est cum *Lætitia donare*, quàm humanæ: illi proximè accedes, si cum lætitia donaueris. Donati verba hæc sunt. *Mirè Deæ illam addidit gratiam, vt cum lætitia mentis id se asserat contulisse.* Nota Superiorum esse cum *lætitia mentis*, hoc est, cum vera lætitia, donare; nam quæ oris tantùm lætitia & vultûs est, ficta lætitia est.

Quare cum Iuppiter maternæ petitioni respondet, sine verbo aliquo Poëta præmittit, 11 Parentes vbiquè sunt obseruandi.

Filius huic contrà,

Cum posset addere *Assensus est, respondit, dixit,* vel quid simile? Fortasse illa ratio est, quia si *respondit*, aut *dixit* adiecisset, minus obseruare & venerari matrem Iuppiter notaretur, cum verba hæc à Rege filio in Reginam matrem decentiâ parùm, parúmquè ex affectu debito parentibus videantur: Si verò *Assensus est*, addidisset, facilem se nimis ostenderet, erga fœminam præsertim; quod illum maximè dedecet, qui publicam agit, sustinétquè personam. Ne ergo Iuppiter in vtramnis peccaret partem, verbum nullum Virgilius apposuit, non primùm, ne matrem læderet; non secundum, ne publicæ personæ munus corrumperet. Acutè in margine à nescio quo, cuius ingenium nosco. *Noluit Poëta addere dixit, aut respondit, ne horum siccitate verborum matri debitum lædere posset affectum; neque Assensus est, vel quid simile, ne Iudicis, quem ille agebat, maturitati deesset.*

Tria illa verbula expendit Donatus in Ioue, qui & *Matri* & *Filius*, & *Contrà* respondit. 12 Nullo iudices, aut Superiores, præter ius, ducantur affectu.

Filius Huic Contrà.

Tales esse debent, qui personam publicam vtcúnquè sustinent: iure ipso ducantur, non carnis affectu, aut alio non debito. *Filius, cuius potestas est, & nollet datam omnibus lucem, quamuis poscente Matre, corrumpere, contrà respondit, hoc est, non est assensus ei, quæ studio magis, quàm ratione ducebatur.* Publicam tunc Iuppiter personam agebat, nam ideò Poëta præmisit,

Torquet qui sydera mundi.

Idæam illum Superiorum repræsentauit, cui si hæc Superioris pars, id est, integritas, & nulla personarum acceptio deesset, omninò

 peccaret.

Commune peccaret. Expende verba illa Donati, *Nolle datam omnibus lucem corrumpit corrumpere.* Quasi lucem corrumpit, qui Iudex cum sit, & Superior, lucem, qui præpostero ductus affectu, à ratione aliena, & à iure prorsus exeiudex à veritate, & iure non stat. quitur.

Iustam Iuppiter seueritatem vide quantâ cum lenitate con-

13 iungat.

Superiores seueritatem lenitate coniungant.

O Genitrix, quò fata vocas? aut quid petis istis?

Matrem vocat lenis, quam Superior seuerus reprehendit, & taxat. Vbi pulchrè Donatus. *Matrem vocat, ne læsa discederet. Fiduciâ inquit, viteris matris, atque, vt hoc impetres, sacrum nomen pietatis opponis. Sed in hac causâ, quâ in regendi mundi necessitate constringor, nec possum cœlestia iura conuellere, nec solùm quæ, & à quo petas, verùm etiam quid fieri velis, debes expendere.* Quantâ ille nouit lenitate seueritatem temperare! *Matris* nomine mollit, quod duriusculum erat seueræ orationis.

14 Ad cœlestia prodigia Turnus quàm insensibilis! ad miram illam

Actum omninò est de homine illo, qui insensibilitate laborat.

nauium metamorphosin (nam quot naues erant, tot conuertuntur in Nymphas) turbantur equi, Tybris cursum continuit, imò retrò rediijt stupore miraculi, raucum quiddam submurmurans; & fit præcipua Messapi mentio, quia is Neptuni filius cum esset, videbatur nihil debuisse ex marino prodigio timere, (vt coniectat Seruius) Non tamen quidquam Turnus de furore remisit, imo audacior & fidentior effectus militum animos, qui videbantur iacere, cœpit attollere, atquè increpare;

Obstupuere animis Rutuli, conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur & amnis
Rauca sonans, reuocatque pedem Tyberinus ab alto.
At non audaci cessit fiducia Turno:
Vltrò animos tollit dictis, atque increpat v'trò.

Miserum te, qui, sentientibus omnibus cœlestia prodigia, illa tu omninò non sentis! actum de te est, peribis sine dubio. Sic notauit præclarè Donatus. *Qualem interea putamus terrorem fuisse, cum illa fierent, quando maiestatis potentiam animalia etiam muta senserunt! Omnes facti nouitate occupauerat stupor, homines, equos, flumen; audacia tamen Turni immobilis mansit. Temerarij enim non mouentur ex accidentibus, nec succedentibus malis aliquando franguntur, sic pereunt, manifesta grauioráquè pericula pro leuibus & dubijs æstimantes.*

15 Vt ad præclarè gerenda suos Turnus hortetur, imò impellat, quid ait?

Præeuntem Superiorem sequi debet securus inferior.

Ferro quis scindere vallum
Apparat? & mecum inuadit trepidantia castra?

Securitatem posuit in voce *Mecum.* Quasi dicat, Præeuntem me Imperatorem vestrum sequi debetis inferiores de victoria securi.

curi. Donatus hîc ita expendit. *Mecum addidit ad incitanda hortamenta validissimum. Videbatur enim de victoriâ securus persuadere militibus is, qui societatem faciendi fuerat subiturus.*

Quoties intempestiuus ludus exitium ludentibus attulit? Stulti Latini illi, qui præuiam pugnæ noctem ludo insomnem duxerunt, 16 Intempestiuus ludus est exitialis.

Noctem custodia ducit
Insomnem ludo.

Quò factum est, vt intempestiuus hic ludus & fatigationem attulerit & exitium. Nam Nisus & Euryalus, qui Teucrorum in speculis stationarij milites erant, cum fatigatos ludo Latinos vidissent, ausi sunt, habitâ ab Iulio veniâ, prodire,

Noctisquè per vmbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio, passim vino, somnoquè per herbam
Corpora fussa vident.

Et suprà de Latinis fatigatione Ludorum procubuisse dixerat Nisus, in summa rerum fiducia.

Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum,
Lumina rara micant, somno vinoquè sepulti
Procubuere.

Exitiabilis illis hic ludus fuit, quia intempestiuus. Hic aptè Donatus. *Vigilabant, bibebant, ludebant; quæ omnia,* noctè præuiâ certamini, *non refectioni proderant, sed fatigationem pariebant,* & necem pepererunt.

Quàm gloriæ cæcus est appetitus. Sæpè tuam dum gloriam quæris, in tuum temet dedecus & exitium immittis. Gloriolam quærebant suam iuuenes illi, cuius cupiditate flagrabant; Nisus, qui ita ait, 17 Dum tuam petis temere gloriam, dedecus expiscaris & necem.

Nam mihi facti
Fama sat est.

Euryalus paulò inferiùs sic ad amicum Nisum;

Et istum
Qui vitâ benè credat, emi, quo tendis, honorem.

Hæc illos gloria, hic honor, hæc fama sollicitat, vocat, impellit, quod notauit Landinus. *Non auaritiæ causa, sed gloriæ cupiditate illa egerant.* Quare, veniâ ab Iulo concessâ,

Castra inimica petunt.

Expendit ingeniosè Donatus vocem *inimica*, & ait, non tam significare *hostilia* & Latina castra, quàm duorum iuuenum vitæ *inimica*, vnde ipsi redituri viui non erant. *Inimica castra dixit, quoniam illò contenderent, vnde non erant redituri.* Sic Donatus. Gloriam quærebant, ambibant laudem; expiscati sunt

 necem,

necem, dedecus inuenerunt; nam illos Latini interceptos occidunt, &

Ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali & Nisi.

Infelicem sortiti exitum, vbi temerè felicissimum sperabant.

18 Veræ hæc lex est amicitiæ, vt æquè saltem honori consulas amici, atquè tuo. Hanc Nysus Euryalo, cum ad Troianorum primores, de adeundis hostium castris consilium defert, quod honestissimum ipse agitauerat animo, & cum amico communicauerat; quod à se consilium erat, magnanimitatis plenum & virtutis, penè solo tribuit Euryalo.

Verus amicus magis cõsulit amici honori, suo.

Audite ô mentibus æquis
Æneadæ, néve hæc nostris spectentur ab annis
Quæ ferimus.

Non hoc Nisus de se, sed de Euryalo dixit, ait Donatus, qui penè, puer erat. Voluit enim amico intimo dare, quod suum erat. *Ætatis commemoratio facta est propter Euryalum, de quo suprà dixit, Ora puer primâ signans intonsa iuuentâ. Vult enim egregius amicus omninò gratiam inuenti consilij participare cum socio* Sic præclarè Donatus.

19 In vitæ graue periculum Nysum & Euryalum dimittit Ascanius. Et cum illis suæ præmia virtutis obtulisset in reditus, eadem Euryali matri concedenda promittit, si interceptus ab hoste filius non redierit.

Vel nomina ipsa infelicitatis & aduersitatis mundiales homines vsurpare nõ audent.

Quæ tibi polliceor reduci, rebusquè secundis,
Hæc eadem matriquè tuæ, generiquè manebunt.

Expendit ingeniosè Donatus bis Iulium *felicitatem* nominasse, *Tibi reduci*, inquit, *rebusquè secundis*; infelicitatis verò fecisse nec verbulum, cum certum sit, eam fuisse mentem Ascanio, vt si infeliciter res cecidisset, eadem præmia, quæ incolumi redderentur Euryalo, matri darentur. Geminauit felicitatis verba, de infelicitate omninò reticuit. *Hæc dicendo* (Donati verba) *Et si redisset, promisit beneuolentiam, & si non redisset: quod aduersum fuit, reticuit, nè mala sibi potius, quàm bona promittere videretur.* Hoc affectu ductus, quo homines solent, qui vel nomina ipsa aduersitatis vsurpare non audent.

20 Suo iure, Principis aut Superioris dignitas poscit alium ab inferioribus locum, cum de illis, aut cum illis agitur. Hoc politicè Donatus expendit in Iulio, quem Virgilius separatim nominat, nequè inter alios Duces Troianos temerè conijcit, cum Nisus & Euryalus dimittuntur ad hostes.

Princeps vbique & loco & dignitate ab alijs separandus.

Quos omnis euntes
Primorum manus ad portas, iuuenumquè senumque
Prosequitur

Prosequitur votis.

Vidisti Troianos in congeriem coniectos? vide nunc separatim ab ijs omnibus Iulium,

Necnon & pulcher Iulus
Ante annos animumquè gerens, curámquè virilem.

Suo Principem loco reposuit, & regali debitam dignitati partem attribuit. Pulchrè Donatus. *Egregium iuuentum! vt à ceteris separaretur Ascanius; esset enim magnum Poëta vitium, si hunc vniuersis aquasset.*

Inter arma Rhamnetes erat, ibiquè delicias (malum!) quære- 21
bat, vt in pace, regales. Eædem sine dubio damnum afferent,
mortem inferent. Proflantem illum pectore somnum, altis, molli-
búsquè iacentem in tapetibus Nysus aggreditur. Grauis Regis
proflatus stertentis iuuenem monuit, vt fortiter ageret, & dor-
mientem occideret.

Delicias intempestiuas quærenti occurrit interitus.

Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum.
Tum caput ipsi aufert domino, truncúmquè relinquit,
Sanguine singultantem.

Suæ illum deliciæ prodiderunt. Inter arma delicias? vide quàm noxias. Egregiè Donatus. *Plena est* (inquit) *istius Rhamnetis reprehensio, quòd tali loco, ac tempore, multâ veste, & vltrà pacis delicias instructâ, dormiebat: perinde nesciens viuus faceret, an mortuus.* Viuus ipse sibi faciebat, quod mortem accerseret, eo loco & tempore, quibus arma furebant, æstuabant & animi. Addit deinde; *Spernebat enim, quod non facit, nisi qui securus facit, & in otio constitutus est.* Spretus enim hostis sine omnimodâ securitate quid aliud nisi mortem offerret, inferret?

Spretus sine securitate hostis mortem solet inferre.

Expendit præclarè Donatus inuentum aurigam fuisse Regis 22
Rhamnetis inter equos, vbi à Niso fuit interfectus;

Ebrius suppar est belluis.

Armigerumquè Remi premit, aurigamquè sub ipsis
Nactus equis.

Ebrius ille non erat? vbi ergo potuit aptius inueniri, quàm inter belluas, quibus est ille suppar? Ebrietas enim illos humano ferè èxuit ingenio, & in bellicinam propè naturam turpi omninò metamorphosi mutat. *Quomodo enim reperiri debuit, nisi sub ipsis equis, qui, deligendi loci, opressus vino, arbitrium habere non potuit?* Sic Donatus. Rectè iacet ad belluas, qui belluino ritu Bacchum rudebat.

Grauissimo erat timore correptus Latinus ille Rhætus, cum penè 23
per vmbram vidit Euryalum cædêtem Rutulos, & stragem edentem.
Compulsus ergo præ metu fuit post craterem sibi latebras quærere,
Adultæ & robustæ Rhætus erat ætatis, penè puerilis Euryalus;
quid ergo ita turpiter homuncionem horret adultus? Timor, quem
conceperat animo grauem, paruulum hostem, quasi maximus esset,

Timeri nemo non est hostis magnus.

repræſentauit. Ex Donatianâ interpretatione,quæ carmen hoc

Sed magnum metuens ſe poſt cratera tegebat,

Pulchrè ad hanc rem. *Obſuit timiditas ſua,qui cum magnum hoſtem vltrà modum metueret, ſeſe poſt craterem nitebatur abſcondere. Hic dubitatur quò debeat applicari quod dixit Magnum,magnùm metuens, an magnum poſt cratera? Sed meliùs eſt magnum hoſtem accipere, propter nimium timorem.* Magno timori magnus hoſtis eſt viſus.

24 Vult aſſurgere Rhœtus,vt configat Euryalum;& hic Rhœti conatus in iuuenem, totus in conantem conuertitur, nam obiecto ab Euryalo enſe Rhœtus infigitur;& quam ipſe necem Troiano, parat, ſubit Latinus.

Cum lędere alium conaris,te ipſum lædis.

Pectore in aduerſo totum cui cominùs enſem
Condidit aſſurgenti, & multâ morte recepit.

Alienam dum quærit iniuriam,inuenit ſuam.Ingenioſè Donatus. *In ipſo pectore plenum ictum mucronis ab Euryalo ſuſcepit, quod factum eſt ſurgentis impetu, & feruentis. Huic intellectui* (addit ad maiorem explicationem) *ferarum, cum percutiuntur, congruit factum, quæ ſaltu ac pondere ſuo venientem adiuuant impetum.* Toto impetu fera fertur in iaculum, vt exertis armis venantem, aut agitantem feriat, atque ita neſcia offendit in ferrum, excipit necem, & perit. Apta ſatis ad rem præſentem ſimilitudo.

25 Laudatur Euryalus, quod oblatam occaſionem labi paſſus non fuerit,

Occaſio ſtatim eſt arripienda, ne pereat.

Hic furto feruidus inſtat.

Vbi Donatus. *Tantò magis rei perficiendæ operam dabat, quanto videbat occaſionem multiplicem ſuffragari.* Illam arripuit,ne periret.

26 Communia dum commoda quæris tuis poſthabitis, felicitate potiris;dum è contrà lucris inhias tuis, communibus poſtpoſitis commodis, quid non tibi contingit infelix? Hoc expende in Euryalo, qui dum gentis ſuæ gloriam, commodúmquè quærebat, nullâ ſuæ vtilitatis ratione habitâ, fœlici ac fauente vſus eſt Marte; dum ſuam communi prætulit,nactus eſt infelicitatem. Donatus in Emiſtichium illud de Euryalo.

Commoda dùm cōmunia quæris, tuis poſthabitis, felix: dum è contrà, infelix.

Hic furto feruidus inſtat,

Ita ait. *Tantò magis perficiebatur furtiua victoria, quantò animus viri fortis rapiebatur ad gloriam*; ſuæ videlicet gentis, & nominis. Huius oblitus gloriæ communis, priuatæ ſtuduit auaritiæ, nam

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula &c.
Hæc rapit, atquè humeris nequicquam fortibus aptat,
Tum galeam Meſſapi habilem, criſtiſquè decoram
Induit.

Ita onuſtus ſpolijs caſtris excedebat; ſed mole rerum implicatus exceptus ab hoſte eſt, & interfectus; ſequitur enim,

Euryalum

Euryalum tenebræ ramorum, onerosaquè præda
Impediunt.

Cui ab dexterâ hostili

Viribus ensis adactus
Transadigit costas, & candida pectora rupit.

Quid aliud à communi deflectens commodo ad priuatam tuam vtilitatem expiscaturus eras, Euryale, quàm infelicitatem? quàm necem?

Erant sine dubio fortes humeri Euryali; illos tamen Virgilius vocat *nequicquam fortes*, hoc est, imbecillos, infirmos, postquam hostili temerè prædâ onerantur. Ante prædam *Fortes*, post prædæ onus, infirmi sunt & imbecilli. Benè impensos humeros fortitudo commendat, malè impensos imbecillitas damnat. 27 Malè impensæ vires debilitas est.

Hæc rapit, atquè humeris nequicquam fortibus aptat.

Nequicquam Donatus *Fortibus* iungit, (non vt alij interpretes, *Nequicquam aptat*, quia mox eâ prædâ erat spoliandus ab hoste,) quasi post prædam fortes non essent ij humeri, qui ante prædam fortiores haberentur. *Imposuit hæc omnia humeris nequicquam fortibus post prædam, quia & ipse fuerat mox periturus.* Auaritia vires eneruat.

Immemorem iuuenem & improuidum! quem fulgorem intempestiuum quæris, damnum tibi importat, & necem. Galeam tibi ad fulgorem accommodas, quæ te hostibus prodit. 28 Intempestiuus fulgor damnum importat.

Tum galeam Messapi habilem, cristisquè decoram
Induit.

Quo tempore, quo loco non dispiceres? in noctis vmbrâ, & inter syluas ascititium armorum & cristarum fulgorem intempestiuè affectas? Caue, caue; nec tempus hoc, nec locus est elegantiæ opportunus. Sequitur,

Et galea Euryalum sublustri noctis in vmbrâ
Prodidit immemorem.

Præclarè Donatus. *Incuria Euryali attulit malum, qui fulgentem galeam non abscondit.* Importunus elegantiæ & decôris affectati appetitus peperit damnum, attulit necem.

In illud Emistichium, vbi post editam inter Latinos cædem Nisus & Euryalus 29 Ridentis abusio fortunæ, est exitialis.

Excedunt castris.

Notat Landinus Ridentis abusionem fortunæ exitialem omninò esse. *Vsi sunt* (inquit) *secundâ fortunâ in castris; sed quia nimis diu illâ sunt abusi, deprehensi sunt ab equitibus, quos, si maturiùs recessissent, nec tantam stragem edere voluissent, facilè euasissent.*

Adeò cæca ambitio est, vt vel præsentia non videat, vel obuia non curet. Ideò Virgilius *Immemorem* vocat Euryalum, qui dum prædâ potiatur, quæ se circumstent, non videt incommoda. Splendentem galeam capiti impositam Lunæ radijs obiecit, quo fulgore depre- 30 Ambitio omnis improuida.

hensus ab hoste & interfectus est.

Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem.

Itane immemorem illum fecit ambitio, vt per Lunæ fulgorem se exponeret hostibus, & obijceret neci? Præclarè Landinus; *Immemorem idest, improuidum, non enim meminit, quod fiebat, scilicet reflexione radiorum Lunæ, in galeâ posse illos, qui tenebras quærebant, prodi.* Illum spoliorum ambitio fecit improuidum. Proditricem noluit prædam dimittere, atquè ita ipse hostibus factus est præda.

Dum prædã auarus retines, fis ipse hostibus præda.

31 Mirum est, quod Virgilius de Niso, qui absentem amicum respiciebat Euryalum; absentem, inquam, quem ramosa sylua & nocturnum tempus & onus prædæ à se longè disiunxerant.

Vera amicitia nullam nouit absentiam.

Absentem (inquit) respexit amicum.

Si absentem, quînam respexit? Si respexit, quînam absentem? hæ simul voces coherere non possunt, nam quod absens est, respici nullatenùs potest. Rectè absentem respexit, quia amicum; & vera amicitia nullam nouit absentiam. Esto, absens ille sit, amico tamen vero absens non est. Acutè Donatus. *Respexit absentem, quasi videri posset, qui non erat præsens; sed respexit amicum.* Veræ non obstat amicitiæ vel temporis intervallum, vel loci distantia, quominùs mutuo amici fruantur adspectu; distent effectu, affectu non distant.

Infelicitas est, amicum amittere.

Nota. Nunquam se *Infelicem* meliùs potest quispiam vocare, quàm cum fidelem sibi amicum amisit: (grauis enim illa infelicitas est) nequè illius recuperandi inuenit viam. Laudo hoc loci interpretationem Donati.

Euryale, infelix qua te regione reliqui?
Quàve sequar.

Iungit enim vocem *Infelix* cum Nyso, qui amicum amisit, neque sciebat, quâ illum regione, quâve viâ vel reliquerit, vel secuturus sit: non cum Euryalo, qui amicissimi oculis sit ereptus. *Sic pronuntiandum, vt dicamus, Euryale, &, hoc nomine suspenso, consequatur, Infelix qua te regione reliqui. Deinde accedat, Quave sequar? Vt inde magis Infelix Nysus, quia nescit, cum amicum perderet, vbi amicum deberet inquirere.* Sic Donatus.

32 Ingeniosè expendit Donatus, non dixisse Nysum, (cum desideranit Euryalum; & nouit absentem.) *quo me loco reliquisti? quâ me regione deseruisti*, sed

Verus amicus in se potiùs culpã, quam in amicum reijcit.

Quâ te regione reliqui?

Sibi desertionis imputat culpam, avertit à socio. Toto Euryali culpa fuit, Nisi nulla; ille enim præ onere, & ramorum obstaculis ferre gradum vix poterat, hostium accedente timore. *Addit excusationem*, (inquit Donatus) *dicendo Quâ te regione reliqui? non dixit*

dixit, qua me in regione reliquisti? Excusat amicum, se ipsum accusat, quia verus amicus.

In summam incidit Nysus rerum difficultatem, summámquè trepidationem, cum inter hostium manus vidit Euryalum; 33

> *Quid faciat? quâ vi iuuenem, quibus audeat armis*
> *Eripere? an sese medios moriturus in hostes*
> *Inferat? & pulchram properet per vulnera mortem?*

Vere ille fortis, qui in summâ rerum trepidatione fortitudinis suæ non obliuiscitur.

Sed vir fortis in summa hac rerum trepidatione fortitudinis suæ oblitus non est. Coniecturus hastile, sine morâ, lacertum adduxit,

> *Ocyùs adducto torquens hastile lacerto,*
> *Et toto connixus corpore ferrum*
> *Conijcit, hasta volans noctis diuerberat vmbras.*

Vide quâ vi, quo turbine. Laudat hîc Nisum Landinus hoc nomine. *Ne in magnâ quidem trepidatione suæ fortitudinis oblitus est.* Egregia laus viri fortis!

Interpres idem, loco suprà laudato ad illud carmen; 34

> *Ocyùs adducto torquens &c.*

Prudentis non est, fortunæ se credere.

Hoc nobis documentum propinat. *Verùm occultiùs nos* (inquit) *admonet Poëta non esse prudentis se se fortunæ credere. Nam quæ paulò antè sese lætam ostenderat, breui penitùs aduersa facta est.*

In summo deprehensus periculo Nisus est. En tibi statim accurrit ad Deam, & eius supplex implorat auxilium. 35

> *Tu Dea, tu præsens nobis succurre labori.*

Naturæ impulsu omnes homines Dei opē in discrimine implorant.

Naturæ impulsu hæc ad Lunam facta est deprecatio. Quod notauit Landinus hoc loci. *Tu Dea, inquit; Omnes homines naturæ impulsu in rebus dubijs diuinum fauorem quærunt.* Addit deinde. *Sed rectè hic nocturno tempore, in syluis, eam Deam, quæ & nocti & syluis præest, inuocat.* Arguta notula!

Pium erga Lunam laudat Nisus Hyrtacum Patrem, cuius ad aras gratus dona reposuit; sic Nisus ad Deam, 36

> *Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris*
> *Dona tulit*

Quorundā pietas est mercenaria.

Venatorem ait Landinus hunc Hyrtacum fuisse, ideóquè venatricem coluisse Deam; mercenariâ ergo id pietate faciebat. Illa syncera pietas est, quæ lucri immemor, oblita subsidij fertur in Diuos. *Pater Hyrtacus, inquit, quia venator, venatricem Deam colebat.* Landini verba.

Cum Euryalus in hostium manus, furorémquè venisset, & iam iam armata ferro dextera lethalem iuueni ictum minaretur, conterritus Nisus, quasi sibi cædes intentaretur, proclamauit, vt amici necem auerteret, in se converteret. 37

> *Tum verò exterritus, amens,*

Verus amicus nō tàm sibi timet, quàm amico.

Conclamat Nisus, nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.
Meme, adsum, qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli.

Nimius timor adimit mentem.

Vbi Landinus. *Conterritus, inquit, non sibi sed amico timens; & amens, nam ex nimio timore mentem amiserat. Me me, adsum; efficacissima oratio. Est enim celerrima, vt si possit auertat hostes ab amico; & se ita offert, vt non sit volentibus vlcisci, quaerendus.* Non ergo tam sibi timet, quàm amico, quia verus est amicus.

Ius iurandû ab eo, qui in angustijs deprehenditur, non facilè acceptatur.

Nota. Iuriiurando ab eo, qui in angustijs deprehenditur, facto, fidei nihil ferè adhiberi solet. In summo vitæ discrimine deprehensus Nisus ab hostibus Latinis, iure iurando affirmat socium Euryalum culpâ carere ideóque pœnæ eximendum nititur;

Nihil iste, nec ausus,
Nec potuit: cœlum hoc & sydera conscia testor.

Satis apparet illum sibi satis non constare, quando iusiurandum interponi deprehensus ab hostibus, vt ipsis fidem faciat, & firmet. Paulò ante Virgilius de Niso dixerat, cum sublatum ensem in ceruices Euryali ab hoste vidisset, *amentem* effectum esse;

Tum verò exterritus, amens
Conclamat Nysus.

Benè præmisit *amentem* illum, qui in summo vitæ discrimine positus iusiurandum adducit ad fidem, hoc est, frustrà iurat. Acutè Donatus; *Ex causâ maximi doloris amentem dixit effectum esse.* Addit deinde; *probatur istius amentia, dum putat hostes iusiurandum inimici in tantis angustiis acceptare posse.*

38 Amicitiæ causâ error incursus faciliùs veniâ meretur.

Qui amicitiæ causâ errorem incurrit, dignus ille est, qui faciliorem veniam consequatur errati. Hac Nisus ratione nititur à Latinorum manibus eripere Euryalum, ex interpretatione Donati.

Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.

Amicitiæ legibus ductus in hac se mihi infelicitate comitem præbuit, mei, inquam, ductus amore, non odio vestri. Hic tantùm illius est error, quem, quia totus est ab amicitiâ, condonate. Pulchra sanè Donati explicatio est. *Tantùm, id est, solùm deliquit, quia venit huc mecum, amicitiâ infelicis hominis ductus, non odio vestro. Vt quasi hoc genere parceretur ei, qui diuelli ab amico non potuit.* Fortissima hæc Niso visa ratio est, quam etiam hostes probabilem iudicarent, & ita iuuenem indemnem dimitterent. Sed proh! interficitur tamen Euryalus.

In ætatis flore inuito animo morti succumbitur.

Nota. Iuuenes quàm moriuntur inuiti! in ætatis flore quàm renuenti animo morti succumbunt! Pulchre in morte Euryali expendit hoc Zerda.

Voluitur Euryalus letho, pulchrosquè per artus
It cruor, inquè humeros ceruix collapsa recumbit.

Agnosco in hoc obitu Euryali (verba sunt Zerdæ) *moras quasdam, nescio an tu quoque Lector. Nonne sunt moræ, volui letho, ire cruorem, ceruicem recumbere? Apparent ista moræ etiam in comparatione. Quæ illa?*

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens.

Vt enim paulatim flos moriens languescit, cum aratro est succisus, non repentè; ita credas desertum ab animâ Euryalum.

Quod idem expendi potest & in morte iuuenis Reginæ Camillæ, lib. 11.

Simul his dictis linquebat habenas
Ad terram non spontè fluens; tum frigida toto
Paulatim exsoluit se corpore, lentáque colla,
Et captum letho posuit caput, arma relinquens.

Seruat hoc (ait hoc loci Seruius) *seruat hoc vbiquè, vt iuuenum animas à corporibus dicat cum dolore discedere, quòd adhuc superstites esse non poterant.* Expende lector, & examina verba illa ad rem nostram pulcherrima; *Linquebat habenas, fluens non spontè, paulatim exsoluit se corpore, lenta colla, posuit caput, relinquens arma.* Quot verba, tot moræ.

Landinus in modestissima illa Maronis carmina ad iuuenes omni laude dignissimos Nisum & Euryalum, 39 Poëtæ laudabilis officium quod?

Fortunati ambo; si quid mea Carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo, &c.

Ita inquit. *Poëta laudabilis implet officium, qui bonorum misereri debent, eosquè laudare, & malos odisse, atquè insectari. Hinc Horatius,*

Ille bonus faueat, & consilietur amicè,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.

Et paulò post; *Deósque precetur, & oret,*
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Huc vsquè Landinus. Expendit hîc breuiter Zerda modestiam Virgilij. *Modestissimè,* (inquit,) *loquitur Si quid mea Carmina possunt; si non Tua, quænam ô Maro?*

Nota. *Fortunatum* Maro vocat vtrumquè *Fortunati ambo* quòd mutui amoris præclarum exemplum præbuerint. Ideò addit, Exemplum frugi dignũ est, quod ad sæculorum memoriam commendetur.

Si quid mea Carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Digni per huius fidelissimi amoris exemplum facti estis, qui ad æternitatis memoriam (vtinam id meis carminibus assequi possim!) commendemini. Vbi ad rem Donatus. *Exæquauit amborum fidem, exæquauit laudem; Et quoniam res fuit præclari exempli, digni inuenti*

 sunt,

sunt, quorum, per Virgilij Carmen, memoria conderetur ad posteros, Ideóquè, factâ apostrophe, ait,

Si quid mea Carmina possunt,

Nulla dies vnquam memori vos eximet aeuo. Hæc Donat.

Superior ad laborẽ primus.

Sit ad laborem Superior primus, vt illius exemplo impellatur inferior. Frustrà laboras, dum tuos ad ardua inuitas & dura; mollia tu interim sequeris, facilia eligis, mellita sectaris. Propina tibi audacter amarum poculum, cui cupis vt arrideat inferior. Hoc Donatus expendit in Turno, qui cum suos in arma suscitat, armis & ipse circundatus est.

Turnus in arma viros, armis circundatus ipse,
Suscitat.

Prius ipse circundatus ferro iactatur in arma, quò factum est, vt omnes intrepido gradu Ducem sequerentur. *Suscitat in arma viros; nec posset* (inquit Donatus) *alios in bellum constantiùs excitare, nisi etiam ipse primò fuisset armatus.* Quod & aptè Landinus. *Oportet enim prudentem ducem, non verbis solùm, sed exemplo sui alios ad arma excitare. Ergò non inermis, sed armatus vocabat.*

41 Rerũ fama infelicium velocissima.

Quare Virgilius Famam illam, quæ ad aures matris peruenit Euryali, *pennatam* dicit, & *volitantem?*

Intereà pauidam volitans pennata per vrbem
Nuntia fama ruit, matrisquè adlabitur aures
Euryali.

Landinus ait, ideò hîc pennas famæ Virgilium addidisse, celerémquè volatum, quia infelicissimarum illa rerum nuntia veniebat. Quæ huiusmodi nuntiat, velocissima est. *Benè Pennata & Volans; quasi celeri volatu. Nam rerum infelicium velocissima fama ruit.* Sic Landinus. Hispano receptum est prouerbio, vt sint *Malas nuenas las primeras.*

42 Rei atrocitas verborũ idem significantium aceruatione exaggeratur.

Ad rem atrocem significandam conducunt maximè plura verba idem significantia. Quod notauit Landinus doctè in illud Matris Euryali, quæ de atroci filij nece conquerebatur;

Quæ nunc artus, auulsaquè membra,
Et funus lacerum tellus habet?

Non est pleonasmus; apagè vt hoc Poëtarum Principi vitium impingamus! *Expolitio est* (ait Landinus) *idem enim dicit pluribus verbis, vt in re atrocissima diutiùs detineat auditorem, & sic maiorem citet commiserationem.*

43 Qui suæ student elegãtiæ, molli & otio ã ́pè naturã sunt.

Damnando molles otio languescunt. Toti sunt in elegantiori comendâ formâ, & ornandâ positi. Da mihi elegantiæ corporis, & vano deditum fucco, vt plurimùm sanè dabis ociosum. Huius notæ filius ille erat Arcentis, qui

Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Iberâ,

Insignis

Insignis facie.

Ideò ergò maximus Poëta adiecit Otiantem illum esse, dum armis alij intenti, Martiquè, vocabant;

Stabat in egregijs Arcentis filius armis.

Stabat, inquit, & politissimus adolescens conspicuus veste, pulcher facie, illitus fucco, cyrrhatus comis, Veneri feriabatur & Gratijs. Lento languebat otio: Huiusmodi homines aptissimi colo, non bello. Quod Donatus pulchrè. *Hunc iuuenem notabiliter Poeta descripsit; quasi bellum, aut tempus, quo Troiani in periculo tam graui fuerant constituti, non desiderarent aut pulchros, aut otiosos, aut veste conspicuos.* Huic verè illud obijci posset, quod Numanus infrà Troianis obiecit,

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis;
Desidia cordi, iuuat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O veræ phrygiæ, nequè enim Phryges.

Nimiam quid elegantiam, otiumquè consequitur nisi nex? illam eleganti & otianti Mezentius intulit, cuius

Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multâ porrectum extendit arenâ.

Adeò certum est laboribus gloriam parari, vt quot labores, tot 44
gloriæ; quot pericula, tot commoda, quot discrimina, tot decora. Inter tot versatur ille glorias, quot labores adit. Idem est inter labores esse, atquè inter glorias. Hoc voluit significare Numanus, cum inter ea, quæ Troianis obiecit, probra, ita de se, de Latinis suis;

Inter labores idem est, atquè inter glorias versari.

Canitiem galeâ premimus, sempérquè recentes
Conuectare iuuat prædas.

Semper labores inter versamur, iuuatquè semper nostro partas discrimine prædas avehere. Expendit Donatus voces illas *Semper iuuat conuectare prædas recentes.* Itane *Semper*? nunquam infeliciter? nunquam infortunatè? nunquam. Hoc enim est priuilegium laboris, vt coniuncta illi semper felicitas sit, connexa sit gloria. Semper illos, quos labor sequitur subsequatur necesse est & gloria. Inter recentes est ille glorias, qui inter recentes labores, ac recentia pericula commoratur. *Semper, inquit, iuuat*; (Donati verba) *non enim magnum est interdum aliquid agere laboriosum; inde est, quod ait, Recentes prædas. Et quia non inuiti laborem subeant, adiecit Iuuat.* Voluptas in laboribus est, non quatenus illi labores sunt, sed quatenus gloriæ; imò quatenus labores sunt quia eo ipso sunt gloriæ. Laborantes semper gloriâ semper cum voluptate potiuntur; *Semper iuuat.*

Senes licèt, non debemus tamen senum priuilegia affectare. In 45
verba illa Numani ad Troianos, de Latinis loquentis,

Quamuis senex, senum priuilegia ne affectes.

Canitiem galeâ premimus.

Pulchrè simul & ingeniosè Donatus in Paraphrasi. *Non à militiæ*

 muneris

muneribus quemquam tarda senectus excludit : voluntas aggreditur omnia , & ausus omnes voluntate complentur. Senes nostri nouerunt de campo redire cum palmâ ; & cum victores sudantem posuerunt galeam, madentem monstrant iuuenibus senectutem. Nescit apud nos senectus tardos efficere , quos iuuentutis finibus , cum venit , excluserit. Vna temporum adaequatio est : nec imminentem metuimus senectutem : neque eius senes detrimenta sentimus , solo cânorum signo discitur aduenisse. Addit deinde in eâdem Paraphrasi. *Ipse capitis candor* , & labor assiduus , *non solùm hostes , sed ipsa quoquè vitia senectutis expugnat.* Verum sanè exercitae aetatis elogium ! Vlterius ille hoc loci progreditur. *Imponitur senectuti galea , ne minorem faciat, quem gloriosum iuuentâ tradente suscepit.* Assuescant cani galeae , quae illos gloriosos effecit ; & discat senecta retinere , & tueri laudem , quam iuuenta parauit. Haec non deponat exercitia Senectus , ne quam gloriam iuueniles anni quaesierunt , seniles amittant. *Imponitur senectuti galea* &c. vt suprà.

Verusquè hominis hostes labore expugnatur.

Tueatur senecta quod gloriosè iuuenta quaesiuit.

46 Obtrectantis animo fundebat verba Numanus *Cui Remulo cognomen erat* Sed ante quàm probris blattero finem imponeret , en tibi Princeps adhuc dira canentem ferre non potuit ,

Inferioris verba obtrectatis Superior abscindat, & Princeps; vel ferro & igne, si aliter non potest.

Talia iactantem dictis , ac dira canentem
Non tulit Ascanius.

Et quem aliter coërcere non poterat , acri ferro coërcuit ;

Neruoquè obuersus equino
Contendit telum , diuersaquè brachia ducens
Constitit ante Iouem.

Seueritatem in cohibendo obtrectatore quasi ante Iouem excusaturus. Deinde,

Effugit horrendum stridens elapsa sagitta ,
Perquè caput Remuli venit , & caua tempora ferro
Traijcit.

Non huius causam seuerae vltionis hostilitatem pronunciat Ascanius , sed effrenem Latini obtrectationem. Audi Ascanium ipsum, dum vltionem assequitur , insultantem Numano ;

I, Verbis virtutem illude superbis.

Praeclarè Donatus: *Rectè facit Poëta, verba obtrectantis abscindens; nequè enim spectandum fuit Principi irascenti , vt ille adderet multò peiora. Loquentem igitur , & adhuc deteriora meditantem non est vltrà passus Ascanius.* Princeps erat Ascanius , & tunc temporis, absente Aeneâ parente , Superior ; sui muneris esse duxit , perniciosos huiusmodi sermones abscindere , vel ferro , vel igne , cum aliter non posset.

47 Diuorum semper est implorandum auxilium , in primi praesertim alicuius operis caepto. Nunquam Ascanius arma sumpserat in Latinos , (quia per aetatem nondum licebat ,) cum probra in Teucros

Vt ceptis annuant, vocandi sunt Superi.

Numanus

Numanus effunderet. Tunc primùm vſus eſt arcu & ſagittis in hoſtes;

> *Tum primùm bello celeres intendiſſe ſagittas*
> *Dicitur, ante feras ſolitus terrere fugaces*
> *Aſcanius.*

Tunc opem ab Ioue, in hac operis auſpicatione, popoſcit.

> *Conſtitit ante Iouem ſupplex per vota precatus.*
> *Iuppiter Omnipotens, audacibus annue ceptis.*

Vbi Donatus; *Quia primordia fuerunt, merito rogatus eſt Iuppiter, vt faueret.*

Quas ad Iouem preces fundit Aſcanius, ſuo aptiſſimas tempori fundit. Fuſurus puer erat fortiſſimum virum, Numanum Aſcanius; qua in re ſuam Iuppiter oſtentare omnipotentiam poterat; illam ergo prudens implorat; 48 Quas cœlo preces fūdimus, aptādæ ſūt tempori.

> *Iuppiter omnipotens, audacibus annue ceptis.*

Quaſi dicat; Rei difficultatem video, Iuppiter, ſuprà naturam fere eſt, quod aggredior, ideò cæpta hæc fateor audacia. Quid difficilius? quid audaciùs, quàm me penè infantulum velle fortiſſimo Remulo necem inferre? Hîc tuam oſtentes omnipotentiam oportet, & voti me mei compotem facias. Acutè Donatus. *Benè poſuit, Omnipotens; is enim poterat omnia, & illud valebat implere, vt puer ſterneret fortiorem.*

Quod pulcherrimum, quod deſpumatiſſimum in re qualibet eſt, Deo ſponte reddamus. Iuuencum Aſcanius ante Iouis aras victimam offert, ſed qualem? audi. 49 Deo, quid eſt in omni re deſpumatius, reddamus.

> *Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum,*
> *Candentem.*

Addit deinde; *Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam. Ioui iuuencum ſpondet* (ait Donatus) *iuuenem, candidum, & talem, non qui eſſet breuis, ſed qui iam ſeſe poſſet agnoſcere.* Omni ex parte pulcherrimum. Sed Donati dicendi modum adverte de Iuuenco, *Qui iam ſeſe poſſet agnoſcere*, hoc eſt, adultus, acer, viuidus, qui cornu laceſſat auras, pedibus terram; & ſeſe nouerit generoſum eſſe iuuencum. Ad modum, quo magnus Statius, proximus à Marone, dixit de Leone ſene, *Erigitur, meminitquè ſui.* Audi, ſodes, ac vide ſimul (nam vtrumque in Statio non ſemel) rei energiam

> *Qualis leo rupe ſub altâ,*
> *Quem viridem quondam ſiluæ, monteſquè tremebant:*
> *Iam piger, & longo iacet exarmatus ab æuo,*
> *Magna tamen facies, & non adeunda ſenectus;*
> *Et ſi demiſſas veniat mugitus ad aures,*
> *Erigitur, meminitquè ſui, vireſquè ſolutas*
> *Ingemit, & campis alios regnare leones.*

Quid viuidius? quid elegantius? Libro 1. ad calcem inuenies

hunc locum, quem, vt Donati phrasin explicarem, adduxi.

50 Teneras cœlum victimas amat. Non ita pusillæ victimæ sint, vt nullus in eis virtutis succus; non ita adultâ iam ætate, vt obduruerint; nec lactens buccula Ioui placebat, nec taurus grandior in hostiam, Iuuencum sibi ad aras amabat. Talem Ascanius oblaturum se promittit,

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum,
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Nec lactentem, nec præ ætate obduratum, sed medium. Eruditè Seruius in illud lib. 3. Æneid.

Cælicolum Regi mactabam in littore taurum,

51 In huiusmodi victimis sibi complacet cœlum. Ita ait. *Vbiquè Ioui iuuencum legimus immolatum, vt, Statuam ante aras auratâ fronte Iuuencum. Nam in victimis etiam ætas est considerandæ.* Omnis apta cœli victimis ætas, sed aptior est media. Ita sibi Iuppiter in Iuuenci victimâ, quem Ascanius obtulerat, complacuit, vt de parte cœli serenâ benignus intonuerit, & Ascanij votum audierit.

Audijt, & cœli Genitor de parte serenâ
Intonuit læuum.

(*Prosperum* Seruius interpretatur; Donatus *Dextrum.* Addit hic causam; *Ea sunt læua*, inquit, *quæ à læuâ parte nunciantur: quia quod petentibus læuum est, id est præstantibus dextrum.* Vide hic diligentem operam eruditissimi Zerdæ, notâ 16.) Victimæ ergo Iuppiter fauit Ascanij. Et ad maiorem beneplaciti sui significationem, expendit Donatus ex parte serenâ cœli, non ex nubilâ prosperùm intonuisse; *Intonuit* (ait) *de parte serenâ cœli; non enim esset aliquod signum, si de nubibus fragor exiret.*

52 Quod Deo vouisti per te ipsũ exequere. Quod Deo pro se vouet Ascius, per se ipsum exequendum esse promittit.

Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona.

Ita omninò fiat, vt quod cœlestibus offers, non alienæ curæ industriæquè remittas, tu ipse, quicunquè tu sis, illud exequere. Præclarè Donatus. *Ipse, inquit; nam in obsequio istiusmodi plenum debet officium exhiberi.* Quæ maior hac in parte diligentia est, debita diligentia est.

53 Quod nobis à Deo supplicium est, horrorem incutit. Non apta satis vox illa esse videtur, quàm Virgilius inseruit carmini, vbi puerulus sagittam emittit, *effugit*, inquit, *horrendùm stridens.* Sed, si animadvertas eam fauente Ioue expulsam esse sagittam ad debitum Numano supplicium, *horrendùm stridentem* meritò dixeris; est enim, quamcunquè cælum exigit, pœna grauissima, quæcunquè iratâ Dei immittuntur manu, horrenda supplicia.

Effugit horrendùm stridens elapsa sagitta.

Vbi breuiter & acutè Donatus. *Effugit horrendùm stridens sagitta, inquit, quæ fauore Numinis ferebatur.* Rectè ergo *horrendùm* posuit, cum non illâ pueri, sed Dei manu explosa sagitta sit, vltrix iniu-

riæ

riæ. Caue, caue vltricem cœli dexteram, à quâ sunt, quæcunquè illa sint, horrenda supplicia.

Est ita sanè, vt iustæ Principum indignationi sæpè Superi faueerint. Commotus iustissimâ Ascanius fuit in Remulum, qui millena in Troianos: ipso audiente Ascanio, probra fundebat. 54 *Iustæ Principis indignationi Superi fauent.*

Non tulit Ascanius.

Vbi Landinus probat hanc Principis indignationem. *Nequè enim potest animus generosus* (inquit) *ea, quæ in patria, suæquè gentis dicuntur, æquo animo ferre. Ergo iusta indignatione commotus.* Huic Dij fauerunt iustè indignanti? Et quidem largissimè. *Optimum euentum sortitus est*, (prosequitur Landinus) *optimóquè auspicio rem bellicam inchoauit.* Quem euentum? hunc. Nam

Cœli Genitor de parte serenâ
Intonuit læuum, sonat vnà lethifer arcus;
Effugit horrendùm stridens elapsa sagitta
Perquè caput Remuli venit, & caua tempora ferro
Traycit.

Fautorem se præbuit Iuppiter iustæ Principis indignationi, telúmquè direxit in illius caput, qui causam indignanti præbuerat. Donatus vbi sup. *Effugit horrendùm stridens, quæ fauore Numinis ferebatur.* Landinus item expendens voces has *Caua tempora, diuino fauore factum esse* (ait) *vt in eam partem vulneraretur, quâ facile vita eripi posset,* Fauent ergo Numina iustæ Principum iræ, & delinquentis pœnam ipsi, suppliciumquè maturant.

Quicumquè Superior es, quicunquè Princeps, qui iustam læsus indignationem distringis, par pari inferioribus non reponas in iurgio. Modus te decet ingenuum, qualis decuit Ascanium, qui verè Princeps, verè ingenuus. 55 *Ingenui Principis ac Superioris est par pari inferioribus non reponere.*

Multa Effuderat probrosa Numanus. Quid læsus Princeps? hæc tantùm.

I, Verbis virtutem illude superbis.
Bis capti Phryges, hæc Rutulis responsa remittunt.

Non probra probris, non contumelias contumelijs rependit. Ille in Troianos omninò immodicè, hic in Numanum omninò cum modo. Notauit præclarè Landinus. *Refert hæc Princeps contrà superbiam hostis; & tamen non excedit modum in iurgio, vt ille fecerat.* Esto immodicè feratur inferior, ingenui & attemperati Superioris est, par pari nequaquam reponere in iurgio, sed verbis parcere, factis reprimere.

Expedit sæpè, vt Principes, quas seueriores exequuntur actiones, ratione confirment; vt qui seueritate commouentur, ratione leniantur. Numanum grauiter puniuit Ascanius, cuius tempora sagittâ traiecerat; tantæ ipse seueritatis rationem reddit, causam expromit. *Responsum* scilicet esse iniuriarum, quas punitus intulerat. 56 *Seueriora nõnunquam sua facta Principes ratione cõfirment.*

Bis capti phryges hac Rutulis responsa remittunt.

Quasi d cat; Ille in causa fuit, cur ego eum tam acerbè vulnerauerim, cruenteque confixerim. Lacessitus respondit, irritatus iniuria, pœnam reposui ita seueram, ita rigidam. Meruit, ipse quod præmium accepit. Donatiana paraphrasis in hunc sen'um. *Talia à bis captis Phrygibus respon um accipere meruisti.* Tua culpa fuit, *meruisti* ergo; merum nostrum *responsum* fuit, quo tot à te in nos elui probra vix possimt. Constet omnibus acris causa supplicij, quibus de seueritate constiterit.

57 In quo quis peccat punitur.

Nouerint Superiores congruam morbo medicinam afferre, & eam in partem inferre supplicium, quâ irrepsit peccatum: Vnde nam peccata Numani? sine dubio capitis vitio laborabat; fingitur enim Vaniloquus, Superbus,

Digna atquè ind gna relatu
Vociferans, tumidúsquè nouo pracordia regno.

Rectè igitur ab Ascanio feritur in capite, cerebrúmquè transfigitur, quâ in parte vaniloquentiæ & Superbiæ morbus insederat. Ibi pœna, vbi culpa.

Perquè caput Remuli venit, & caua tempora ferro
Traijcit.

Notauit ingeniosè Seruius. *Figmenta hac vulnerum non sine ratione ponunt Poeta. Nam modo hunc ideò in capite dicit esse percussum, quia eum suprà vanilequum introduxerat, & superbum, quod vitio capitis euenit: Horatius,*

Attollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Sic Homerus Tersitem à tergo vulneratum dicit vsquè ad pracordia, nam ait μετάφρενον, quia eum stultum induxerat. Item de Achille dicit πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Item πόδας ὠκὺς δῖος Ἀχιλλεύς, quem legimus in talo esse vulneratum. Sic Seruius.

58 Laudãda interdum sunt in tyrone primordia virtutis vt crescant.

Vel cœlo magistro discimus, laudanda interdum esse in tyrone primordia virtutis, vt crescant. Laudauit Apollo primam audentis Iulij virtutem.

Macte nouâ virtute puer, sic itur ad astra;

Vt incipientis animum ad maiora incitaret: *virtus enim laudata crescit.* Vbi Donatus. *Laudat Ascanium, & ne inci, ientis animum frangeret, eum, quem à certamine reuocare cupiebat, extollit.* Cupiebat illum Apollo à certamine reuocare, quia felici lætus, vel potiùs elatus euentu, vltrà temerè arcum cogitabat & tela. Quare sequitur,

* Nouiciorũ feruores reprimendi sunt.

Ardentem dictis affatur Iulum.

Ardebat námquè tyro successu prospero, quem reprimere Apollo voluit ardorem.

Sit satis Æneide, telis impunè Numanum
Oppetiisse tuis
Catera parce puer bello.

V bi

Vbi pulchrè grauitérquè Donatus. *Solent secunda res erigere homines, etiam atate prouectos. Sed quando ad pueri animum ventum est, sic ardere cœpit, & prosperis ferri, vt alia quoque non dubitaret audere. Sed hunc ille, de cuius persona tanta dona sunt, sic per sua signa reuocabat, vt sciret Ascanius animos suos robustiori atati seruandos.* Tyronum intempestiui ardores suo sunt tempori reseruandi. Nota & illud obiter in hoc loco: Secundis rebus, & felici flante fortunâ mortalium solere animos rapi, & maiora viribus, primâ fretos felicitate, temerè audere. Quod contigit Iulo, & passim hominibus ætate prouectis contingere notat ibi Donatus; *Solent secunda res erigere homines, etiam atate prouectos.* Secundis rebus mortalium solet animi efferri.

Quæritur, quare cum Iouem implorarit Ascanius, & eius fauore Numinis rectè se in bello gesserit, non idem Iuppiter, sed Deus alius fingatur, Apollo scilicet, Ascanio gratulatus esse victoriam? Sic enim habes; 59 Vera illa laus est, quæ à perito profertur.

Æthereâ tum forte plagâ crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies, vrbémquè videbat
Nube sedens, atque his victorem affatur Iulum
Macte noua virtute puer, sic itur ad astra, &c.

Respondet Landinus, opportunissimum accidisse laudatorem Ascanio, emittenti sagittas, & arcum strenuè tractanti, Deum videlicet sagittarum & arcûs; vt Ascanij laus incrementum acciperet à peritissimo laudatore. *Quòd verò fingatur Apollo laudasse Ascanium, non est abs re, si Deus, cui datur palma in sagittando, in eodem artificio puerum laudat. Illa enim vera laus est, qua venit ab eo, qui in eâ re valet, qua laudatur. Hinc Hector Neuianus à viro laudato laudari cupit.* Hæc verè Landinus.

Vult Apollo suadere quod conueniat Ascanio, & tunc mortalem induit vultum, & Bitis formam senis assumit; 60 Expertos & senes sibi Principes in consilium adsciscant.

Ibat Apollo
Omnia longæuo similis, vocémquè colorémquè,
Et crines albos.

Quare non pulcherrimum aliquem iuuenem, sed senem induit; quia consiliarium acturus erat. Consiliarius autem ille optimus, qui ætate, & rerum experientiâ præcellat, quibus facilè possit firmare consulta. Acutè Donatus. *Deligit Deus eius hominis formam, qui, antiquitatis longinquitate, & exercitationis collecta merito, sanum dare consilium posset, & debuisset audiri.* Diuina prorsus electio! à Deo quippè.

Formam Apollo induit humanam, & sub eâ placidè latuit in vtilitatem Ascanij 61 Formam Deus induit humanam, in hominũ vtilitatem.

Ibat Apollo
Omnia longæuo similis.

Ibat, inquit: quæ vox Dei placiditatem, & alacritatem ostendit.

Et omnia similis, nihil de hominis forma erubescens. Pulchrè Donatus expendit. *Ibat, inquit, Deus placidè latens sub hominis formâ, & mortalem sustinens cultum, ac vocem.* Vox & cultus diuinitati non congruebant, sustinebat tamen hæc humana Deus, quæ in hominum commoda impendebantur. Ardentem voluit Ascanium à periculo auertere, ne & ipse Troianique perirent. Hæc omninò causa fuit humanitatis assumptæ; sic enim ad hominem Deus in hominis formâ;

Sit satis, Æneide, telis impunè Numanum
Oppetijsse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non inuidet armis.
Cætera parce puer bello.

62 Strenuissimi Æneæ, Superioris simul & Ducis consilium fuit, vel imperium, vt si quando Latini hostes vrgerent, portas claustri recludere nemo Troianus, ipso Æneâ absente, tentaret. Inuenti sunt fratres duo, qui freti armis & viribus recluserunt; & vltrò mœnibus hostem inuitant, Pandarus nimirùm & Bitias;

Qui sapientis, aut Superioris cōsilium contēnit, seipsum perdit & sua.

Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, vltróque inuitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextrâ ac læuâ pro turribus adstant,
Armati ferro.

Seruius contrà Donatum explicat *Commissa*, id est, *Clausa*. Benè quidem. *Scimus* (inquit) *quòd Mnestheo, & alijs ducibus imperauerat Æneas, ad petenda proficiscens auxilia, ne portas aperirent, sed*

Castra modò, & tutos seruarent aggere muros.

Item legimus Mnesthea & Serestum ductores fuisse, & rerum magistros, non Pandarum & Bitiam. Vnde apparet, quòd hunc locum malè intellexit Donatus, dicens commissam portam, id est creditam Pandaro & Bitiæ, qui duces non erant. Cornutus verò meliùs sensit, dicens, Portam, quæ ducis imperio commissa fuerat, hoc est, clausa, eam aperuerunt; commissura enim dicitur tabularum coniunctio, sicut Cicero in Fundaniana meminit. Ergo meliùs est, vt commissam, clausam dicamus, quàm creditam Pandaro, & Bitiæ. Sic Seruius. Clausa ergo erat Æneæ Regis imperio: hanc illi contra Superioris imperium recluserunt, ferro ac viribus freti. Quid inde? illorum est subsequuta nex, & totius Troiani exercitus ruinæ periculum subijt; nam

Irrumpunt aditus Rutuli, vt videre patentes.

Et fratres illos Turnus acerbo fudit interitu; Bitiam

Ardentem oculis, animisquè frementem.
Collapsa ruunt immania membra.

Pandaro *Mediam ferro gemina inter tempora frontem*
Diuidit, impubésque immanu vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus,
Collapsos artus, atquè arma cruenta cerebro

Sternit

Sternit humi moriens, atque illi partibus æquis
Huc caput, atque illuc humero ex vtróque pependit.

Hic prudenter Landinus duplicem moralitatem elicit. *Ostendit autem hoc loco* (inquit) *robur sine prudentia parùm valere. Ostendit etiam, semper sapientiori obtemperandum esse. Rectè enim præceperat Æneas, ne portæ, absente se, aperirentur. At Pandarus & Bitias, dum freti suis viribus sapientis consilium negligunt, se ipsos perdiderunt; & summam Reipublicæ in periculum adduxerunt.* Ita Landinus.

Robur sine prudentiâ debilitas est.

63 Præclara illa est explicatio Donati, qui emistichium illud de Pandaro, & Bitia *Pro turribus adstant*, *Vice turrium* commentatur;

Tot Respublica habet propugnacula, quot viros fortes, aut sapientes.

Dextrâ ac lænâ pro turribus adstant.
Armati ferro, & cristis capita alta coruscus.

Stabant isti (Donati verba) *pro turribus, hoc est, non ante turres, aut pro ipsarum defensione tantummodò, sed ad vicem turrium, quoniam ij egregij fuerunt, & fortes, vt iam non homines dextrâ ac lauâ, sed Turres adstare viderentur.* Sunt equidem viri egregij præsidia Reipublicæ, vrbium propugnacula, firmamenta Prouinciarum, fulcimenta regnorum.

64 Iam hoc penè receptum hominum more, vt quæ nuntiantur mala, cum auxêsi nuntientur, & sæpè vltrà fidem. Vnam præbuerunt patentem portam Troiani fratres; & patentes esse portas nuntius amplificat: aliqui tantùm Latinorum sunt interfecti; & feruere cæde Troianum retulit nuntius ad Turnum. Sic ait,

Quæ nuntiantur mala, cum auxêsi nuntiātur.

Perfertur nuntius hostem
Feruere cæde noua, & portas præbere patentes.

Ecce moralitas (inquit benè Donatus) *nuntiorum, qui aduersis falsò addunt plurima, plurimáque confingunt: vna enim patebat porta; ille ait, portas præbere patentes: nonnulli adhuc venerant Rutuli, nec plurimi occisi; ille ait, Feruere cæde noua. Fit hoc hominum more, qui veris malis multa deteriora commiscent; quod nuntiant grauiùs fictione falsorum.*

65 Quid aggrediaris, priùs attentè cogita, vt ab incepto, nisi graui vrgente causâ, non desistas. Vendicat Turnum ab inconstantia Landinus, quem cum nuntius aliò vocaret,

Vt ab incæpto desistas, grauis causa intercedat.

Deserit inceptum.

Grauis vrgebat causa; alioquin vir fortis ab incepto desistere non debuisset. *Deserit* (inquit) *inceptum, quod non fecisset, nisi commotus magna irâ; cum fortis viri sit ab incepto non desistere, nisi necessariâ causâ intercedente.*

66 Quicumquè animo delitescit affectus, oculi produnt: proditores oculi sunt animi affectuum. Ferociam hominis oculi prodiderunt in Bitiâ, quem Turnus strauit; ardentē illum oculis fuisse ait Virgilius;

Oculi indices animi sunt.

Tum Bitiam ardentem oculis

Mentis ferociam ardentes oculi, & flammescentes indicabant. Quod Donatus notauit.

Iste oculis monstrabat ferociam mentis.

67 Validus hostis valido telo vincendus.

Communia & vsitata arma contrà communes & vsitatos hostes tractanda sunt: contrà validissimum validissima. Validissimus Bitias spumabat in Turnum, ardebat oculis, fremebat animis. Quo in tantum hostem Turnus vsus est telo? Audi,

Non iaculo (neque enim iaculo vitam ille dedisset)
Sed magnùm stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo.

Valido est illum instrumento, phalaricâ scilicet, prudenter aggressus; quâ statim transfixus fortissimus Bitias, &

Collapsa ruunt immania membra.

Pulchrè Donatus. *Aduersùs nouam hominis formam, nouam inuenerat Turnus speciem, quâ ingentem corporis molem valeret euincere.* Valido hosti validum intorquendum est telum, vt pereat. Suus est etiam loco mysticus sapor.

68 Qui Superior optimũ suis præbet exemplum, ipsis quasi Deus alter est.

Expendendum omninò est, quòd, cum Latini Ducis exemplo sui, fortiter in Troianos irruentis, animos refecissent, capessiỳsséntque virtutem, Virgilius tamen non illos dicat benè animatos, & impulsos à Turno, sed à Marte;

Hîc Mars armipotens animos, virésque Latinis
Addidit.

Et deinde;

Bellatórque animo Deus incidit.

Videris, Virgili, Turnum fuisse, non Martem, cuius illi exemplo fortiter egerint. Quid ergo Martem dicis? Profectò, qui Superior suis est optimo exemplo, quasi Deus alter est. Ita crediderim locum hunc intellexisse Donatum, qui in paraphrasi horum Carminum pro Marte Turnum posuit; quasi idem esset hîc Turnus, ac Mars; idem Superior, ac Deus. *Turni factum* (inquit) *cæteris audendi fiduciam dedit.* Conuertuntur aptissimè hoc loci Turnus & Mars, Dux & Deus. Impulit eos Turnus exemplo, & tamen Martis beneficio Latinorum virtutem attribuit Poëta maximus; nam optimus exemplo Superior, Dei instar prælucet suis, eósque validissimè, illapsus animis, impellit in meliora.

69 Sæpè tibi eâ de re cæcus prægratulatur affectus, quæ in perniciem conuertitur tuam.

Sæpè tibi eâ de re cæcus prægratulatur affectus, quæ perniciem continet tuam. Adeò Pandarum iræ obcæcauit affectus, (cum intra mœnia Turnum vidit, à quo frater interfectus est Bitias,) vt statim sibi de occasione oblatâ prægratulatus sit, & sibi item victoriam sit & vltionem pollicitus,

Tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraterna feruidus irâ

Effatur

Effatur

Cæsi a inimica vides, non hinc exire potestas.

Vide quam citò sibi de datâ occasione confligendi cum Turno cæcus Pandari affectus prægratuletur ! quàm certam spondeat iam inde sibi victoriam ! De benè gerendis stultè gloriaris, mox de malè gestis gemiturus. Benè Donatus. *In irâ perditi fratris positus* (totus enim cæco quodam furore rapiebatur, id námquè *Positus* significat.) *gratulatus sibi est hostem oblatum ad pœnam.* Ad pœnam profectò sui, nequaquam hostis. In sui perniciem irruit, qui cæco iam sibi gratulabatur affectu, quòd in alienam irrueret: in suam, inquam, nam Turnus.

Sublatum altè consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit, impubesquè immani vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens, atquè illi partibus æquis
Huc caput, atquè illuc humero ex vtroquè pependit.

Multa metus grauiora facit inquit ille. Prodit Turnus armatus in bellum, decorus cristis, instructus Clypeo. Troiani verò metu perculsi omnia hæc in Turno ad horrorem exaggerant. Audi, 70 Vel quæ leuia sunt, timor vt grauissima exaggerat.

Arma
Horrendùm sonuere, tremunt in vertice Cristæ
Sanguineæ, Clypeóquè micantia fulmina mittit.

Horrendùm sonuisse arma, dicunt; ex recenti cæde sanguineas cristas, hoc est, aspersas sanguine, vertice tremere; non fulgorem ex Clypeo, non radios, non, quod satiare orationem posset, fulgura, sed fulmina mitti. Omnia metus grauiora fecit. Quod Landinus expendit. *Sanguineæ, inquit, cristæ, vel ex cæde sanguineæ; vel quia ex horrore timentibus Troianis ita videretur. Fulmina, nam radij ex scuto eum terrorem incutiebant, vt fulmina apparent. Mirè enim visus, atquè auditus ex subitâ aliquâ, atque horrendâ re decipiuntur; vt & ea, quæ non sunt, esse videantur; & quæ sunt magna, appareant maiora.* Hæc Landinus.

Landinus in illa Carmina, quibus de victore Turno, 71 Victoriâ sæpè nesciunt vti victores.

Et si continuò victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu, sociosquè immittere portis
Vltimus ille dies bello, gentiquè fuisset.

Sic ait; *Plerúmquè enim euenit, vt victores victoriâ vti nesciant; nam qui paulò ante multo timore turbatus erat, nunc furore percitus ita cædi intentus fuerat, vt rem salutarem penitùs oblitus sit.* Addit deinde; *Ostendit etiam, plurimùm posse in rebus bellicis fortunam. Quandoquidem etiam maximi Duces errores maximos committant; vt de Cæsare, Alexandro, Hannibaléquè, ac de plerisquè legimus.* In re bellicâ certum nihil.

72 Quàm superbo & elato animo Pandarus fingitur! Quàm leuis cerebro, quàm leuis animo, dum in summâ mole vitam agebat. Quînam adeò leuis in tantæ molis grauitate? Attende fratris molem vtriusque;

Leues animo, cerebro leues, superbi sunt.

Abietibus iuuenes patrijs, & montibus equos.

Tellus tamen illorum pondere viuorum oppressa nunquam ingemuit. Turni dexterâ occidit Pandarus, & pressa tunc terra est, & pondere concussa cadentis, & emortui. Quid hoc miri est? viuo non premitur, & premebatur occiso? Est ita sanè, vt superbi & elati animi homines, *sublimi feriant sydera vertice*, aërem incolant, suis regionem conatibus aptam; terræ inferiora despiciant; mente semper superiora conscendant, animo leues, mendici cerebro nubes transmittant; Iunonem ament aëris simul ac superbiæ Deam (cuius currum ideò regij pauones finguntur trahere, oculatis tumidi plumis, & versicolori vestitu superbi) Cum ipsâ tandem vitâ, animi extinctus est tumor, elationis ventus euanuit: tunc tunc immania Superbi membra, elato vacua animo, tumenti inania mente terram concutiunt, pondere premunt, mole fatigant.

Ingenti concussa est pondere tellus.

Crediderim ita sensisse Donatum. *Pondus autem tunc sensit terra, quia sustinebat occisum.* Voces illas expende in Donato *Tunc*, & *Quia*. Quasi dicat; Viuum illum terra non sensit, telluri ponderi viuus non fuit; tunc illius grauatur pondere, cum procubuit occisus. Quia occisum sustinet, illius premitur mole; quam, dum viueret Pandarus, animo leuis, Iunonis pronepos, aëris incola, sentiebat nullam. Miselli heu superbi! miselli heu! Extincti oneri estis, quia viui inseruistis leuitati.

73 Elatiori Pandarus cerebro peccauit, cerebro iure excepit & pœnam.

Ibi pœna, vbi culpa.

Arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens, atquè illi partibus æquis
Huc caput, atquè illuc humero ex vtroquè pependit.

Aptas culpæ pœnas Pandarus dedit. In hunc sensum Donatum interpretor, cuius hæc verba. *Ecce Pandari mortis descriptio*; *medio, inquit, capite ictum teli venientis excepit.* Quasi dicat; Ecce pulchra sanè & apta Superbi mortis descriptio; (hoc est *Pandari*; quem superbum & capitis, vel cerebri morbo laborantem suprà depinxit) medio excepit capite teli ictum, qui capitis vitio tumebat. Pœnam excepit, vbi culpa regnabat.

74 Qui te laudat, sæpè vituperat; ita vituperationes humanis sæpè laudibus inseruntur, vt quod iactatur in laudem, vergat etiam idipsum in vituperationem. Vide quanta sit Turno laus à Marone attributa, cum illi dicatur Iuno vires, animósquè ministrasse. Summus Numinis fauor, singularis beneuolentia, apertum Deæ in Turnum amoris indicium.

Vituperationib' humanæ sæpè insunt laudes.

Iuno

Iuno vires, animúmquè ministrat.

Sed in hac laude, qua Turnus videtur erigi latet vituperatio, quâ ipse deprimitur. Sine viribus ergo, sine animo Turnus: vel saltem labant Turno vires, labat animus; quod vt primum laudabile, ita obnoxium est vituperationi secundum. Quod illum Dea Iuno foueat, quod recreet, quod animet, honorificentissimum Turno; quòd alieno indigeat Dux ille auxilio, quod alienæ indigus opis sit, quòd vires labent, quòd animus, profectò turpissimum. Acutè Donatus. *En* (inquit) *vbi erexit laudibus Turnum, ibi eum plena vituperatione deiecit.* Mirum hoc! vt quæ te erigere videntur laudes, eædem te deprimant.

Landinus expendit Troianorum ignauiam alioqui robustissimorum, qui sine ductu passim cædebantur à Turno intrà ipsorum portas incluso, intra ipsorum claustra furenti. 77

Vel robustissimorũ militum turba sine ductu proficit nihil.

Tandem ductores auditâ cæde suorum
Conueniunt Teucri, Mnestheus, acerquè Serestus,
Pallantesquè vident socios, hostémquè receptum.

Manifestum est (inquit) *turbam militum, quamuis robustam, sine Imperatoris ductu atquè exhortatione parùm proficere: nequè robur sine consilio multum valere.* Præclarè quidem. Addit deinde. *Præsentiâ eius, qui Imperatoris vicem gerebat, id ausi sunt, quod prius non audebant.* Nam sequitur;

Cum ductu plurimum.

Firmantur, & agmine denso
Consistunt.

Et hostem vrgent, quem anteà fugiebant.

Teucri clamore incumbere magno
Et glomerare manum.

Hîc Donatus. *Ostendit quantùm commoda Ducis hortamenta valeant.*

Sospes tandem & lætus ex Troianorum manibus & hostili furore ereptus, Tybris beneficio, ad socios remissus est Turnus. 76

Grauior tibi sæpè imminet in tuâ sospitate infelicitas.

Tum demùm præceps saltu sese omnibus armis
In fluuium dedit; ille suo cum gurgite flauo
Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis:
Et lætum socijs ablutâ cæde remisit.

Sospes, inquam, euasit & lætus; sed de hâc te nobili sospitate, Turne, ne iactes, quæ ad ignobilem te reseruat interitum sub Æneæ dextrâ, ferróquè victoris. Et qui te Tybris mollibus nunc excipit vndis, & prosequi fauore videtur, claudùm prodit: suo ille te gurgite fouet & sinu, sed reseruat ad necem; tuæ nunc prouidet, & consulit vitæ, vt ignobili posteà nece publicè occumbas. Ingeniosè Seruius. *Sanè quærunt multi, cum Tybris Æneæ faueat, cur liberauerit Turnum? Sed soluitur istâ ratione. Nam ab hoc Turnus est liberatus, vt maior Æneæ gloria reseruetur, quippe quem suâ manu est interfecturus.* Molles vndæ ad duriorem interitum Turnum reseruabant.

Qui te allicit, ille sæpè te prodit.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER DECIMVS.

1 Vnusquisque Iudex in suo territorio ius publicè dicat.

IOVEM finxit Antiquitas Deorum Patrem & hominum Regem; primum in cœlis, primũ in terris caput illum est venerata. Quare, cum Virgilius ei tribunal assignat, & dicundi iuris sedem attribuit, in Deorum hominumquè conspectu, in suæ ditionis meditullio prudentissimè locat

Conciliumquè vocat Diuûm Pater, atquè hominum Rex
Sydeream in sedem, terras vnde arduus omnes
Castraquè Dardanidum aspectat, populosquè Latinos.

Citatis & adstantibus partibus.

Quod pulchrè notauit Donatus. *Neque illud vacat, quod dixit Diuûm Pater atquè hominum Rex, quoniam id dicere fuerat necessarium. Qui enim Deos, atquè homines vna potestate retinebat, debuit omnes æquo moderaminis arbitrio gubernare, & illic habere concilium, vbi Dij præsentes essent, & vnde omne humanum genus videri potuisset.*

Idæa iudicum Iuppiter aliter Deos, homines aliter, illos vt Pater, hos tractauit vt Rex. 2 Pati omnes imperio tractare Iudex non debet.

Diuûm Pater, atquè hominum Rex.

Idem interpes expendit acutè Vocum *Pater* & *Rex* oculatissimam collocationem. *Non exæquauit* (inquit) *homines & Deos; nam Diuûm dixit Patrem, hominum autem Regem: quæ officia æquitate, & moderatione consistunt.* Non tu, quicunquè Iudex sis, æquitatem confundes, si te alium erga Principes, erga humiles alium exhibeas, comem erga illos, humanum erga hos, adversùs hos Iudicem agas, Patrem erga illos. Personarum dignitatem obserua; non æquo imperio per abusum feraris in omnes; insectare æquo iure vitia, culpas castiga; in personis tamen delectum habe. Vide infrà *num.5.* & *lib.1. num.78.*

Nemo vnquam dixerit, vitium tibi esse illum petere locum qui tuæ debitus est dignitati. Iuppiter, cum Deos in concilium vocat, dignam Deorum dignitati sede m attribuit, sydereâ illos in sede locat, 3 Altiorẽ petere locum, tuæ debitum dignitati vitiũ non est.

Conciliumquè vocat Diuûm Pater, atquè hominum Rex
Sydeream in sedem.

Vbi pulchrè Donatus. *Illic enim Deos sedere conuenerat, vbi tenebantur & sydera.* Non ergo vitium est id appetere, quod Deus ipse præscripsit. 4 Promptã debemus cœlestium obediẽtiam æmulari.

Vix Poëta dixit à Ioueconuocatos esse in concilium Deos,

Conciliumquè vocat diuum Pater, atquè hominum Rex,

Cum addit, illos tectis bipatentibus consedisse;

Considunt tectis bipatentibus.

Cœlestium planè obedientia hæc, in qua iussio pariter & executio pari gradu feruntur. Quod grauiter Zerda notauit. *Vide verò Iouis maiestatem, vix vocat, & iam considunt. Sed quem in locum concilium cogitur? vbi astra, idest in partem cœli arduam.* In cœlis hæc, & cœlestium obedientia est. Maximè ad obediẽtiam conducit iubẽtis authoritas.

Non tibi licet, quantumuis Superior sis, in delinquenti Inferiore personam odisse, sed vitium. Illius dignitatem obserua, peccatum castiga. Verbis castigaturus Deos in concilium Iuppiter vocat, quòd contrà vetitum iniquis animis vicissim decertarent. Cuius reprehensionis hic primus ingressus est, omni comitate conditus. 5 In inferiore vitiũ debet odisse Superior, non personam.

Cælicolæ magni.

Deinde reprehensio sequitur *quia nam sententia vobis*
Versa retrò, tantumquè animis certatis iniquis?
Quæ contrà vetitum discordia?

Hoc Superioribus documentum cœlum propinat.

Magnus in Superiore & Iudice lapsus est, personarum acceptio. Non ita Iuppiter cum Iudex sedet; summet vxorem, quam reprehensione dignam cognouit, publicè increpat, prudenter tamen, & obliquè, ne illam deteriorem efficeret. Sic enim ille contra Iunonem 6 Superior nõ sit personarũ acceptor.

Cælicolæ magni, quia nam sententia vobis
Versa retro? tantumquè animis certatis iniquis? &c.

7 Præcedat publicã secreta reprehensio

Vbi Donatus. *Causa contrahendi consilij fuit, vt obiurgatione conuenienti omnes Deos, & Iunonem ipsam, sororem suam, eandem coniugem obliquè ab Troianorum æmulatione compesceret: quam secreto per Irim suprà commonuerat.* Hanc obiter prudentiæ notam animadverte; secretam reprehensionem publicæ debere præmitti.

8 Illi verè Magni, qui vnionẽ seruant.

Quærit Donatus, quare hîc Iuppiter *Magnos* vocat Deos? *Cælicolæ magni* Primò, inquit, *Magni dicuntur, quia cælum incolunt. Tum quia, cum omnium populorum retineant principatum, iusti esse debent, & in vna manere sententiâ; non moueri, & non vti perfidiâ.* Illos tunc quietos vidit, & in vnà omnes sententiâ & mente venisse; quare *Magnos* quod appellat, nihil enim *Vnione* maius; eos tamen reprehendendos censuit, quod contra vetitum discordes fuissent. Reprehendit ergo quod fuerunt, laudat quod sunt.

9 Quærenda opportunitas, vt res quæcunquè feliciter expediatur.

Grauissimam Venus rem apud Iouem actura, quæsitâ opportunitate transegit. Vidit Iouem in Troianos animo pronum, subiratum in Grecos, tunc fusè ad illum pro Troianis querimoniam instituit

At non Venus aurea contrà
Pauca refert.

Donatus ibi. *Inuenit enim opportunum tempus, quo Iuppiter agebat iam Troianorum partes, qui causam querelarum erat adiuturus.* Illas audijt, & rem feliciter pro Veneris voto expediuit.

10 In filiorum causa sollicitæ matres.

Læsa mulier fusè conqueritur.

In Emistichium illud At non Venus aurea contrà, Pauca refert, pulchrè Seruius. Ne mireris, inquit; Venerem in filij causa non pauca retulisse, Mater enim erat, quæ filij sui commodis studebat. *Non pauca Venus.* (Seruij verba) *quia mater dolens.* Et doctissimus Zerda. *Venus non pauca, vt quæ læsa, nacta videlicet occasionem liberè disceptandi contrà Iunonem.* Læsa fœmina nullum querelis adhibet modum.

11 Otiantium est vitiũ nimius corporis cultus.

Ægram Venerem filij commoda sollicitabant, cum sic ad Iouem, nactâ opportunitate, non paucis.

At non Venus aurea contrà
Pauca refert.

Notat Donatus aureum illud epitheton *Aurea*, & sic explicat. *Auream hîc Venerem magis animo, quam corpore debemus accipere, cum tristis esset. Nequè enim illo tempore de excolenda pulchritudine poterat cogitare.* Si ociosa tunc esset, de corporis fortassè cultu intelligi

12 Quæ potestas æterna non est, hominum est obnoxia cõtemptui.

deberet *Aurea*, nam ociositas vanæ pulchritudinis cultum affectat, quem sollicitudo & mœstitia non curant. *Aurea igitur*, (prosequitur idem Donat.) *animo bona, & innoxia intelligenda est.* &c.

Pulchrè notat Donatus à Venere Iouem appellatum esse *Potestatem æternam.*

O

O Pater ô hominum, Diuûmquè æterna Potestas.

Nam quæ potestas æterna non est, contemptui subiacet, & multorum solet haberi neglectui. *Et Æternitatem* (inquit) *potestatis adiecit; possunt enim contemni, quibus aliquando sua potestas tollitur.* Quibus verbis illorum aggrauat temeritatem, qui Iouis violauerant potestatem; & ego peccatorum, qui æternâ illa potestate nil curant nil formidant.

Præsentia sua incommoda proponit Venus, & Troianorum infortunia vt Iouis misericordiam efficaciùs moueat. Sic enim ad illum, 13 Quæ præsentia sunt mala, efficaciùs aliorum misericordiam excitant.

Cernis, vt insultent Rutuli.
Quin intra portas, atquè ipsis prælia miscent
Aggeribus murorum, & inundant sanguine fossa.

Præsentibus vtitur. *Insultent, miscent, inundant.* Quod notauit Donat. *Tuis conspectibus infortunia miserorum cuncta monstrantur: geritur adhuc, quod infelix gemo; & insultat, qui insontibus intulit bellum.*

Tanti Parentis merito, ait Venus, suspicienda erat filia, ego tuo: 14 Patris merito suspiciendus est filius.
sed ita pessum eunt res, vt ego, quæ tua sum progenies, secundò sim vulneribus deformanda.

Equidem credo mea vulnera restant;
Et tua progenies mortalia demoror arma.

Quæ mihi infertur iniuria & tibi infertur. Pulcherrimè pronomina duo *Mea* & *Tua* componit Venus, *Mea vulnera restant*, quæ sunt *tua progenies.* Vbi præclarè Donatus. *Quod dixit Mea vulnera, ipsa exposuit, quid in pronomine debeat intelligi, addendo, Et tua progenies Pronominis vim alterius pronominis substantia patefecit. Nam quod dixit Mea vulnera hoc exposuit dicendo Et tua progenies, Si, inquit, contemptum fuit in me meritum meum in primo vulnere* (nam ab Achille vulnerata fuit in bello Troiano) *vel nunc nihil tale debet exoriri, quia filia tua sum.* Mihi ergo faue ô Iuppiter, vt & tibi præcaueas & mihi; cum, quam mihi inferendam iniuriam timeo, in tuam cedat necesse sit. Illata filijs iniuria infertur & patribus.

Laborem gloria subsequitur, non beneficij loco, sed debiti. Ingeniosè Donatus expendit vocem illam *Redde*, quam in conquestione ad Iouem interserit Venus, cum Troianorum labores percensuisset; 15 Post labo. & gloria.

Quid pestem euadere belli
Iuuit, & Argolicos medios fugisse per ignes?
Totquè maris, vastæquè exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri, recidiuaquè pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos?
Atquè solum, quo Troia fuit?

His laboribus fortiter exanthlatis iure gloria debetur & requies. *Redde* ergo.

Xanthum & Simoënta

Redde, oro, miseris.

Necessarium verbum posuit Redde, (Donati verba) Laboribus quies, Sudori gloria debetur ex merito, necessariò debetur. Seruius hîc. *Ambiguum est vtrùm dicat Redde nobis re verâ antiquam Troiam; an Redde terras in Italia ad similitudinem Troiæ.* Sed quocumquè sensu, accipiatur, necessitatem Venus imponit Ioui reddendæ quietis & gloriæ.

16 Pudor Principi à coniuge regi.

Pudor sanè Principi sit à coniuge regi. Hoc ingeniosè Venus exprobrat Ioui, cum ad illum

Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniux
Dura &c.

Non tu, sed tua coniux, cuius libitum sequeris. Pulchrè Donatus. *Vsa est tanta subtilitate consilij, vt ipsum Iouem nonnullus pudor confunderet.* Quippe qui videretur coniugis consilijs regi, & nimium vxorius illius libidini obtemperare.

17 Vxoris impudentia est à mariti sĕtentia & mente discedere.

In hoc Carmine illud quoquè Donatus expendit *Tua coniux.* Impudentiam, inquit, notat Iunonis, quæ contrà mariti sententiam auderet. Quasi dicat, præclara sanè coniux, quæ cum deberet nec vnguem quidem à talis meriti mente discedere, hac in parte dissidium affectat. *Non dixit, Iuno, aut, Tua soror, sed coniux tua commisit hac; vt esset criminis mulieri, cui nefas esset contrà mariti venire sententiam.* Donat.

18 Nascentem potiùs solem mortales curant, quàm occidentem.

Quærit Seruius cur adeò sollicita Venus Ascanio consulit, & illius commodis prouidet, gloriæquè futuræ, quasi oblita Æneæ filij? Cur nato videtur præposuisse nepotem? Sic enim pro Nepote ad Iouem,

Liceat dimittere ab armis
Incolumen Ascanium, liceat superesse Nepotem.

De Æneâ verò longè alio affectu; nouercalem dixeris, non maternum.

Æneas sanè ignotis iactetur in vndis,
Et quamcúmquè viam dederit fortuna, sequatur.

Respondet interpres: nascentem Solem curabat potiùs Ascanium, de quo prædictum sciebat lib. 4. per Mercurium à Ioue,

Cui regnum Italiæ, Romanáquè tellus
Debentur.

Æneam verò videbat ad occasum vergere, & celeriùs moriturum. Quare humano illa more fingitur casuras iam glorias quasi despicere, & aucupari nascentes. *Pro Ænea* (inquit Seruius) *non petit hoc loco, quia scit eum celerius moriturum; pro Ascanio petit quia Soli Ascanio debetur imperium.* Soli, inquam, quem contemplabatur orientem.

19 Vt voti sui

Adeò fœminæ, vt voto satisfaciant suo, effræni feruntur affectu, vt dedecoris notam quamcúmquè non curent. Contra Iunonem Venus

Venus apud Iouem conquerebatur, quam deprimere sibi erat in votis. Quid ergo illa? Præuidebat magnum pondus habituram esse querelam suam, si Nepotem suum Iulium (quem Iuno insequebatur) pronepotémquè Iouis nominasset, quia huiusmodi nomen emollire Iouis viscera posset; Aliunde tamen timebat sibi Auiæ nomen, si Nepotem dixisset Ascanium, eò quòd idem esset *Auia*, atquè *Anus*: anum verò pulchritudinis Deam dici ferebat ægerrimè. Seruius in illud lib. 4. Emistichium, compos fœmina fiat, dedecoris notam non curret.

Dardaniusquè Nepos Veneris ita ait; *Quidam incidenter dictum volunt, vt Venus Auia sit.* Dedecet enim huiusmodi vox cuiusuis fœminæ pulchritudinem, maximè Veneris; & nota maxima pudoris inuritur, cui Auiæ, hoc est, aniculæ nomen impingimus. Quod ergo sine grauissimo illa rubore nec cogitare quidam posset, sibimet obijcit, Auiam se dicit & anum amorum Dea, vt Iouem contra Iunonem nepotis nomine accendat, & in illius odium inflammet.

Liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse Nepotem.

Sic Neotericus quidam in margine. *Nepotem dixit, quæ vox Iouis animum posset contrà Iunonem inflammare, quæ pronepotem Iouis insectaretur; quamuis ipsi Veneri ruborem afferebat hæc vox*, Quare ruborem? nisi quia Auia cum anu conuertitur? & anum dici, rubori sit & dedecori fœminis?

Lædebat Veneris animum Teucris insultans Turnus, qui secundo Marte tumidus, equis insignis per medios ferebatur. Sic illa ad Iouem, 20 Hostis fortuna insolēs tū, tuā maximè animū lædit.

Cernis vt insultent Rutuli, Turnusquè feratur
Per medios insignis equis, timidusquè secundo
Marte ruat?

Quod ait (inquit Donatus) *per medios insignis equis feratur, inde erat maior acerbitatis morsus, vt in medio Troianorum positus salutis periculum non timeret, quin potiùs gloriaretur & insignis incederet.*

De rerum securitate actum est, cum clausura non est. In querela Veneris illa, quâ illatas à Iunone Troianis exponit iniurias, illa est vel maxima, 21 Clausurâ deperditâ, quid potest esse securū?

Non clausa tegunt iam mœnia Teucros.

Nulla relicta mœnia sunt Teucris, quibus clausi à furore hostili, armisque tegantur. Id vnum Iuno molitur hoc incommodo, vt de Troianis rebus omninò sit actum. Præclarè Donatus. *Quam spem habere possunt, qui munimenta perdiderunt, defensionémquè castrorum?* Quam potest ille salutis souere spem, quem claustra non cingunt, atquè tuentur?

Efficacius solet insinuata tantùm, non impacta reprehensio, mederi proceribus. Talis est illa Iouis, quam si in Iunonem apertè 22 Proceres

 distrin

prudenter sunt obiurgandi. distrinxisset, minus prudenter fecisse videretur, Iunonem tamen præcipuè obiurgat.

Quæ contrà vetitum discordia? quis metus aut hos,
Aut hos arma sequi, ferrúmquè lacessere suasit?

Audi Donatum. *Cum omnes Deos obiurgat, ipsam Iunonem insolentiæ crimine aspergit, & notat. Nominatim autem vxorem suam carpere noluit.*

Illi, qui Dei causâ patitur, merces ex iustitiâ debetur. Iouis monitu iubetur Æneas nauigare in Italiam; ibi enim stabile promittebatur imperium; sic lib.4. Iuppiter ipse de Ænea ad Mercurium,

Fore, qui grauidam imperijs, belloquè frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.

Nunc verò illum per Iunonem terra mariquè ita vexatum Venus mater aspiciens, petit à Ioue, vt ei, quem ad Italiam ipse vocauit ex Troia, faueat ex debito, (debitum enim auxilium est illi, qui Iouis ipsius causâ tot incommoda tulerit, tot calamitates perpessus sit)

Xanthum & Simoënta
Redde, oro, miseris

Redde dixit, quia merces illi ex iustitia debetur, & præmium. Præclarè Donat. *Necessarium posuit verbum, Redde: ipsius enim iussu finis regionum suarum Troiani dimiserant; ipse reddere debuit, quod iubendo sustulerat, aut id, quod pollicitus erat, dare.*

23 Cũ id, quod minus est, beneficij loco habes, quod maius est, petis. Illud solet vsuuenire non semel, vt, cum id, quod minus est, beneficij loco habeas, quod maius est, tacitè petas, & assequaris. Summissa Venus quid petit à Ioue beneficij loco? quod parum est;

Xanthum & Simoënta
Redde oro miseris.

Parca omninò petitio! Sed artificiosè sic est ad Iouem ingressa, vt quod maximum ipse Troianis pollicitus est, assequatur, Romanum videlicet Imperium. Notauit hoc acutè Donatus. *Magnum, inquit, meis præstabis beneficium, si patriam antiquam illis reddideris: sed non verè, sed propter inuidiam dixit.* Sui promissi Iouem admonuit, quod maximum fuit, cum id, quod minus est, beneficij loco se habituram esse præmittit.

24 Quæ iniuriã pati videtur sibi fœmina, insanit. In verba illa

Tum regia Iuno
Acta furore graui

Expendit Donatus vocem *Furore. Furorem dicendo ostendit iniustè commotam, atque excitatam vehementer: vbi enim furor interuenit, verum animi iudicium cessat. Furorem igitur Iuno collegit ex eâ causâ, quòd in conuentu Deorum omnium dolebat se esse confusam.*

25 Modestæ Muliebris affectus est in Iunone satis expressus, vt modestas se esse videri velint tum maximè, cum inuerecundæ maximè sunt.

Suam

Suam illa immodestiam voce & gestu prodebat in Venerem,& culpam suæ intemperantiæ in Venerem reijcit, cuius causâ in vocem & furorem eruperat. *Videri fœminę volũt, etiam cum inuerecundæ sunt.*

Quid me alta silentia cogis
Rumpere? & obductum verbis vulgare dolorem?

Monstrare se cupiebat modestam (inquit benè Donatus) *quam non habuit, asserens verecundiam, & Veneris prouocantis impudentiam.*

Odij est, ac pertinacis iræ nota *silentium*; Vtroquè morbo laborabat in Venerem Iuno, cum silentium abrùpit; Sic enim ipsa ad Venerem; 26 *Qui odij tenẽtes sunt, & pertinaces in ira, silentes inducuntur.*

Quid me alta silentia cogis
Rumpere?

Vbi Seruius; *Iuno silens vbiquè inducitur.* Accipe rationem à Zerda, in hoc tractu, Notâ 3. *Fortasse, quia retentrix odiorum, & pertinax in iris. Tales verò esse solent taciturni. Nonnus lib. 30. ait, silentium esse indicem, & veluti præconem iræ.*

Non Venus Troianas naues totidem conuertit in Nymphas, sed Berecynthia mater in gratiam Veneris;& tamen Veneri Iuno hanccine nauium metamorphosin obijcit, & attribuit irata. 27 *Quod tui causâ factũ est, tu ipse fecisti.*

Tu potes in totidem classem conuertere Nymphas.

Seruius rationem reddit. *Licet hoc Deorum Mater fecerit, tamen Veneri imputatur, quia in eius gratiam factum est: vt in illo loco, Quas illi Philomela dapes cum Progne fecerit, sed propter Philomelam.* Benè!

Apertè Virgilius de Iunone lib. 1. 28 *Retentrices iniuriarum fœminæ sunt.*

Manet altâ mente repostum
Iudicium Paridis, spretæquè iniuria formæ.

Ad intima præcordia penetrauit hoc vulnus. Consule eiusdem libri num. 23. Nunc verò vide quàm altis insita sensibus hæc maneat iniuria, cum in Venerem debacchatur;

Me duce Dardanius spartam expugnauit Adulter?

Affectum hunc animaduertit hîc ingeniosè Donatus. *Causam mali aurei, & iniuriam Paridis in sensibus gerit.*

Æneæ ac Veneri fuit Iuno semper infensa; quæ cum de Paride cum Æneæ matre loqueretur, Æneam lædit, Venerem irritat: Sic enim ait; 29 *Tui lędendi occasionem ille nó prętermisit, qui in te bene animatus non est.*

Me duce Dardanius spartam expugnauit adulter?

Notat optimè Seruius ideò *Dardanium adulterum* dixisse, quia *Dardanus* dicebatur Æneas, quo adiuncto offendit Æneam, & voce *adulteri* Venerem. *Propter iniuriam Æneæ hoc posuit, qui Dardanus dicitur*; (Seruij verba) *nam peritè dubium nomen elegit, quò contumeliam communicaret Æneæ.* Clanculùm pungit, arreptâ occasione, inimica inimicos, & vno duos ictu cruentat.

Qui moribus ab ingenitâ nobilitate degenerat, quò maiori maio- 30

Quò nobilior, eò vilior es, si à nobilitate mores degenerãt tui. rum floret nobilitate, eò maiori laborat infamiâ. Ideò crediderim à Iunone Paridem *Dardanium* dictum esse, hoc est, regiâ procreatum stirpe, vt illi maior accrescat infamia, qui tantum naturalium splendorem adulterinis moribus obscurauerit.

Me duce Dardanius spartam expugnauit adulter?

31 Laus ab inimico sæpè vituperatio est. Nullum contrà Paridem adijcere superlatiuum grauius potuit, quàm addendo *Dardanium*.

Quid hoc, ô Iuno? cum in adulterum Paridem inflammatior inveheris, *Dardanium* vocas? Regium appellas? nobilissimum dicis? Quod huic illustrissimo adiuncto commercium est cum adulterij labe, quam ingeris? *Dardanium*, hoc est, Regis Dardani sanguine cretum, vocas adulterum? Adeò effusè laudas, quem iudicas vituperatione dignissimum? Expende, lector, quæso, quænam laudat, & quem; & in hac laude egregiam sanè vituperationem deprehendes; Troianum adulterum infesta Troianis. Dardanium ergo vocat, vt vituperet, qui Regiè ortus, turpiter vixerit. Ab inimico pectore profecta laus nihil minus habet, quàm laudem.

32 Vt suorum saluti consulat, nullis suis Superior parcat incõmodis. Vt suorũ saluti consulat Superior, aut Princeps, nullis suis parcere debet incommodis. Talis Æneas, qui nec periculis, nec laboribus pro suorum salute pepercit; nam vt opportuno illos leuaret auxilio,

Media Æneas freta nocte secabat.

Media sulcabat freta, & sulcabat nocte. Quod pulchrè Donatus hîc notat. *Hunc locum cum pronuntiamus, sic debemus distinguere, vt freta assignemus media, non noctem: hoc modo; media Æneas freta, & faciamus moram; & sic dicamus, nocte secabat. Vt ostendatur Regis properantis instantia, & labor, qui nec noctem metuebat, nec medium maris.*

33 Danti facilè datur. Dexteram porrige, si tibi porrigi dexteram petis. Pulchrè Virgilius petentem inducit Æneam simul & dantem, cum Tarchontem adiuit;

Regem adit, & Regi, memorat noménque genúsque,
Quidve petat, quidve ipse ferat.

Vbi præclarè Donatus. *Cum subiecit quid peteret, subiecit quid ferret. Faciliùs enim postulata impetrat, qui se ostendit oblatâ vicissitudine profuturum.*

34 Omni pretio pretiosiores sunt preces. Post pretiosa dona oblata Tarchonti, vt faciliùs Æneas expiscetur auxilia, quæ petit, dicitur à Marone preces miscuisse;

Immiscétque preces.

Prudentissimâ vsus est arte petendi, qui oblato muneri preces adiecit. Quod Donatus expendit. *Post omnem petendi artem, preces quoquè subnexuit, vt supplicatio mereretur, quæ superiora fortassis impetrare non possent.* Profuit hæc ars; nam sequitur,

Haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdúsque ferit.

Statim,

Statim, quod Troianus petebat, est assequutus.

Hoc à nobis accepti memoria beneficij requirit, vt illa ab animo nunquam, nunquam ab oculis nostris recedat. Magnum à Berecynthia beneficium Troiani acceperant, cum sibi ab Idâ monte, huic Deæ sacro materies est classi ministrata. Quod beneficium ne vnquam excideret, Deam ipsam, & leones, qui illius currum trahere dicuntur, montémquè Idam Regiæ puppi præfigunt, quam tota classis subsequeretur. Quare Regiæ puppi? vt in illam, vtpote primam & ducem reliquarum, omnium oculi conijcerentur; Et accepti memoria beneficij (quæ Troianis semper gratissima fuit) ob oculos posita, etiam mentibus perduraret. 35 Accepti memoria beneficij semper tibi præ oculis sit.

Æneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones,
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.

Breuissimè Seruius. *Gratissima, propter illic facta nauigia.* Idem fermè Donatus. *Propter originē materiæ, ex qua fuerant facta nauigia.* Vt tanti beneficij memoria nunquam animis aboleretur, benefactores oculis proponuntur, Deorum Mater vecta leonibus, & mons ipse Ida, vnde excisæ sunt trabes; hinc enim suæ incolumitatis origo fuit, &c, quam sperabant, fortunæ grandioris. Vide Zerdam in explicatione horum Carminum qui ad rem meam.

Pulcherrimè Donatus expendit, à Virgilio Æneam *Magnum* esse vocatum, cum in Regiæ nauis puppi sederet, 36 Superiori, absque omnimodâ suorum securitate, quiescendū non est.

Hic magnus sedet Æneas.

Importuna sanè videtur occasio tanto illum nomine *Magnus* indigetandi, cum sedet: in aliud commodius tempus tanti vox splendoris reseruari posset, cum prudentissimè consuluisset, strenuè duxisset, animosè inuasisset, conflixisset acerrimè, expugnasset intrepidè, fortissimè vicisset, pulcherrimè triumphasset: Quis *Magnum* dixerit sedentem? Quid potuit ille magnum à sessione mutuari? Pulchrè hoc loco *Magnus* vocatur, quia lætus de suorum securitate sedebat. Dum de conquirendis satagebat auxilijs, dum de suorum commodis cogitabat, sedere non potuit; sollicitabatur hic curis, ducis muneri, quod sustinebat, invigilabat; at verò cum iam securus est de auxilijs, & optimi ducis partes expleuit, sedeat, quiescat; illa enim quies, sessio illa *Magni* nomen acquirat Æneæ. *Hic Magnus sedet Æneas* (inquit Donatus) *Magnum dixit hoc loco, quia sedebat eo tempore, quo securus de auxilijs esse debuit.* Quisquis Superior, quisquis Princeps, quisquis Dux ita sedet, *Magnus* sedet. Addit idem interpres. *Ipsi quoquè dormire, & reficiendi corporis gratiâ, pro vigilijs scilicet susceptis, licuisset, sed voluebat tamen ingentes pectore curas.* Aliam vides huius *Magni* causam cognominis. Poterat hic vigilantissimus Princeps, cum dormirent cæteri, etiam ipse dormire, & molli dormire strato; (nox quippe erat; nam sequitur,

Pallasquè sinistro
Affixus lateri, iam quærit sydera opaca
Noctis iter.

Et præcessit,

Media Æneas freta nocte secabat.)

Sedet tantùm, & in puppi sedet; nec dormiturus sedet, sed vigilaturus, vtpotè qui bellorum inconstantiam cogitaret,

Secúmquè voluat
Euentus belli varios.

Verè *Magnus* hic Princeps, qui suorum consulit incolumitati, somni sui & commodi oblitus.

37 Nulla te Superiorem de tuorum incolumitate securitas faciat omninò securũ.

Nulla Principem, aut Superiorem debet de suorum incolumitate securitas ita facere omninò securum, vt Principis, aut Superioris curam deponat. Securus Æneas de auxiliorum subsidijs, quæ in suorum salutem conquisierat, (vt suprà Donatus expendit) securus tamen ita non est, vt euentus belli varios non cogitet, secúmquè voluet,

Secúmquè voluat
Euentus belli varios.

Vbi pulchrè Donatus. *Quem enim non curis omnibus soluerent impetrata subsidia? Et tamen cum ipsis sine cura non fuerat, indicans in euentu magis quam in multitudine hominum constitutam esse victoriam; vtpotè quæ penderet ex casibus; sperare debere prosperum, & timere contrarium. Ergo quod ait Magnum, ad animum eius retulit.* Magnus re verâ huius notæ Superior, aut Princeps!

Magnus re verâ huius notæ Superior.

38 Dulcis Amor patriæ.

Exulant sponte patriâ Troiani; spontè dixerim an necessitate compulsi? Et, vt dulcis amor patriæ, etiam in exilio, conquiesceret, Idam montem, vbi nati, & educati sunt, regiæ naui præfigunt; vt si minùs patriâ frui incolumi possint, illius saltem simulachro ob oculos posito, cladem solarentur acceptam.

Imminet Ida super profugis gratissima Teucris.

Ad Troianorum solatium (inquit Donatus) *vt patrium montem secum habere viderentur positi in regionibus alienis.*

39 Labores tibi currum triumphalẽ fabricantur.

Distractus Æneæ animus erat armorum curis, variisquè bellorum euentibus valde sollicitus; media freta intempestâ nocte nauigijs metiebatur, multum *terris iactatus & alto.* Tunc (vide Maronis ingenium) nauis illi in triumphantis currûs formam affingitur, quam sociæ sequantur.

Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones.

Vbi pulchrè Zerda in explicatione. *Exhibet Poeta amœnissimè in descriptione nauis speciem currus; quasi eodem iugo leones innexi nauem veherent.* Leonibus trahitur quasi triumphantis currus, quem labores Troiano fuerant fabricati.

Superiores

Superiores, vel maioribus districti curis, sine tædio, sine fastu suorum etiam puerilia & inania debent humanis audire auribus, & vultu facili excipere. Cum Æneas curis distentus est, 40 Superiores vel puerilia suorũ æquo vultu atquè ante debent excipere.

Secúmquè volutat

Euentus belli varios.

Adeò se inferioribus præbet humanum, adeò facilem exhibet, vt pueriles & inanes Pallantis iuuenis interrogationes æquo exciperet vultu, & læta fronte quæsitis annueret.

Palláſquè ſiniſtro

Affixus lateri, iam quærit ſydera, opaca

Noctis iter; iam quæ paſſus terráquè mariquè.

Quod ingeniosè Donatus ita expendit. *Conuenientia ſingulis dedit. Æneam quippè induxit ſedentem, ac per hoc etiam noctis tempore negocioſum, pericula ſua ſecum, & futuri temporis incerta tractantem. Pallantem quærentem, quæ vacuis omni curâ conuenirent, ductum ætatis ratione,& cupiditate noſcendi, ſydera in quas terrarum ducerent partes;quærentem quoquè audire quaſi à vacuo*(qui grauibus ille quidem tūc tēporis curis vrgeretur)*quæ in terra,quæ in fluctibus adverſa pertuliſſet.* Atquè adeò Pallas instanter agebat, vt semper esset Æneæ *Affixus lateri.* Inferiùs hæc Pallantis quæsita Donatus vocat *ſuperflua, & puerilia.* Et tamen ab Æneâ ille repulsus non est, aut tædiosè, vel cum fastu reiectus sed exceptus beneuolè, tractatus humaniter.

Omnia inferiorum puerilia licèt, aut inania, debet audire Superior; omnibus tamen, nec de re omni, respondere non debet. Hic Æneas impleuit vtrumquè; cum attentâ Pallantem aure auscultarit quærentem, nec responsum quæsitis inanibus illo tempore dederit. Quid ille quæsierit, Maro proponit; quid responsi redditum sit, omninò tacet, sed ad alia longè alia transgreditur, 41 Omnes debet audire Superior, non tamen omnibus, nequè de re omni respondere.

Pandite nunc Helicona Deæ, &c

Pulcherrimè Donatus. *Quærentem induxit Pallantem ſuperflua, quæ ipſo illa tempore ab ipſâ perſona, ſi maturi hominis adfuiſſet intentio, non debuerant quæri. Deniquè noluit comprehendere Æneæ reſponſum,vt oſtenderet, eum magis neceſſarijs cogitationibus, non puerilibus quæſitis fuiſſe diſtrictum.*

Triginta nauibus vehebantur, qui Troianorum subsidio comitabantur Æneam; 42 Illius extingui memoria non potest, cuius minores extant nunquam degeneres.

Tot lecti proceres ter denis nauibus ibant

Subſidio Troiæ.

Subsidio Troiæ? cui Troiæ? cum funditus iam illa esset excisa, & æquata solo Græcorum igne fumaret. Capax illa auxilij omninò non erat. Viuebat adhuc Troia, extabat adhuc patria in Troianis, qui à Troiæ gloriâ parentis non desciuerant. Ipsa accipere videbatur auxilium, cum Troiâ geniti illud acciperent. Præclarè Donatus.

 Non

Non dixit Troianis, sed Troia, quoniam hominum conseruatione patria ipsa videbatur auxilium sumere, quam Troiani reparare conabantur.

43 Eâ sunt conditione labores, mente liberâ, alacriquè suscepti, vt nescio quid diuinitatis ingerant, & Deitatis scintillas subministrent. Quot laboribus terrâ mariquè Æneas semper exercitus à Marone depingitur! Tota Æneis abundat hac merce. In libro primo illum videbis, postquam *Multùm ille est terris iactatus & alto*; postquam

In illo scintillæ diuinitatis intermicant, qui laboribus premitur.

Ipse ignotus, egens, Libiæ deserta peragrat
Europâ, atquè Asiâ pulsus.

Quos ipse ad matrem Venerem labores exaggerat,

O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,
Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

Post hos, inquam, labores gratus cælestibus nescio quid diuini fulgoris accepit;

Quisquis es, haud credo, inuisus cœlestibus, auras
Vitalis carpis, Inquit Venus ad filium sub venatricis formâ occultata.

Et paulò inferiùs, cum, ruptâ nube, quâ tegebatur, Æneas erupit in medium, Deo similis pingitur, & circumfusus luce, & quasi diuino dignatus honore.

Claraquè in luce refulsit,
Os, humerosquè Deo similis; námquè ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenquè iuuentæ
Purpureum, & latos oculis adflarat honores.

A laboribus ista illi diuinitatis similitudo fuit. Has scintillas Deitatis à laborum igne exsiluisse crediderim, Recurre ad lib. 4. & expende quàm consequenter Regina Dido, post auditos exanthlatos ab Ænea labores, nouum quid, & inusitatum admirata sit in Troiani vultu fulgorem. Sic enim illa ad sororem Annam,

Anna Soror,
Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?
Quem sese ore ferens? quam forti pectore, & armis!

Nescio quid (inquit) diuinitatis elucet in vultu; nouum in hospite fulgorem noto;

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

Dubium non est, quin vel Deus ipse sit, vel à Dijs immortalibus genus ducat, qui tam forti pectore labores terrâ mariquè subierit. Aptimam sanè consequentiam elicit ex laborum Præmissis, fulgorem oris, Deorum genus, scintillas, & vestigia diuinitatis. Luctantem in Quinto considera Entellum; (qui sæpiùs olim non sine labore magno, sanguinequè certauit,

Dum melior vires sanguis dabat.)

Luctantem

Luctantem, inquam, cæstibus cum Darete, cuius ille vires iactabundi oppressit, Troiani Latinus; ferrè adolescentis omninò senex. Laborat, angitur, sudat, anhelat, & in robustissimo hoste vincendo defatigatur.

Præcipitemquè Daren ardens agit æquore toto,
Nunc dextrâ ingeminans ictus, nunc ille sinistrâ.
Nec mora, nec requies; quàm multâ grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus Heros
Creber vtrâquè manu pulsat, versátquè Dareta.

Accurrit Æneas, & Entelli iras vlteriùs procedere haud quaquam passus est; pugnam dirimit, victúmquè victori vix eripit. Audi deinde quid victo Troianus Heros dixerit pro victore.

Non vires alias, conuersáquè Numina sentis?
Cede Deo.

Quæ aliæ vires? quæ Numina? quis Deus? Nonnulli apud Donatum, acutè sanè, de Entello hæc omnia interpretantur. Quasi dicat Æneas; Ex quo Entellus luctam iussus iniuit; ex quo sudauit, anhelauit in pugnâ, ita in alium mutatus est virum, vt humanam videatur exuisse naturam, induisse diuinam: diuinas in illo agnosce vires, conuersa senti Numina; cede ergo Deo, cede sudanti seni, cede anhelanti; laborem enim beneficio id assequutus est, vt diuinum quid, & cœleste præ se ferat. *Sunt qui putent Entellum Deum ab Æneâ vocari*, inquit Donatus; & meo iudicio non errant, quamuis errent Donati, *sed errant*, ait. Quæ præmisi loca cum sequenti coniuge, loco, qum hic tibi Decimus offert. Nauigabat Æneas suis ab Euandro & Tarchonte laturus auxilia, & media nauigabat nocte, clauum ipse regens, velisque ministrans: totus erat intentus operi, intentus labori, dum alij conquiescerent, dum dormirent.

Iámquè dies cœlo concesserat, almáquè curru
Noctiuago Phœbe medium pulsabat Olympum.
Æneas (nequè enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens, clauumquè regit, velisquè ministrat.

Ecce autem Nymphæ septem (ex totidem nauibus à Troianorum fautrice Berecynthiâ conuersæ,) obuiam factæ, labori nautico impensiùs deditum alloquuntur Æneam, & extantes vndis pectore tenus, de Turni felici fortunâ, de infelici Troianorum, Ascanij discrimine, & suorum breuiter docent. Sed attende quâ illum primâ voce salutent;

Vigilasne Deûm gens?
Ænea vigila, & velis immitte rudentes.

Non alio illum salutant nomine, quàm hoc illustrissimo, *Deûm gens*. Non enim Regem appellant, non Ducem, non Anchisiadem, non Dardanidem, non Pium, non eiusmodi alio, quod possent; sed ad illud confugiunt, quod aptius nouerant laboranti. Viderunt

illum inter labores sudorésquè pervigilem, & nescio quid diuinitatis alluxit; quod egregio nomine *Deûm gens.* aperiunt, & explicant. Pulchrè & ingeniosè Donatus integer; *Suppresso interim nomine alio, diuini sanguinis prolem appellant, dum clauum regit, dum velis ministrat, dum vigilias seruat.* Nunquam aptiùs hoc potuit nomine Troianus efferri quàm cum inter labores & vigiliarum curas deprehensus est. Expende obiter immediatam verborum coniunctionem, *Vigilas ne Deûm gens?* Vigilantiam & laborem immediatè subsequitur fulgor diuinitatis; sudorem statim comitatur & premium.

44 Penè diuinus ille Superior est, qui suorum quietē, suis vigilijs & laboribus emit.

Superior Æneas erat, qui diuinitatis nomen, adhuc in terris agens mereretur à Nymphis;

Vigilasne Deûm gens?

Ænea, vigila.

Qnid ni tam egregium mereretur nomen, qui suis dormientibns ipse vigilaret? suis quescentibus post diurnum laborem, ipse nec diurno parceret, nec nocturno? Emebat quippe suis vigilijs, suis laboribus, suorum commoda. Hùc reuocanda sunt verba Donati, quæ ad hanc rem apprimè faciunt, cum eâ distinctione, quam ipse adhibet; non enim, vt ceteri interpretes, interpungit hæc carmina, nequè *Deorum gens* cum *Ænea* coniungit, sed disiungit secundam vocem à primis. *Altera,* (inqnit,) *distinctio est vt sic pronnntiemus, Vigilésne Deûm gens? vt, suppresso interim nomine, diuini sanguinis diceret prolem, dum clauum regit, dum velis ministrat, dum vigilias seruat; & sequatur deinde, Ænea vigila.* Dum vigilantissimi Superioris munus obit, proprium nomen silentio tegatur, *Deorum proles* appelletur; hoc enim honorificentissimo dignus est nomine, qui Superior suorum commoda, & quietem proprijs vigilijs, & laboribus emit. Sequatur deinde, *Ænea vigila* & proprio nomine ad institutum & inceptum laborem & vigilantiam vocetur, impellatur,

Ænea vigila, & ventis immitte rudentes.

45 Quod largâ tibi manu Cœlum annuit, ne pigeat arripere.

Secundis propellebatur ventis Troiana classis, quam, quiescentibus cæteris, vigilans ipse gubernabat Æneas. Occurrunt Nymphæ strenuissimo Duci, è quibus Cymodocea sic ad illum;

Ænea, vigila, & ventis immitte rudentes.

Vigilandi & gubernandi curam ne intermittas, Ænea; vela ventis præpande, qui flant secundissimè, quiquè illa prosperè nunc & implent, & ferunt: Annuenti cœli temperie sedulus vtere; ne curam remitte, ne fortè multum de tuâ felicitate remittas: impiger arripe, qnam tibi Dij liberali manu felicitatem indulgent. Pnlchrè simul & acutè Donatiana paraphrasis; *Perseuera, inquit, & consenti flatibus, quia prosperis successibus nauigas; & habenas nauigij currentis ne retine, ne felicitatis*

licitatis tua successus obiectu tarditatis impedias. Ne in accipiendo sis piger, cum liberales in dando Deos experiaris.

Curam debet vigilandi suscipere, qui Superioris munus admisit. Alios regendi officium dormitantium inertiam & desidiam excludit. Nox erat, cum obuiàm Nymphæ processere Troiano, nam sic habes, 45 Curam vigilandi suscipiat, qui aliorũ suscipit curam Superior.

Almaquè curru
Noctiuago Phœbe medium pulsabat olympum.

Quo tempore à diurnis laboribus conquiescitur. Dubitauit ergo Nympha an cum cæteris & ipse dormiret; quare ait,

Vigilásne Deûm gens
Ænea?

At verò cum ministrantem velis illum, clauúmquè regentem vidit,

Clauumquè regit; velisquè ministrat,

Omni dubitatione sepositâ, optimum illum Superiorem agnoscit & laudat. Quî enim poterat suorum gubernationi bonus indormire Superior? Insomnem sæpè traducat noctem necesse est, qui gubernandi curam suscepit. Hinc est, quòd illum Nympha ad vigilantiam hortatur,

Ænea, vigila. quasi dicat;

Rectoris munus suscepisti? & vigilandi curam suscipias necesse est, inertiam abiïcias, diligentiam adhibeas, vigilias agas. Præclarè Donatus. *Mirum orationis principium! Rectè enim dubitauit, qua loquebatur, quia tempus fuit petendi somni; & dormire non debuit, quia gubernanda nauis gerebat officium.* Addit deinde; *Post incertam vocem subsequutum est, Ænea, vigila, Videtur enim removisse; in quo dubia fuit, dicendo Ænea, vigila quia gubernans nauim dormire non debuit.* Aliorum administratio ignauiter languentibus credenda non est.

Expende, in Nympharum amore erga Troianum, veri vim amoris; (Nympharum inquam, 47 Quid non vincat amor?

Quas alma Cybele
Numen habere maris, Nympháquè è nauibus esse
Iusserat.)

Sic Cymodea ad Æneam,

Rupimus inuita tua vincula, tequè per æquor
Quærimus.

Per. æquor te quærimus, inquit Per. quod æquor? per quam æquoris partem? ad ortum, an ad solis occasum? ad Africum, an ad Aquilonem? Difficile sanè est nauigantem hominem quærere in maris latitudine. Sed hanc rei difficultatem verus amor euincit, qui omnem ignorat difficultatem. Sui Ducis

ducebantur amore, ideò indefinitè *Per æquor illum* quærebant. Donati acumen est. *Quàm difficile est, quærere vnumquémquè per mare, in quo tanta latitudo est ? quantus amor ostensus est tanto labore suscepto ?*

48 *Ex laboribus emergit felicitas.* Immersit nos, (inquit Cymodocea) Berecynthia Deorum mater in vndas, & ex hac immersione felicitas nostra & immortalitas emersit.

Hanc genitrix faciem miserata refecit.
Et dedit esse Deas, æuúmquè agitare sub vndis.

Vbi Donatus sic. *A contrario positum; naues enim merguntur, vt pereant; ista mersæ sunt, vt euaderent Nymphæ.* Felix immersio, vnde emergere potuit æternitas!

49 *Cum de iniurijs agitur, author taceatur iniuriæ.* Cum Nymphæ de iniurijs agunt, apud Æneam, quas Troianis intulerat Turnus, nullatenùs Turnum nominant, sed in genere dicunt, *Rutulus*, ne Troiani Ducis iram in Latinum, proprio expresso nomine, vehementiùs accenderent; sic enim aiunt,

Perfidus vt nos
Præcipites ferro Rutulus, flammáquè premebat,
Rupimus inuitæ tua vincula, téquè per æquor
Quærimus.

Quod notauit Donatus. *Inimici nomen noluit dicere, sed pro eo Perfidum posuit, & Rutulum.* Quam aliam ob causam, quàm ne Turni nomine irrogantis iniuriam animum exvlceraret Æneæ? Hoc nobis documentum propinant Nymphæ, iam immortalitate donatæ.

50 *Superior præcipere duriora non potest, quin ipse præcedat exẽplo.* Quo potest ore Superior duriora præcipere, dum mollia ipse sectatur? Exemplo præcedat necesse est, & quos hortatur verbo, opere impellat. Talem Cymodocea cupiebat Æneam, cum sic ad illum;

Surge age, & aurorâ socios veniente vocari
Primus in arma iube, & clypeum cape.

Argutè Donatus vocem *Primus* cum sequenti oratione coniungit, *Clypeum cape.* Tu primus clypeum cape, & tunc in arma vocari socios iube. Efficax maximè iubentis ducis vox est, quâ iubet armatus. *Primum admonet facere; quæ res vincendi fiduciam promittebat. Consternebuntur, inquit, hostes, reficientur tui, si te primum viderint incipere, aggredíquè certamen, atque armis instructum,*

Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulæ spectabit cædis aceruos.

Sic Donatus. Duplex ergo emolumentum sequitur ex prævio Superioris exemplo, & hostium misera consternatio, & inferiorum mira refectio. Quicunquè tu Superior tuis duriora iniungis, molliora non ames, non secteris; arride duriusculis, qui duriuscula iubes. Ridiculus ille Superior est, qui, grauia cum imperet, nec dum lenia sibi propinat. Quot huius notæ, in iubendo Hercules, in faciendo Sardanapali!

Mira lucis & orationis solet esse connexio. De acceptis gratus, de accipiendis sollicitus orationem ad Cybelem habebat Æneas, 51 Post orationem lux.

Supera aspectans conuexa precatur.
Alma Parens Idæa Deûm,
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu ritè propinques
Augurium, Phrygibúsquè adsis pede, Diua, secundo.

Post orationem, & preces Æneæ ecce tibi fugatur nox, appetit lux, imò refunditur dies.

Tantùm effatus; & intereà reuoluta ruebat
Maturâ iam luce dies, noctémquè fugarat.

Expendit Donatus ingeniosè hanc precum & lucis coniunctionem, hoc orationis consortium & lucis, & admirabilem in Poëta maximo vtriusquè connexionem, & mysticam putat. *Mirè! cum fine verborum eius ad Diuam lux clarior cœperat fieri.* Ita Donatus.

Languentes animos melior addita spes mirè recreat & roborat. 52 Spes melior animos reficit languentes.

Languebant omninò, vel deficiebant potiùs Troiani à Latinis, absente Æneâ, obsessi; cum ecce noua illis spes allucet auxilij, venientem Æneam suum clamore salutant, qui petiturus auxilia longè processerat,

Clamorem ad sydera tollunt
Dardanidæ è muris; spes addita suscitat iras.

Reficiuntur animi hac spe, roborantur vires. *Tantum potuit spei melioris hortatus*, (inquit Donatus) *vt irascerentur hosti, quos metus paulò antè deiecerat.*

Faustam Troianorum acclamationem, veniente cum auxilijs Æneâ, hausere Latini; qui subitâ hostium lætitiâ perculsi, in illos inquè mare oculos, animúmquè verterunt: vident prosperè vela dantem Æneam, cum nauium, militúmquè subsidio. Terrentur visu, & vltrà fidem ex terrore rem augent. 53 Repentinus terror vltrà fidem augere rē solet.

At Rutulo Regi, ducibusquè ea mira videri
Ausonijs, donec versas ad littora puppes
Respiciunt, totúmquè adlabi classibus æquor.

Notat hoc loco Donatus dixisse Poëtam, vltrà omnem fidem, *Totúmquè adlabi classibus æquor.* Totum æquor? quînam id fieri posset? ex concepto terrore rem augent, muscam elephantem, & naues triginta millenas tricies indicant. *Moraliter positum est* (ait Donatus) *totúmquè adlabi classibus æquor. Turbatis quippè repentino terrore plus apparebat, quàm rerum fides testabatur. Caterùm quando fieri potuit, vt per totum æquor nauigia haberentur?* 54

Ne Superiorem agas imperiosum, humanum agas & comem; humanitas enim & comitas ad felicem rerum euentum compendia sunt. Poterat Tarchon, ex iniuncto sibi munere, suis imperare, quod vellet; noluit tamen imperiosè agere, sed obsecrare comiter, qui felicem petebat exitum rei; Feliciorem sortientur effectum, si quæ iubere potes, facilis obsecras.

 Sociósquè

Sociósquè precatur,
Nunc ô lecta manus, validis incumbitè remis, &c.

Vix ea comiter Tarchon, cum illius omnes iniuncta capessunt, exequuntur;

Quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socij consurgere tonsis,
Spumantémquè rates aruis inferre Latinis.

Notauit hanc humanitatem & comitatem Donatus, & maximè in Superiore probauit. *Deprecatur socios ad officia virtutis implenda. Plurimum enim ad effectum proficit, cum vtitur prece, qui iubere poterat.* Verè dictum!

55 Quæ sine tergiuersationis notâ, quidquid præcipitur, quamuis difficile, exequitur, cæca obedientia dicitur, & maximè laudabilis est. Suis imperat Tarchon, vt sine morâ remis velisquè inimicam terram nauium rostris proscindant;

Quæ cæca est obedientia laudatur.

Nunc, ô lecta manus, validis incumbite remis,
Tollite, ferte rates, inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcúmquè sibi premat ipsa carina.

Stulta videri possent hæc iussa, vel, vt leuiùs dicam, temeraria. Quid enim inde præter naufragium miserum speraretur? Actutùm illi, ac sine morâ iussa exequuntur;

Quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socij consurgere tonsis,
Spumantésquè rates aruis inferre Latinis.

Felicē exitum sortitur hæc cæcitas.

Cæca omninò obedientia hæc, quæ sine discussione fertur in iussa. Donatus hîc. *Nihil vltrà respondent socij.* Non tergiuersantur, non reclamant, non recusant vel verbulo; vix iubentur, cum iussa exequuntur. Vide verò quàm felicem exitum sortiatur hæc cæcitas.

Rostra tenent siccum, & sedere carinæ
Omnes innocuæ.

Plenissimæ felicitatis voces expende, *siccum tenent*, & *omnes carinæ sedere innocuæ.* Audi Donatum. *Nitebantur socij remis, vt contrario more naues non in fluctus, sed in terram surgerent.* Quis vnquam vidit? Non voluntatis solum hæc obedientia fuit, sed etiam intellectus. *In hoc facto* (prosequitur Donatus) *non stultitia, sed vltionis reportandæ cupiditas probabatur.* Obediendi cupiditate ducti ad vltionem, victoriámquè feruntur. *Iam peruenerunt in siccum rostra, & quod fuerat imperatum, prosperè ventus adiuuat, vt omnes iussu impulsæ, illæsæ consedissent.* Ideò illæsæ consederunt, quia iussu impulsæ. Et ad maiorem rei explicationem addit tandem interpres. *Quod dixit innocuæ, non, quòd ipsæ cuiquam non nocuissent, dixit; sed quòd ipsis nihil contigisset aduersi.* Harum priuilegium obedientiæ indemnitas fuit; ab aperto illos discrimine saluos præstitit, quam ipsi obedientiam

tiam Duci præstitere Tarchonti. Rhinocerontis cornu obedientia est, vbi illud interuenit, venena nesciuntur; vbi vera obedientia, fausta omnia, infestum nihil.

Mortem Lycas euasit infantulus, qui peremptæ iam matris exsectus est vtero; apertissimum profectò vitæ discrimen & grauissimum tunc subijt incolumis; iuuenis verò periculo in leuiori succumbit. Aciem ferri potuit tenellus euadere, eandem iuuenis propulsare non potuit. Illum occidit Æneas. 56 Sæpè accidit, vt qui grauius discrimē liber euasit, leuiori succūbat.

Inde Lycam ferit, exsectum; iam matre peremptâ.

Vbi pulchrè Donatus. *Itaque illi, cui paruo licuit ferri casus euadere, cum matris exanimis vtero editus esset, Æneæ ferrum iam iuuenis vitare non potuit. Iuuenis interijt, qui nondum natus non potuit perire cum matre.*

Aliena te sæpè deludent merita; ne illis innitaris caue, sed tuis. 57 Ne alienis meritis innitare, sed tuis.
Fratres illi Gyas & Cisseus in parentis sui Melampi meritis, (Herculeæ virtutis æmulatoris egregij) repositam spem victoriæ & incolumitatis habebant, & paternâ freti clauâ ausi sunt cum Ænea inire certamen; sed misellos

Nihil Herculis arma,
Nil validæ iuuere manus, genitórque Melampus,
Alcide comes.

Sub Troiani dexterâ & virtute occubuerunt,

Fratres
Deiecit letho.

Benè Donatus. *Arbitrabantur per meritum patris inuictos se esse mansuros, & ad exemplum virtutis Herculeæ se periculo non futuros obnoxios.* Sed fefellit illos ista persuasio, cuius pœnam suo capite luerunt.

Dum Latini alij armis & virtute certabant, inertissimè Pharon clamanti personabat ore. Culpam admisit ignauiæ, dum, quod alij ferro, ipse clamoribus se facturum putauit. Habeat ergo sui pœnam, eâ parte, quâ commisit & culpam. 58 In instrumentum culpæ recidit pœna.

Ecce Pharon voces dum iactat inertes,
Intorquens iaculum (Æneas) clamantis sistit in ore.

Aptam culpæ pœnâ Donatus expendit. *Pharon, inquit, non ferro in certaminibus bellicis, sed clamoribus irritis existimans esse certandum, dum inertia personat ore, ore ipso ictum iaculi venientis excepit.* Os instrumentum culpæ pœnâ plectatur.

Taxat Maro Cydonem, quòd cum prouectâ iam esset ætate, & inter labores bellicos versaretur, turpes tamen amores appeteret, & Clytium flauentem primâ lanugine malas insequeretur ad Venerem: 59 Aliquē inter labores positū, & ætate prouectum amores appetere, prodigium est.

Tu quoquè flauentem primâ lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix; noua gaudia, Cydon

Dardaniâ stratus dextrâ.

Expende interim parùm prudenter inductum à Virgilio videri posse, prouectâ ætate hominem inter sudorem curámque Martialem hoc vitio laborare. Naturalem videtur ordinem præuertisse, & moralem, cum sciamus in id æui prouectos homines, & grauibus bellorum pressos laboribus de huiusmodi rebus ne cogitationem quidem subire. Et labores & ætas senilis non solùm venerem sopiunt, sed etiam extingunt. Sed si Maronis verba consideres, hâc illum calumniâ facilè liberabis. Instar mõstri posuit, instar prodigij, quòd pressus annis & casside miles, inter cruorẽ & cædes studeret amoribus, ideò *Noua gaudia* dixit, quasi nouum & inauditum esset eâ ætate, eo loco, eo tempore turpes huiuscemodi sectari delicias. Ingeniosè Donatus. *Hîc reprehensionem ipsam euidentiùs aperuit, vbi posuit Noua gaudia. Nouum enim fuit, vt maturioris ætatis auderet, quod iuuenum fuit. Tu autem, ait, iuuentâ transactâ, eo loco, & tempore in eiusmodi turpitudinis amore mansisti.* His circumstantijs hominem turpibus amoribus indulgere, prodigium, prodigium est!

Labores honestatis patentes.

60 Nescio an satis aptè Virgilius dixerit de Cydonis amoribus ipsâ fore morte extinguendos;

Vix ipsâ morte moritur amor impurus.

Dardania stratus dextrâ, securus amorum,
Qui iuuenum tibi semper erant, miserande iaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obuia, Phorci
Progenies.

Quasi dicat; Æneæ dexterâ & ferro occubuisses, ô Cydon, nisi Phorci te filij ex hostis acerrimi manibus eripuissent; sicquè factum esset, vt securus iam tandem amorum, id est, nil iam de amoribus curans, iaceres. Aliâ quippe viâ, quàm ipsâ morte, amores deserere non potuisses. Ea enim est amoris impuri tenacitas, vt illa dissolui, nisi morte, non possit. Ita explicat Ascensius; *Iaceres stratus Æneæ dexterâ, securus amorum, id est, non ampliùs curans de amoribus, qui amores iuuenum erant tibi semper, scilicet, dum viueres.* Illud ergo saltem hinc constat, hanc ad vltimum halitum pestem hærere. Sed memineris Maro te in Sexto dixisse de huiusmodi amatoribus, quorum amores *Curas* vocas,

Ad vltimũ halitum durat hæc pestis.

Curæ non ipsa in morte relinquunt.

Vbi Donatus; *Tanta vis amoris in illis fuit, vt nec in morte essent ab ipsâ curâ immunes.* In quem ego sensum illud traho Propertij lib. 1. Eleg. 19.

Traijcit & fati littora magnus Amor.

Apertè Theocritus in Edil. *Et apud inferos erit dolor amoris.* Ingeniosè Ouidius mortuum iam inde inducit Sichæum, qui Didonem suam, viuentem adhuc, amanter inuitat, in Didonis Epistola;

Ipse

Ipse sono tenui dixit, Elissa veni.

(Vbi notanda duo: *Primò* verbum *Veni* amantium esse formulam; Nemesianus Eclog. 4.

Huc Meroë formosa Veni.

Et Ouid. lib. 1. Amor. Eleg. vltimâ.

Hoc habeat scriptum tota tabella, Veni.

Secundò, adeò turpem esse huiusmodi affectum, vt præ pudore Sichæus *tenui sono* amatorium verbum *Veni* protulerit, ac voce summissa pronuntiauerit.) Si ergò *fati littora traycit Amor*, & *apud inferos erit dolor amoris*, quid securitatem Clytio promittis amorum, ô Maro, si Dardaniâ stratus dextrâ occidisset? Solutionem tu videris.

Impuri amoris affectus pudendus est.

Expendenda etiam illa immediatio verborum est *Dum sequeris Clytium, infelix.* Ea est voluptatum illecebra, vt felicitatem putemus, dum voluptate potimur; longè aliter se res habet, maxima námquè est in ipsâ voluptate infelicitas. *Infælicem* vocat Maro Cydonem, dum voluptatem sequitur, dum *noua gaudia* quærit; satis enim est *Sequi*, satis est *quærere* voluptatem; vt quis meritò dicatur *Infelix.* 61

Voluptatem impurâ immediatè sequitur infelicitas.

Dum sequeris Clytium, infelix, noua gaudia, Cydon.

Sic in Heroyda Ouid. Aluaradus, Rep. 44. *Vel in ipso gaudij aditu, ad ipsam voluptatis vmbram occurrit infælicitas; & vixdum sese aperit Cydoni voluptas, cum obstant infortunia, instant pericula.* Vide quàm immediatè infelicitas voluptatem sequatur impuram!

Quàm turpiter vixerat Cydon! quàm nec humana curans iura, neque cœlestia! si quidem vtroquè inspectante exercitu, inter arma, & cruorem bellicum, in ipso mortis limine, necem habens præ oculis lasciuo Clytium affectu persequitur. Qui igitur ita turpiter viuit, indignus omninò est, qui honestè moriatur. Non cadat sub hastâ & dextrâ Troiani Regis; quia honor illi maximus esset, sub tanto hoste perire. (Quod infrà in hoc libro 10. Lauso ipse dixit Æneas, cuius dexterâ iuuenis ille regius occubuit, 62

Qui turpiter viuit, indignus est, qui honestè moriatur.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ Magni dextrâ cadis

Aggrediatur ergo Cydonem Æneas, pudeat occidere, ne turpissimi viri cruore gladium inficeret, & tantam illi gloriam, mortem inferendo, præstaret. Deflexit ad fratres septem, qui se grauiter vrgere cœperunt;

Dardaniâ stratus dextrâ miserande iaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obuia. Phorci
Progenies.

Hanc acutè Zerda rationem reddit, quare Æneas pepercerit mucronem suum turpi sanguine imbuere. *In hunc ictum destinauit*

 Æneas,

Æneas, quo penè Cydon stratus esset, iaceratquè miserandus. Sed fata Æneam, ac proinde mortem Cydonis averterunt, ne mollissimus iuuenis (hæc credo mens Virgilij) gloriam haberet, est enim gloriosum vinci ab hoste forti & virili. Quod ait de mente Virgilij facilè annuerim; noluit enim Parthenius poëta turpissimum hominem sub forti viro honestissimè cadere.

63 Vim sanè Vnio maximam habet! Ense nudo Cydonem sequebatur Æneas; septum fratres occurrunt insequenti, & imminentis dextræ ictum impediunt, prædam eripiunt; *Cydon*

Vnio insuperabilis est.

Dardaniâ stratus dextrâ miserande iaceres,
Ni fratrum stipata cohors foret obuia.

Quis tot vnus valeat resistere?

Septem numero, septenaquè tela
Conijciunt.

Nequaquàm numerus metum incussit Æneæ, non arma, quibus instructi, non ardor, quo ferebatur; quid ergo in his fratribus metuit Æneas? (metuisse enim illum facilè constat, cum à Cydone, quem sub vibranti iam ense tenebat, manum simul & mentem averterit, & in fratres vtramquè conuerterit.) Præclarè & ingeniosè Donatus ait, pertimuisse Troianorum fratrum Vnionem; erat enim *Stipata cohors*, omnésquè vnà tela iaciebant, *Septenáquè tela Conijciunt.* Huiusmodi vim Vnionis quis vel fortissimus non timeret? Seruius explicat, *Stipata, vnanimiter veniens*; Sed acumen Donato, debemus. *Periculum* (inquit) *in his etiam manifestum. Quis enim vnanimes congregatos non timeret, vno ictu septem septena tela iacientes?* Vnionis sine dubio manifesta vis est, & virtus inuicta!

64 Septem fratrum virtute simul & telis vrgetur Æneas. Petit tunc ab Achate, vt tela sibi suggerat, illa, inquam, tela, quibus olim Graiorum corpora feliciter ipse confixerat;

Cõsuetudinis vis.

Suggere tela mihi (non vllum dextera frustrà
Torserit in Rotulos) steterant quæ in corpore Graiùm.
Iliacis campis

Quærit hoc loco ab Æneâ Donatus, quare in tanto discrimine veteres hastas, rubigine obsita tela, & cariora deposcat? & respondet acutè. *Quasi consuetudinem haberent illa tela feriendi, sic ait, Suggere tela mihi quæ steterunt in Graiorum corporibus, cum pugnaretur in Troia; quasi sic possent in corporibus Rutulorum. Scio enim hæc dexteram meam non frustrà esse emissuram.* Neque tela hæc, nec mea dextera amiserunt consuetudinem, hæc iaciendi, illa feriendi; nam veteris vis consuetudinis adeò maxima est, vt vel in ligno & ferro quàm diutissimè retineatur. Et expende in interprete, nullam de felici sorte dubitationem inesse, *Scio enim,* inquit, illa non frustrà esse emittenda, de consuetudinis vi omninò securus. Viuit, Viuit

Viuit hæc etiam in insensibili

huiusmodi

huiusmodi vis etiam in insensibili in hasta & in ferro.

Viuit in mortuo. Inuadit Arcadiæ Princeps Pallas (paulò inferiùs) Latinum militem nomine Dauciam, à primis annis armis assuetum; Vno acinacis ictu dextram simul & ensem secat Arcas Latino. Secta manus, (mirum hoc!) dominum pariter quærit & ferrum, quod semianimis tractat inuentum, ac penè frigida calet in Martem. 65 Viuit in mortuo.

Te decisa suum, Laride, dextera quærit:
Semianimesquè micant digiti, ferrumquè retractant.

Ferrum tractare (ait hoc loco Zerda ex Donato) *est, ferrum tenere ad pugnam: Re, est, iterum: retractare igitur erit, iterum ferrum tenere, & iterùm pugnare.* Decisa omninò dextera erat, & à brachio disiuncta, & vitalibus adhuc reliquijs in eandem recurrebat consuetudinem arma tractandi.

Semianimèsquè micant digiti, ferrúmquè retractant.

Nonne vides etiam in mortuis vim consuetudinis mirè vigere? Firmabo hæc Senecæ loco, in Troade Actu.3. Insectatus est Troianos viuus Achilles (tonsoribus notum) effrenis illius fuit, & cruenta, & pertinax ira viuentis: non eam deposuit occisus. Polixenam enim victimam sibi poscit ex tumulo, quem Troianæ Virginis iubet sanguine imbui, in quâ nullum aliud crimen inueniretur tanto dignum supplicio, nisi quod Troiana esset. Hoc ipse Seneca ingeniosè expendit, ore Ændromachæ,

Ne desit eversis metus,
Hostes ab imo conditi tumulo exeunt.

Hucúsquè *hostes?* etiam *tumulo conditi?* Et ea est, prauæ huius consuetudinis constantia, & æqualitas, vt cruorem tumulo affusum hostis etiam sepultus ebiberit. Audi; *

Non stetit fusus cruor,
Humovè summâ fluxit; abduxit statim,
Saúusquè totum sanguinem tumulus bibit.

Totum, inquam; adeò sitibundum Achillem fecerat consuetudo. Irati Iouis fulmine ictus Capaneus occumbit apud Statium lib.11. Tebaidos, quòd impius semper contrà Superos steterit; cuius prauæ consuetudinis vis ita perseuerauit in mortuo, vt hanc, cadauer etiam, impietatis toruitatem retineret.

Ille iacet, lacera complexus fragmina turris,
Toruus adhuc visu.

Vel fulminatus toruitatẽ seruat in vultu, causam supplicij, *Toruus adhuc, visu*, impiâ adhuc toruitate intuetur cœlum despuit & Deos.

Vide infrà num.87.

Assuefactus Narcissus ille pulchellus fuit fonti pellucido, in cuius lymphis se terquè quaterquè spectabat, & amabat in die. Præ amore sui, quem videbat in aquis frustrà complexus, contabuit ad

fontem, & petijt. Audi. Corpus in sui nominis florem conuertitur, & nullibi nisi ad vicinos fontes enascitur; animus, infernâ exceptus sede, stygia sese spectat in aquâ. Et corpus inane, & separatus animus eandem retinent consuetudinem, quam puellus adhuc viuus habebat. Acutè duo authores egregij Pentadius & Ouidius, ille de Corpore sic, in Append. Virgil.

Hic est ille, suis nimium qui credidit vndis,
Narcissus, vero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Vt, per quas perijt, crescere possit, aquas,

Sic Ouidius de animo pueri Metamorphoseon lib. 3. Fabul. 6.

Tum quoquè se, postquam est inferna sede receptus,
In Stygiâ spectabat aquâ.

Vis consuetudinis. Viuit ergo in insensibili, in mortuo non moritur. Quod de Daphne referam, vtrumquè fortasse complectitur. Adamata Daphnes ab Apolline fingitur, non tamen ab impudico Deo pudica puella expugnata. Quin ab illo insequuta, suam pertæsa formam, alieni causam amoris, in ipsâ fugâ, Deorum beneficio, in Laurum conuertitur. Insanus illam, iam laurum, iniuriâ afficere turpibus osculis conatur amator. Quid illa?

Refugit tamen oscula lignum.

Vel insensibilis truncus vel mortua Daphnes iniuriam sentit suam, & quam habuit consuetudinem viua, laurus iam & mortua conseruat & retinet. Ouid. lib. 1. Metamorph. Fabul. 9. in cuius margine Anonymus ingeniosè. *Naturam exuit Daphnes in ligno, sed adhuc retinet in ligno pudorem.*

66 Amicus alter ego. Vltor fraternæ necis Numitor in Troianum iaculum intorquet Æneam;

Tum Numitor, iaculo fratris de corpere rapto:
Æneam petijt.

Non ictu percussit Æneam, sed percussit Achatem, quem sibi amicissimum semper habuit Æneas;

Sed non & figere contrà
Est licitum, magnquè femur perstrinxit Achata.

Rara profectò amicitiæ fides, quam suo Achates præstabat Æneæ! *Magna comitis fides!* (inquit Donatus) *qui dimicaturo ita fuerat iunctus, vt destinatum in Æneam telum ipse proximitatis occasione suscepisset.* Ergo quamuis telum non percussit Æneam, percussit tamen Æneam; Achatem percussit, qui alter erat Æneas; non frustratum telum est, quod in Æneâ, direxit Numitor; suo Numitor potitus est voto, qui Æneâ petens percussit Achatem. Donatus meo iudicio in hunc sensum expendit. *Denique in Æneâ non videtur teluũ esse frustratum, cum femur Achate percussit, qui protegendi officio ei fuisset amicus infixus.*

Existimat

Existimat Zerda hastam illam, quæ in vnum dirigebatur Æneam, sed percussit Achatem, non casu illapsam Achatis femori, sed, à prudenti & scienti Achate exceptam fuisse, vt Principis vitam suo ipse discrimine emere posset. 67 Principis vita est suorum est meda discrimine.

Tum Numitor, iaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petijt.

Non Æneam vulnerauit, vulnerauit Achatem;

Magniquè femur perstrinxit Achatæ.

Ideò crediderim *Magno* prænomen Achatæ inditum à Marone, quòd vitam Principis suâ ipse futurâ morte redemerit. *Quid si Achates*, (inquit grauiter Zerda) *sese venienti hastæ opposuit, amans Æneæ sui?*

Suis ardua imperat Pallas, scilicet vt ferro per medios hostes irruant; 68 Qui iubet ardua, primus aggredere.

Ferro rumpenda per hostes
Est via.

Frustrà iuberet, iuberet, nisi ipse primus, quod iubebat, exequeretur: sequitur enim;

Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.

Vbi pulchrè Donatus: *Magni suasoris functus est partibus; primus in hostem contendit: & non extremos agminis, sed medium agmen irrupit. Debuit enim primus confertos inuadere, qui diuersæ partis globum suadebat esse rumpendum.* Optimi Superioris functus est munere. Vide hic Zerdam Nota. 1.

Suos Pallas docuit exemplo. Compendiosè docet, qui exemplo docet. 69 Per compendium docet, qui docet exemplo.

Arcadas accensos monitu, placlara tuentes
Facta viri, mistus dolor, & pudor armat in hostes.

Quàm subitò erigit segnes aliena virtutis exemplum! Adolescentes intuendo certamina, ipsi quoque, quasi subitò instructi, anteire in hostem, & repentè gloriam quærere didicerunt. Sic præclarè Donatus. Tanto instructi magistro, exemplo videlicet, subitò fortiter agere didicerunt; est enim mirus in docendo magister, exemplum. 70 Grauiùs animum pugnunt, quæ videmus, quàm ea, quæ audimus.

Cupiebat Turnus, vt inferendæ neci Pallanti Euander Pater spectator adesset, quò grauiùs illius animus feriretur obtutu:

Cuperem, ipse parens spectator adesset.

Vbi hanc Donatus causam adducit. *Ipse non audiret interitum filij, sed cerneret. Vreretur videndo funus, & pœnas mente & corpore daret. Hic Vigilius firmat, grauiora esse mala, quæ perpetrantur apud videntes; aliquantò verò leniora, quæ audiuntur.*

Iubet Turnus, omnes sibi campo cedant Pallantem Principem aggressuro. Dictum, factum: 71 Quæ sine morâ obedientia est, admirationem affert.

Hæc ait, & socij cesserunt æquore iusso.

Addit deinde Poëta Pallantem obstupuisse præ admiratione;

Miratus stupet in Turno.

Non miratus obstupuit (inquit Donatus) quòd hostem suum Turnum adeò ardentem, adeò iratum, adeò toruo & hostili vultu in se irruentem videret, sed potiùs quòd sine morâ vllâ illius voci totus fuerit exercitus obsequutus. Obstupuit, quòd dictum factum subsequeretur. *Hoc magis in Turno stupuit, quòd sic obsequenter auditus est.* Sic Donatus. Est sanè admirationi, quæ sine morâ vllâ & tergiuersationis vestigio obedientia est.

72 Maiestas terret, trahit humanitas. Dubium non est, quin alliciat & trahat humanitas, terreat & retardet maiestas. In mortis discrimine Pallas Herculem vocat, nequè tamen vocat vt Deum (cum iam haberetur & coloretur vt Deus) sed vt hominem; quem Dei maiestas retrahebat orantem, hortabatur & alliciebat humanitas.

Per patris hospitium, & mensas, quas aduena adisti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis.

Hunc Donatus pulchrè notauit affectum. *Non illum conuenit vt Deum, sed conuenit vt hospitem Patris. Quasi illud diceret; Et si Deus factus es meritis tuis, fuisti tamen aliquando homo, fuisti hospes patris mei, fuisti conuiua, habes vbi vicem reddas.* Cum illum Deum considerat, retrahitur; cum verò hominem, inuitatur, vt petat.

73 Fauet eis Deus, quos suo dignatur aspectu. Commune illud, eis fauere Deum, quos suo ille dignatur aspectu. Fauere Iuppiter Latinis voluit, cum in illorum arua oculos conuertit.

Sic ait, atquè oculos Rutulorum reijc't aruis.

Vbi Seruius. *Respiciendo fecit partem feliciorem.* Licet Zerda aliter explicet. *Fallitur, inquit, Seruius; nam reijcere oculos, non est respicere, sed auertere oculos. Inde 3. Georg. Reijce, id est, amanda, extermina, dimoue; & reijcula oues quæ sint, iam ego alibi. Est ergo sententia: Auertit inde oculos, nulli parti auxilium præbens, omnia permittens fatis.* Vide Aluaradum in Heroyd. Ouid. Rep. 164.

74 Diligentia nimia si eluдatur, illudit. Ne nimiam expromas diligentiam in re aliqua, caue; quæ sæpè elusa authorem illudit. Vix Pallas manu telum demisit in Turnum, cum ecce sine morâ gladium distringit, quo Turni, suâ iam spe vulnerati, caput obtruncet.

At Pallas magnis emittit viribus hastam
Vaginâquè cauâ fulgentem diripit ensem.

Tempestiuè nimis hanc Princeps diligentiam præuenit ex voto, quâ delusâ, illusus est Pallas; nam iactum à Pallante telum

Strinxit de corpore Turni,

Præterea nihil. Actutùm verò Turnus exprobrat diligentiam Pallanti,

Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.

Quasi dicat, Post teli iactum statim gladium exemisti, vt quam tuâ

tuâ spe necem cæpturum erat telum, ensis perficeret. Parùm illud offecit, nihil iste. Aspice ergo nùm telum hoc, quod mea contorquet dextera, magis penetret, diriùs vulneret, & conficiat. Diligentiam ostentasti tuam, sed ea te mirè illusit elusa. Præclarè Donatus. *Simul duo facit ad necem; hastam mittit, & educit vaginâ gladium; eluso primo, secundum illusit.*

Cum saluti vitæquè nostræ videmur securiùs prouidere, eam tum maximè grauiter lædimus. In Pallantem Turnus telum coniecit, quo iuuenis pectus altè confoditur; confossus auiditate vinendi extantem hastam de vulnere rapit, sed eripuit & vitam. 75

Vnde vitam putamus, inde mortē adsciscimus.

> *Ille rapit calidum frustrà de vulnere telum.*
> *Vnâ eàdémquè viâ sanguisquè animusquè sequuntur.*

Existimans Pallas ((Paraphrasis est Donatiana) *se sibi auxilio fore, rapuit infixum telum corpori suo, ratus id ipsum saluti retinenda profuturum; sed id factum est frustrà, nam educto telo, mox anima cum sanguine effusa est.* Tum breuissimas inde vitæ nostræ metas adsciscimus, vnde longissimas fore putamus.

Quæ ab hoste sunt munera, perniciosa munera sunt. Perijt iuuenis Pallas dextrâ Turni victoris; cadauer filij ad orbum parentem iubet interfector afferri, prætextu sepulchri; sic ille, 76

Quę ab hoste sunt, perniciosa sunt munera.

> *Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est,*
> *Largior.*

Largior, inquit. Deus bone! quàm ad speciem largus in munere! quam re verâ crudelis & sæuus! munus in filio videtur humanum, sed in patre ferinum! volebat quippe post exactas à filio pœnas, etiam patrias exigere, vt qui cadentem filium in campo non viderat, videndo occisum præ dolore tabesceret. Pulcherrimè Donatus. *Sub imagine humanitatis, dum sponte patri reddit occisum, etiam patrias pœnas conatur exigere. Suprà enim professus est, quid animi gereret, nam dixit,*

Iudæ osculum.

> *Solus ego in Pallanta feror, solus mihi Pallas*
> *Debetur: cuperem ipse pater spectator adesset.*

Quod quia factum non est, alio genere cupiebat impleri, vt qui cadentem filium spectare in campo non potuisset, in sedibus suis positus videret occisum. Addidit,

> *Qualem meruit, Pallanta remitto,*

Vt euidentiùs appareret, non beneuolum illum gerere animum, sed amari hostis durum immanéquè commentum. Hæc Donatus.

Aptissima est illa Nota Landini in hæc Carmina, 77

> *Nescia mens hominum fati, sortisquè futura,* &c.

Miseretur, (inquit,) *humani generis cuius tanta est rerum inscitia, vt sæpissimè gaudeant se adeptos esse ea, quæ sibi exitio futura sint; vt copiosissimè prosequitur Iuuenal, eâ Satyrâ cuius initium est,*

Sæpè gaudes te adeptum esse, quod tibi est futurum exitio.

> *Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus* &c.

 Ibi.

Ibi enim est,

Nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ.

Inuehitur etiam in hominum insolentiam, qui in rebus secundis ita efferuntur, vt se intrà modestiæ terminos continere non possint.

78 Item illa eiusdem interpretis paulò inferiùs in carmen illud, vbi Poëta de Pallante;

Fallaces rerum humanarũ euentus.

Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.

Ostendit (inquit) *quàm sint fallaces rerum euentus! quàm incerta in rebus fortuna! quàm nihil de eâ sperandum! Nam is, qui plenus spe venerat, & victoriam iam animo conceperat, primo pugnæ congressu extinctus est.*

79 Quis non videat omnia in terris inuerti? Vel quæ ad vitæ defensionem sunt inuenta instrumenta Mundi inconstantia funestè conuertit ad mortem. Expendit ingeniosè Donatus eodem scuto, quo sese Pallas tegebat ad vitam, portatum esse enectum; & occiso feretrum fuisse, qui futurum fuerat viuo tutamen.

Omnia inuertuntur in terris.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Suis omninò dolorem attulit tam volubilis Mundi rota. *Referunt, inquit, scuto; quantus fuerat dolor, vt quo defendi incolumis solet, portaretur occisus!* Quod scutum vitam tueri deberet, excepit enitatum & retulit.

80 Ad quodvis patrandum, spe & metu propositis, facilè impellimur. Ideò nuntius ille, qui de Troianorum discrimine docet Æneam, hos illi proponit affectus, ex mente Donati; spem subueniendi, metum amittendi, quò illum faciliùs ad ferendam opportunam opem impellat.

Spe & metu propositis facilè impellimur.

Certior author
Aduolat Æneæ, Tenui discrimine lethi
Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.

Benè temperauit (inquit præclarè Donatus) *Versis tempus succurrere Teucris. Quasi qui suadebat, citò subueniendum; vt esset metus & spes. Facilè enim extingui Troiani possent, si nullus succurreret, vtpotè versis; Facilè verò euadere, interueniente maturo auxilio, cum non ad plenum fuerint superati.*

81 Occiso Pallante ferro & dexterâ Turni, curam Æneas pius actutùm adhibet, vt illis funeri ferantur inferiæ;

Defunctorũ memoria obsequiosè curanda est.

Sulmone creatos
Quatuor hîc iuuenes, totidem quos educat Vfens
Viuentes rapit, inferias quas immolet vmbris,
Captiuóque regi perfundat sanguine flammas.

Acutè Donatus expendit verbum *Rapit*; non dixit adducit, sed rapit, vt doceat nos defunctorum memoriam, quàm breuissime possit, esse curandam. *Magnum* (inquit) *appares obsequium Æneæ, & magnum*

magnum studium ad honorandam defuncti memoriam, qui octo homines non adduceret, sed raperet ad immolandum.

Cum Magus ad Æneæ pedes vitæ munus exorat, quod abnuit Æneas, hanc Troianus Mago negatæ vitæ rationem reddit; 82

Praui exempli vis maxima est.

Belli commercia Turnus

Sustulit ista prior, iam tum Pallante perempto.

Quasi dicat; Prauum vestri Ducis exemplum, quo Pallantem iuuenem sæuè peremit, hæc belli commercia omninò sustulit. Præcessit exemplo, prauo illo quidem, cuius tanta vis est, vt qui pius dicor & sum, non possim non illo in sæuitiam abduci, & exequi cædem. Acutè Donatus. *Magisterio partis vestræ didici, quod mihi non dedit natura nascenti. Factus sum, quod non eram; & in contrarium est, quod aliquando præstabam.* Inhumanum Turni exemplum eò me traxit, vt natiuam iam misericordiam, mansuetudinem, & humanitatem exuerim; vindictam, crudelitatem, feritatem induerim; eo magistro didici, quod regia mihi natura negauerat. Pietatem meam impium Turni abripuit exemplum.

Et quidem meritò; qui sacerdos sæcularibus sese curis & rebus immiscet, suæ pœnas temeritatis expendat. Sacerdos erat Æmonides, 83

Qui sacerdos sæcularibus se rebus immiscet, suę pœnas temeritatis expendit.

Phœbi Triuiæquè sacerdos.

In campum cum Æneâ congressurus ingreditur, & Troiano ferro superatus occumbit.

Quem congressus agit campo, lapsúmquè superstans

Immolat.

Expende vocem *Immolat*. Quis? quem? Æneas Æmonidem, Sacerdotem prophanus. Immolandi munus (quod Sacerdotum est) temerarius abiecit; illud vsurpet Æneas, & sacerdotis officium in illius perniciem exerceat, qui, sacerdotio contempto, curis se sæcularibus & rebus immiscuit. Considerauit huius Sacerdotis culpam Donatus, & approbat pœnam. *Ita temerarius, qui immemor officij sui Apollinem Dianámquè deserens processit in campum, morte pœnas exsoluit.* Et Pontanus IESVITA; *Pulchrè immolat, tanquam victimam, vt ille consueuerat; non occidit, alludens ad officium sacerdotis.*

Dianam Æmonides Apollinémquè deseruit, quorum ille sacerdos; illum Dij deserunt, & quæcúnquè Æmonidis fuere, contemnunt, quantumuis illa pulchra, quantumuis insignia; nam erat 84

Te & tua abijcit Deus, cum tu illum abijcis.

Totus collucens veste, atquè insignibus armis.

Noluerunt ij Dij sibi huius degeneris sacerdotis spolia consecrari; huiusmodi ministri memoriam abolendam censuerunt à suis templis, à suis aris arcendam. Ingeniosè Donatus. *Apollinem Dianámquè deserit, morte pœnas temerarius exsoluit, & templum Dei bellatoris suis spolijs ornauit.* Ideò consecrantur Marti, cuius ille militiam sequebatur, non Apollini, non Dianæ, quorum ille aras, sacerdotiúmquè contempserat.

Arma Sereſtus

Lecta refert humeris, tibi Rex Gradiue trophæum.

85 Loquaces vt plurimùm. Loquacitatem vt plurimùm comitatur ignauia Anxurem militari lance trutinantem periodos, & rotantem verba audiuit Æneas;

Dixerat ille aliquid magnum, vimquè affore verbo
Crediderat, cælòquè animum fortaſsè ferebat.

Statim hominis cognouit ignauiam; & malè impenſa conatus eſt arma ab homine ignauo redimere. Quid ergo Æneas? acri acinacis ictu ſcutum ſimul & dexteram loquaciſſimi ſecat;

Anxuris enſe ſiniſtram
Et totum clypei ferro deiecerat orbem.

Offenſus tantus eſt Dux quòd ignauæ inſertum Clypeum eſſet ſiniſtræ,& militiæ ſtipendium homo minimè militaris auferret; quare Martij potiùs viri offenſione, quàm hoſtis affectu, armis Anxurem priuat, quibus vtebatur indignè: nam & loquaci & ignauo (quæ duo facilè conuertuntur) quid cum armis? Præclarè Seruius; *Non mirum ſic occiſum eſſe ab Æneâ eum, qui ſibi plurimum arrogabat.* Expende interpretis verba *Sic* & *ab Ænea*, &, *qui ſibi plurimum arrogabat*; huiuſmodi enim notulis ad acumen ingenia ſolent aſſurgere.

86 Grauis eſt ſuperbo pœna Depreſſio. Superbè Tarquitus inuadit Æneam;

Tarquitus exultans contrà fulgentibus armis,
Obuius ardenti ſeſe obtulit.

Et vitam huic Troianus eripuit, & exprobrauit acerbè.

Iſtic nunc metuende iace.

Expendit Donatus coniunctionem illam verborum, *Metuende iace.* Superbiam depreſſioni coniunxit, antidothum elationi,pœnam culpæ, & eam pœnam, quæ ſolet eſſe grauis huic culpæ. Non dixit, Hîc cruentè interfectus, hîc diſcerptus in fruſta, hîc comminutus ferro pœnas dabis, quibus ſatisfieri videbatur vberius ira victoris; ſed *iſtic iace*, humiliationis & depreſſionis vocem vſurpauit; *iace* inquit, quâ tibi ſuperbienti grauior alia vlla pœna eſſe non poteſt. *Sic,inquit,iacere meruiſti,qui te talem arbitratus es,vt timeri debuiſſes.* Sic Donatus. Vide infrà nnm.88.

87 Conſuetudinis vis. Vidiſti in ſuperiori numero elationem animi in Tarquito. Eam poſtquam expendit Æneas,ſic ad illum conuerſus occiſum;

Non te optima mater
Condet humo, patriòve onerauit membra ſepulchro:
Alitibus linquêre feris, aut gurgite merſum
Vnde feret.

Quaſi dicat; Altiora ſemper ſectatus es, ſublimia tuum ſemper petiuit ingenium, ſuperba tua natura, & animi elatio vltra nubes, auráſquè conſcendit; non igitur tantam poterit mater ſuperbiam, elationem

elationem tantam extincti sub terras condere, aut sepulchri saxo opprimere; & si maris tacteris in fluctus, vndæ te sublimen ferent: enatabit cadauer, nec vndis obrui poterit, cuius animo superbum illud votum fuit, Horat. lib. 1. Od. 1.

Sublimi feriam sydera vertice.

Ea enim est consuetudinis vis, vt etiam mortuo scabies inhæreat, quæ inquinauerat viuum. Donati hîc ingeniosa paraphrasis. ***Nulla te*** (inquit) ***conteget terra, aut si in gurgitem fueris mersus, non latebis; portabit quippe te vnda sublimem.*** Superbus, elatus, vbiquè sublimis; nec ipsa mors corriget, quod vita vsurpauit.

Ingeniosè Donatus expendit, non potuisse Æneam maiori Lucagum addicere pœnæ, quàm Depressionis. Superbientem hominem excussum rotis terræ afflixit. Non occidit in curru, non illius sanguinem fudit in rotis; quantus quantus erat, dedit ad terram, & moribundum volutum aruis ferro confodit. Nulla enim superbo pœna granior irrogari potuit, quàm humiliatio. 88 Digna superbientis pœna Depressio.

Haud tulit Æneas tanto feruore furentem;
Irruit.

Et percussus Lucagus

Excussus curru moribundus voluitur aruis.

Aptissimum superbienti supplicium! ***Iacet autem moribundus in campo,*** (inquit interpres) ***qui superbiâ ferebatur in curru.*** Qui paulò ante superbus ferebatur in curru, nunc moribundus iacet in campo. Et moribundus, non mortuus, vt suam viuus pœnam, dignam scelere, & videat, & sentiat, & ingemat.

Non solùm Liger Æneæ conflauit inuidiam, sed & Diomedi, & Achilli in ijs, quæ obiecit Æneæ; inquit enim, 89 Cum alienū petis dedecus, grauissimum sępè inuenis tuū.

Non Diomedis equos, non currus cernis Achillis

Ita sentit Donatus. ***Elegit eorum nomina, qui inter Græcos præcipui fuerant; & hæc non pro merito suo, sed iniuriosè significauit; vt & illos, & Æneam obrectatione perfunderet.*** Ibi suam inuenit ille grauissimam. Neque illi fuerunt, inquit, in aggrediendo te fortes, neque tu in fugiendo; longè vtrisquè ego fortior, longè valentior, cuius hodie manus haud quaquàm viuus effugies. Et te & illos virtute supero, qui te vitâ sum priuaturus.

Nunc belli finis, & æui
His dabitur terris.

Hanc Ligeris vesanam orationem contempsit Æneas;

Vesano talia latè
Dicta volant Ligeri; sed non & Troius heros
Dicta parat contrà.

Telum tamen fratrem contorquet in Lucagum, qui eodem cum fratre curru ferebatur, cui, transfosso inguine, vitam ademit. Liger rotis effunditur, misericordiam efflagitat, inuenit nullam. Iniuriâ

tandem effecti Æneæ manu interimitur, qui ita ad Ligerem.

Fratrem ne desere frater.

Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Ibi Donatus; *Potiùs moriendum est tibi, quòd aduersum me vsus conuitio venire potuisti.* Quasi dicat, Meum tu conuitium petijsti, sed inuenisti tuum. Quam tu mei dedecoris causam quæsiuisti, eandem habes turpissimæ tuæ necis auctricem. Alienæ dum studes infamiæ, expiscatus es tuam. Minatus necem de victoria securus, tulisti necem de victoriæ deiectus spe; Et ibi confusio, vbi elatio.

90 Conuitianti conuitia regerere, nobilis illa ingenuæquè naturæ nota non est. Multa Liger congessit in Teucrum, huius regia natura nullum reposuit,

Cuius ingenua est nobilisquè natura, conuitia non regerit.

Vesano talia latè

Dicta volant Ligeri; sed non & Troius heros

Dicta parat contrà.

Pulchrè simul & acutè Donatus expendit, aptissimè vocem illam *Heros* positam à Marone, cum lacessitus conuitia non retulit. Verè enim heroïco præditus animo est, qui contemnit iniurias, sustinet probra; neutrúmquè reponit. *Noluit Troius verè Heros referre conuitia, quæ animum lacerare potuissent; sed parauit iaculum, quod vitæ discrimen posset inferre. Sic Donatus.* Iure belli poterat illum occidere, hoc assequutus est; abstinuit à conuitijs vel nobilissimus.

91 Loquacitas Ligerem decebat ignauum, fortem dedecebat Æneam.

Loquacitas virum fortè dedecet.

Vesano talia latè

Dicta volant Ligeri; sed non & Troius heros

Dicta parat contrà

Præclarè Donatus; *Compleuit sapientis bellatoris laudē Æneas, qui illo tēpore, atque illo loco, non ventosis verbis, sed ferro contendere debuit.* Et Ascensius. *Non linguâ sed manu vtendum esse norat in bello.*

92 Lucagus sub pedibus iacebat Æneæ, cum iacentis superbiam amaris verbis victor accusat & carpit;

Pietas est elatum reprehendere.

Quem pius Æneas dictis affatur amaris.

Quid nunc temporis *Pium* Maro vocat Æneam, cum aculeatâ Lucagum oratione configit? dixisset aptiùs iratum, sæuum, furentem, appetentem vindictæ, vel quid simile. Nusquàm magis appositè *Pij* nomen attribuit, quàm cum ille egentem correctione amarè reprehendit. Verba sint sanè amara, at cum superbientem opportune corripiunt, pietatem sapiunt, ipsamet pietas, vt ita dicam, sunt. Præclarè Donatus. *Ecce consilium viri fortis! confecto certamine, ipse quoquè amaris vsus est verbis, non prætergressus pietatis suæ modestiam, cum iniuriosis verbis esset prouocatus.* Concitatum illum verborum amarore coërcet, quin vel tantillum de innatâ sibi pietate deponat; imò nouissimo hoc illum effectu nobilitat. Fortassè in hunc sensum Landinus. *Dixit Pius, dixit dictis amaris, vt pietatem*

tatem natura, amarorem concitationis in correptione esse significaret. Pietate ductus, non vindictâ, aculeata erupit in verba; maxima enim pietas est, egentem reprehensione frenare.

Nota hoc loci; Tunc aptissimè correctionem adhibes lapso, cum consopitus in te, imò extinctus sit iræ affectus, non cum feruet vltionis. Tunc enim illa nec tibi obest, & prodest egenti. Sic Æneas hanc est executus in Lucagum; in qua & fortitudinem simul ostendit & pietatem; illam, frenando diutiùs affectum vltionis; hâc opportunè medicinâ adhibendo. *Ecce consilium viri fortis! confecto certamine, ipse quoquè amaris vsus est verbis*, ad correptionem. Sic Donatus. 93 Consopito iræ affectu correptionẽ adhibe.

Nata iterùm; Ante victoriam Pæana ne canas, ne triumphum præsumas. Prudentis hoc, illud stulti. Huius fuit notæ Liger Lucagi frater, qui ante conflictum sic ad Æneam, 94 Ante victoriam Pæana ne canas.

Nunc belli finis & æui
His dabitur terris.

Stultissimam illam Virgilius stultitiam notauit;

Vesano talia latè
Dicta volant Ligeri.

Longè aliter Æneæ prudentia se gessit, *Confecto enim certamine amaris ipse quoquè vsus est verbis.* Donatus.

Grauiori occurras periculo necesse est, hoc enim superato minus facilè vinces. Inuadunt fratres duo Lucagus & Liger Æneam, armatus Lucagus, Liger inermis. Prius Troianus vir Lucago necem molitur & infert, deinde facilè Ligerem superat, & occidit. Audi Donatum. *Tractatus quàm etiam in hac parte præcipuus! vt illum primò peteret, quem videbat armatum. Ipsius enim mortem interitus facilè sequebatur alterius, qui non arma, quibus fideret, sed habenas tenebat equorum.* 95 Grauiori priùs periculo occurrendum est, deinde minori.

Vel nobilissimus quisquè, si ambitionis morbo laborat, apud Principem nititur externâ se summissione probare. Quærit Donatus, cur Iuno Deorum maxima, cum ad Iouem est verba factura, *summissa* inducitur à Virgilio? 96 Apud Principem petitores externâ summissione se probant.

Cui Iuno summissa.

An quòd Deorum maximum venerabunda suspiciat? an quòd debitam marito reuerentiam exhibeat? haud quaquàm verò: aliàs enim cum illo nec venerabundè, nec reuerenter egit. Ambiebat tunc maximè Latinorum commoda & Turni; & eò illam traxit ambitio, vt in summissionem vultûs, depressionem capitis, ceruicum humilitatem spontè descenderet. Ex ingenio Donati. *Idcircò summissa, ne pro commodo animi sui, fratris ac mariti mentem potuisset auertere. Summissa tamen, mente ac voce accipiendum est; nec respexisse, qua esset, vel apud quem verba faceret, sed quid esset petitura.*

97 Fœminæ authoritatis auidæ sunt. Appetentes gloriæ, laudis auidæ fœminæ sunt. His Iunonem vocibus Iupiter allicit, *Germana*, *Coniux*,

O Germana mihi, atquè eadem gratissima Coniux.

Cum verò illa Ioui respondet, *Germanum* non appellat, sed *Coniugem.*

Quid, ô pulcherrime Coniux.

Nobilioris nomen authoritatis vsurpat, alterum præterit. Commune sibi cum multis fratribus primum, non ita secundum Summa hinc gloria, summa laus, summa authoritas illum habere maritum, qui.

Diuûm Pater, atquè hominum Rex.

Vidit ingeniosè Donatus. *Cum ille & Sororem dixisset, & Coniugem, illa Mariti tantummodò personam interposuit, qui esset mulieri maxima authoritatis.* Illud nomen elegit, quod maximè authoritatem conduceret.

98 Stratagema est nimium concedere, vt totum assequaris. Stratagemate vsa est Iuno, vt impetraret à Ioue, quod sibi sine arte non videbatur assequi posse. Turni vitam simul & vitoriam petebat; qua ergo arte petit? nimium concedit, vt totum expilcetur; Inquit enim,

Nunc pereat, Teucrisquè pio det sanguine pœnas.

Pereat innocens sub ferro nocentis, pius sub dextera impij, iniuriâ lacessitus sub furore lacessentis: quæ nimia omninò sunt, & à ratione maximè aliena, vt vel sic, quod petit, extorqueat à Ioue. Præclarè Donatus. *Hoc inuidiosum est, non enim ad hoc dixit Pereat, quòd re verâ eum vellet interire. Cum dicit Teucris, & pio sanguine, hoc videtur sensisse, Aut si hoc videtur iustum, pereat innocens, & consequantur scelerati victoriam.* Non hæc illius mens erat, non hæc vera petitio, vt caderet Turnus, sed vt viueret victor; tentauit tamen hac arte suo voto potiri.

99 Impatiens moræ sæpè tibi plurimum nocet. Turno suo vitam pariter & victoriam Iuno poscebat à Ioue; partim hic negat, annuit partim. Vrget illa secundò, vt aliquid annuatur vlteriùs, & nullâ Iouis responsione expectatâ,

Cœlo se protinus alto

Misit.

Expendit hanc Donatus impatientiam Iunonis in re adeò graui, quam ipsa vehementer optabat. Non responsum aliquandiu expectares? non paulisper deliberantem Iouem attenderes? fortassè, quod petebas, assequereris, vel certè amplius aliquid quàm primò ille concesserat. *Adhuc* (verba Donati) *speraret Iouem aliquid melius pro inducta petitione facturum.* Impatientes moræ fœminæ sunt, & Incōstantiâ votorum laborant fœminæ. votorum inconstantiâ laborant.

100 Tua hostē irritat, & pungit alacritas. Vt irritaret Turnum & pungeret, & ad vindictam lacesseret, phantasticam illam Æneæ imaginem quam induerat Iuno, lætam, alacrem & exultatem Turno præcedere voluit hæc Dea;

At

At primas læta ante acies exultat imago.

Hanc Donatus rationem probat. *Ideò læta, ideò exultans inducitur, vt prouocaret ad iracundiam Turnum.* Nam tua hostem pungit, & irritat alacritas.

101 Vbi appetentia mortis auidior, ibi illius ſæpè certior eſt fuga. Quod clarum in Turno. Per mare inermi abripiebatur in cymbâ, ſine velis, ſine remis, ſine nauclero, expoſitus fluctibus, ventis peruius, commentitiâ Æneæ deluſus imagine, qua vt verum Æneam acrior inſequebatur. Mortem appetebat illuſus, & cum ferrum haberet, quo ſe ipſum poſſet tranſverberare, cum præſtò eſſent fluctus & vndæ,. quò ſe facilè poſſet immittere, & pro voto perire, audi quid dicat; Vbi appetẽtia mortis auidior, ibi ſæpè illius certior eſt fuga.

Quid agam? aut quæ iam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi?

Vtinam vaſtas mihi terra dehiſcat in rimas, & indecorem voret. Quid ais, (inquit Donatus) quid ais, ô Turne? itane deſipis, vt in medio ſitus mari terram appelles? telluris velis hiatibus obrui inter fluctus & vndas? Næ tu quidem mihi videris, dum auidus mortem optas, optas vitam auidior. Propiùs tibi ferrum eſt, propiùs vndæ, quid longinqua præoptas, vt pereas? Fugis fugis, quod videris appetere; non de morte, ſed de vita laboras. *Deſiderabat Turnus* (verba ſunt Donati) *recipi hiatibus terræ, & in fluctibus eam requirebat, quæ non erat in fluctibus, & cuius copiam non habebat.* Sic facile conuincebatur aliud ore, aliud corde & opere appetere.

102 Pedum celeritate ſeſe Palmus ferè Mezenzij ferro dextræquè ſubtraxit; hunc ergo ſuperatum non enſe victor, telove configit, vt alios, ſed ſucciſo poplite fecit occumbere.; ne vlteriùs fugeret; Apta culpæ infligitur pœna.

Latagum Palmúmquè fugacem,
Sed Latagum ſaxo, atquè ingenti fragmine montis
Occupat os faciemquè aduerſam; poplite Palmum
Succiſo volui ſegnem ſinit,

103 Aptam culpæ pœnam inflixit. Notauit Donatus. *Non Palmum occiſum dixit; ſed ſucciſo poplite, ne vlteriùs fugeret, implicatus.* Qui aris debitum detrahit, & ſe perdit & ſua.

Caue ne quid Deo, ariſquè debitum ſubtrahas; illud miſerè & te perdet, & tua. Occiſis à ſe Mezenzius dextraxit exuuias, ſpoliã diripuit, quæ Deorum aris debebantur & tholis; hæc omnia Lauſo conſecrat filio, templis negat latro ſimul & impius;

Armaquè Lauſo
Donat habere humeris, & vertice figere criſtas.

Donatus hìc. *Scutum & galeam detractam hoſti dono dedit filio ſuo, non enim Numini cuiquam hoc ſeruare potuit, aut conſecrare, qui Deos contemnere perpetuâ obſtinatione didicerat.* Item libro hoc, infrà, pollicitus eſt ſe, de Æneæ prædonis armis, eripiendis in pugna, tropheum erecturum, non in Martis, aut alicuius Dei, Contemnis Deum, qui illi debitum aufers.

ſed in Lauſi filij honorem & gloriam

Voneo pradonis corpore raptis
Indutum ſpolijs ipſum te Lauſe tropheum
Ænea.

Vbi Paraphraſis Donatiana. *Induam te Lauſe ſpolijs , qua Ænea rapuero ; & ad vicem Numinis tibi conſecrabo meliùs , quidquid dederit hoſtis occiſus.* Quod Deo , eiuſquè tholis debitum eſt , impius vſurpas? & id, & te , & tua iam nunc (moneo vates) amittes. Breui de omnibus actum eſt , de Patre , de filio , de ſpolijs. Patrem & natum interfecit Æneas ; armis pro feretro in Lauſi funere vſi ſunt ſocij ;

At Lauſum ſocij exanimum ſuper arma ferebant.

Scutum eſt , vt ſentit Donatus , quo à Mezenzio donatus eſt Lauſus, vt ſuprà vidimus ; eo in ſcuto Lauſus à ſocijs portatur occiſus, vt ait Seruius , *Super arma , ideſt, ſuper ſcutum ; vt ſuprà ,*

Impoſitum clypeo referunt Pallanta frequentes.

Non vides impio latroni, ſacrilego Duci omnia à Superis detrahi, qui aris debita & templis per impietatem detraxerit?

104 Donatus ait, illam fuiſſe Mezenzio ſubriſionis cauſam , cum pedem & haſtam infenſam impoſuiſſet Orodi , quòd hic, mediâ iam morte dum teneretur , minaretur vltionem ;

Ridiculus ille eſt , qui media in morte conſtitutus, adhuc ſpirat vltionem.

Non me , quicumquè es , in vlto ,
Victor , nec longùm latabere ; te quoquè fata
Proſpectant paria, atquè eadem mox arua tenebis.

In propinquo vitæ diſcrimine de vltione proloquitur. Et quamuis impius omninò Mezenzius , tantam morientis , vel iam iam morituri amentiam non mirari & irridere certè non potuit ;

At quem ſubridens miſtâ Mezenzius irâ ,

Quamuis feruidus & iratus à bello Mezenzius , ſubriſit , ſtultam tunc hanc eſſe curam Orodi , vt vltionem moriturus appeteret. Quare illum , vt honeſtè , ſanctèquè moriendi curam ſuſcipiat , hortatur , obliniſcatur vltionem ;

Nunc morere.

Vide, inquit , quid agas ; in mediâ teneris morte , iam tibi meus imminet enſis ; attende miſer , vt vltimum vitæ terminum feliciter claudas ; claudis autem infeliſſimè, quando vindictæ cupidus claudis; quod impijſſimo cuiquè excitat riſum. Acutè Donatus & pulchrè. *Mezenzius , cum hac audiſſet , iratus eſt propter maledicta ; & ſubriſit , quòd proferebantur ab eo , qui ſuum iam videret interitum.*

105 Ea interdum ſolet eſſe infelicitatis grauiſſimæ vis , vt vel nolentem te faciat impium in Superos. Nimiùm fingitur Author infelix, qui deſtinato in Æneam telo conſternitur.

Infelicitas grauis impium te aliquãdo facit in Superos.

Sternitur infelix alieno vulnere.

Ipſa

Ipſa illum vis infelicitatis inflictæ de mente deiecit, impium reddidit; oculos reiecit in cœlum, quaſi de illus iniquitate conquereretur, vt notat Donatus hoc loco,

Cœlúmquè

Aſpicit.

Eſt hic, inquit, impietatis affectus. *Quaſi inimicum mote ſuâ Deorum iudicium reprehendens.* Sic Donatus.

Cum ipſa iam morte luctabatur Græcus Author, qui olim ambitionis cauſâ Argos patriam temerè deſeruerat, & in Euandri ſeſe Reginam contulerat, ibiquè conſederat, aulicæ auræ captator; 106 Quos ambitio obcæcauit oculos, mors præſens aperit.

Ab Argis

Heſerat Euandro, atquè Italâ conſederat vrbe.

Felix tuorum contubernium deſeris? Societatem abijcis? quàm vereor ne infauſtâ & præproperâ morte rapiaris. Dictum, factum;

Sternitur infelix alieno vulnere.

Millena miſero homini infortunia contingunt, ſuorum deſertori, & felicis patriæ. Sternitur in primo ferè expetitæ felicitatis ingreſſu, & alieno ſternitur vulnere, non ſuo; ibi ſe impotem voti & videt, & gemit; ibi cœlum, quod reliquit imprudens, ibi patriam, quam dulciſſimam ſtultè deſeruit, adſpicit, & pœnitentiâ ductus, ſerâ fortaſſe, à longè ſalutat,

Cœlúmquè

Adſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos.

Mors præ oculis mentem illi acuit, quam obcæcauit ambitio, cuius cauſa dulciſſimam ſibi matrem, patriam abiecerat. Longè feliciùs vixiſſet in patria, longè incũdius moreretur & quietiùs. Præclarè Donatus. *Veniebãt Argi in mentem morienti, quaſi hoc genere non eſſet moriturus; ſi remeaſſet, vel à ſuis in totum non receſiſſet.* Quæ iam premebat oculos mors præpropera Authori, ipſa illos aperuit. Ad hoc ſpeculum turpes nævos inſpexit.

Si diuinum quæras & tuearis honorem, diuinum ſenties, & experieris auxilium. Superos *contemptor Diuûm* Mezenzius offendit grauiter, cum dixit, 107 Eis fauet Deus, qui diuinũ quærunt & tuẽtur honorẽ.

Dextra mihi Deus, & telum, quod miſſile libro.

Hanc blaſphemiam pius hauſit Æneas, quam vt ipſe manu expiaret vltrici, haſtam rapit, & iacit in impium.

Tum piuſ Æneas haſtam iacit

(Nota obiter iacientem telum, ad perniciem, necémquè blaſphemi, *Pium* eſſe vocatum.) Prima hæc pij vindicicis haſta impium percuſſit; ſecunda confecit. De prima ait Poëta. Pius eſt qui Deo factas iniurias ſeueriſſimè vindicat.

imaquè ſedit.

Inguine.

De ſecunda verò,

Inter

Bellatoris equi caua tempora conijcit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusúmquè equitem super ipse sequutus
Implicat.

Ense nudo accurrit Æneas, & victum iam contemptorem Deorum, impietatem exprobrans, iugulat;

Iugulóquè haud inscius accipit ensem;
Vndantiquè animam diffundit in arma cruore.

Audi nunc Donatum vocem illam *Pius* mirè expendentem. *Quid hoc loco Poëta faciemus omnia circumspectè ordinanti? Quomodo ait Pius, qui hominem, quamuis inimicum volebat occidere? piorum enim officium est execrari hominis necem, & misereri potiùs, cum seueritatem ratio temporis flagitat. Consideratâ igitur Mezenzij personâ contemptoris Diuûm, & eius qui frustrà hastam miserat (vtpote qui nullo Numine iuuabatur) poterimus scire quâ ratione hoc loco Æneam dixerit Pium, qui sitiebat hominis necem, & eius sanguinem volebat effundere. Accipiamus Æneam Pium, officiosum in sacris, Deorum omnium antistitem, Numinúmquè cultorem. Et hoc exemplo discamus, quid sacrilegi, & quid religiosi mereantur. Sternitur (vt infra positum est) contemptor Diuûm, & Deorum cultor abscedit de congressione superior; spoliáquè rapta Mezenzio consecrat Marti, qui colebat Deos; & interijt, qui pro Deo habuit dextram, & hastam suam, & improuidus spolia promiserat filio.* Hæc Donatus.

108 Coronam quæris? eam tibi perfecta victoria parabit. Hanc de Mezenzio petebat Æneas, vt illam assequeretur. Inflictum impio homini vulnus non sibi satis existimauit ad gloriam, feruidus instat ad necem, vt perfectæ victoriæ corona debeatur.

Perfecta victoria coronam assequitur.

Ocyùs ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine, latus
Eripit à femore, & trepidanti feruidus instat.

Donatus ibi. *Animo feruenti insistebat Æneas, vt vulnerati plenam perficeret necem.* Non plenè victor, qui plenam nondum necem perfecerat; vnde nec lauro dignus, quæ plenè victori tribuenda est, præterea nulli.

109 Culpam pœna subsequitur; tecum hanc trahis, qui illam admiseris. Mezenzius impius secum trahebat hastam, infixam Clypeo, quâ se percusserat Dux Anchisiades. Sui pœnam criminis, secum trahebat, à quâ disiungi non poterat.

Peccanti ita adnexa pœna est, vt illam secum trahat.

Cedebat, Clypeóquè inimicum hastile trahebat.

Vbi acutè Donatus. *Trahebat intereà infixam hastam Clypeo, nec carere eâ poterat, quam senserat inimicam.* Vltricem secum culpa pœnam trahebat, *inimicum hastile*, ita inhætentem sibi, & infixam, vt ab illa disiungi non posset, posset vrgeri, posset pungi, posset

posset excruciari : *nec carere eâ poterat, quam senserat inimicam.*

Nota omnibus Æneæ pietas erat; Defendit Lausus filius Mezenzij patris vitam ab huius Pij dexterâ & ferro ; existimans se tum maximè homini Pio pergratum facere, & illius pietati adulari, si piam filius defensionem suscipiat. Quare hæc iuuenem pietatis existimatio impulit, vt difficilem hanc, debitam tamen, defensionem aggrederetur. Sed quid pio Lauso Troianus ? audi; 110 Grauiùs te ille lædit interdum, de quo tu sentis humaniùs.

Fallit te incautum pietas tua.

Tua, inquit, *pietas* est, quam haud quaquam talis meretur pater. Duplici ductus & confixus pietate irruis in arma, alterâ, quâ patrem tueris; alterâ, quâ me pium existimas à parêtis tui nece & à tuâ, manum & ferrum esse reuocaturum. Hæc vtráquè te pietas tua fallit. Pulchrè Seruius. *Fallit te, inquit, pietas tua, quòd credis, ideò me pium tibi veniam posse concedere, quia & ipse pietatis intuitu dimicas pro patris salute.* Non quam existimauit in Troiano Lausus pietatem inuenit, inuenit seueritatem, inuenit necem.

Sponte caput suum Lausus, pio ductus ardore, deuouet pro salute parentis ; Æneæ gladio se pro patre supposuit ; 111 Diuinum nescio quid elucet in eo, qui vitam suam pro aliorum salute deuouit.

Iámquè assurgentis dextra, plagámquè ferentis
Æneæ subijt mucronem, ipsúmquè morando
Sustinuit.

Piâ filij defensione opportunâ viuus pater euasit, in eâdem filius ipse occisus occubuit.

Validum námquè exigit ensem
Per medium Æneas iuuenem, totúmquè recondit.

Quod vel ab hoste præmium assequutus est Lausus, quod tanta esset dignum pietate, tanto consentaneum ardori ?

Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tantâ dabit indole dignum ?

Deliberabat Æneas (ait hîc Donatus) *quid pius ipse conferret mortuo, cui salutem volens præstare non potuit.* Quid ergo dedit ? Diuinum illi cultum attribuit, quando ad illius sepulchrum iubet arma suspendi, quæ non nisi Deorum aris appendebantur ex more, quæ captiua hostibus detrahebantur (vt in illud Virgilij lib. 11. erectum Marti trophæum ex exuuijs Mezenzio detractis, firmant interpretes) inquit enim ad occisum iuuenem,

Arma, quibus lætatus, habe tua.

Ferre non potest animus, (acuta Donati paraphrasis) *vt armis tuis trophea componam. Non enim conuenit* (attende) *hæc alicui Deo suspendere.* In hâc tuâ capitis deuotione pro patre nescio quid diuinum allucet, nescio quid diuinitatis intermicat; tua ergo tibi habe arma, ex eis tibi ad sepulchrum tuum erigatur trophæum ; quid enim alteri consecrem Deo, qui te, tanto animi ardore deuotum, Dijs

ſupparem & habere poſſim, & debeam?

112 Expende quanta praui conſortij vis ſit, quantúmquè vel

Vel inſtrumenti tactu vitioſi, vitia trahuntur.

Vicini pecoris contagia lædant.

Pius Æneas noluit impiiſſimi hominis ſpolia vel tangere, ne impietatis inſtrumentis innocua pietas contagio læderetur. Quæ illa arma, qualia illa ſpolia; quibus indutus eſt Lauſus? quæ Mezenzius pater ab hoſte detraxerat, & Deorum ſubtraxerat aris, quibus conſecranda poſt victoriam fuerant; quæ impius filio Lauſo, tanquam Numini conſecrauerat.

Armáquè Lauſo

Donat habere humeris, & vertice figere criſtas.

Scutum & galeam (notat Donatus) *detractam hoſti, dono dedit filio ſuo; non enim Numini cuiquam hæc ſeruare potuit, aut conſecrare, qui Deos contemnere perpetuâ obſtinatione didicerat.* Impia omninò arma, impia ſpolia, quæ contemptor Deorum prophanis vſibus in Deorum contemptum peſſimè impenderat. Pius ergo Æneas illa arma impia contemnat, & horreat, imò nec illa tangat, ne per hæc impietatis inſtrumenta pio homini aliquid impietatis ſubrepat. *Arma habe tua*, inquit; vereor enim, & iure vereor, ne illorum vel ſolo tactu mea pietas contagio lædatur.

113 Ingenioſè Donatus expendit, Æneam, cum Lauſum ferro confeciſſet, noluiſſe huius Principis arma vel Marti, vel alij Numini conſecrare, ſed illa potiùs occiſo reliquiſſe,

Reſpuit ea Deus, quæ eo inuito acquiruntur.

Arma, quibus lætatus, habe tua.

Quare ergo? quia inuitis Dijs acquiſita, inuitis etiam ipſis homini impijſſimè à Mezenzio, Lauſo nimirum filio, tanquam Numini conſecrata. Debebantur hæc Superis primitiæ victoris, ſed ille illa ſceleratè ad prophanos detorſit vſus; non ergo digna ea ſunt, quæ in Deorum honorem, ipſorum appendantur aris, quæ contrà Deorum honorem ſublata ſunt, & in vſus vſurpata prophanos. *Arma habe tua*; (Donati verba ſunt) *non enim conuenit hæc alicui Deo collata ſuſpendere.* Cauſam iam poſuit hanc ipſe Donatus, numero præcedenti, *Scutum & galeam* &c.

114 Quæcunquè ſeueritas, ſeueritas omninò pura non ſit, ne ferinæ potiùs naturæ putetur, quàm humanæ; humanitatis illa temperamento leniatur. Seuerus in Lauſum Æneas extitit, (potuit enim in illum eſſe iure belli Seuerus) Noluit tamen alterius dexteræ, alterius ferro Principem occidendum remittere, ſuâ & ſuo illum voluit occumbere, vt honeſtè caderet ſub regiâ dexterâ, ſub regio ferro, qui perimebatur acerbè; ſicquè ſeueritas temperaretur lenitate, humanitate hoſtilitas, ſupplicium honore. Sic ad Lauſum Æneas;

Lenitas eſt cum ſeueritate iungenda.

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem;

Æneæ Magni dextrâ cadis.

Doctiſſimus in vtrâquè paginâ Sanchez IESVITA ita eruditè expendit

expendit in Iob. Cap.7. mihi pag.124. num.39. *Ex communi hominum sensu gloriosum Poeta indicant mortis genus, quod illatum est à nobili hoste. Hâc apud Maronem ratione solabatur Æneas cadentem suo telo Lausum.* Addit deinde. *Et Valerius Flaccus lib.3. Argon. de illo, cui mors iam impendebat ab Hercule*

Occumbens, I nunc, ait, Herculis armis,
Donum ingens, sempérquè tuis memorabile factis

Iniuriam benefactori irrogas tuo, quando, quod tibi beneficium vltrò offert, moraris accipere. Æneas Lausum morte consternit; accurrunt socij, vt iuuenis interfecti cadauer suffurentur, timentes sibi à victore Troiano. Cunctantes illos præ metu Æneas increpat, & vt cadauer ferant, hortatur, 115 Tibi iniuriā irrogat, qui, quod vltrò beneficium offers, moratur accipere.

Increpat vltrò
Cunctantes socios.

Ipséquè beneuolus & vocat & allicit, & suis cadauer manib⁹ tradit;

Et terrâ subleuat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.

Æneæ natura nobilis & ingenua afficiebatur iniuriâ, cum in accipiendo illi occisi Principis cadauere tardarentur. *Vltrò eos obiurgat,* (inquit Donat.) *tanquam tardos & negligentes, vt postratum tollerent.*

Cum de victoriæ & vitæ spe deiectus esset Mezenzius, expendit Donatus, arboris trunco accliuem vulnerum lauisse cruorem; 116 Qui rerum spem abiecerunt, illa fugere, solent, quibus significatur spes.

Tyberini ad fluminis vndam
Vulnera siccabat lymphis, corpúsquè leuabat
Arboris accliuis trunco

Quare non viridi in prati herbâ, aut ad ripam fluminis læto in gramine decubuit & quieuit? cur in trunco potiùs? Noluit, quæ spei imaginem præ se ferrent, desperatus aut aspicere, aut tangere; maluit truncum, desperationis symbolum. *Ipse grauiter vulneris & salutis desperatione defessus sustentabatur arboris trunco, Procul area ramis Dependet galea, & prato grauia arma quiescunt. Tangendo truncum & ramos proculdubio arborem integram significauit, cuius ima parti se Mezenzius dabat, qua ramos latos, & viridantia folia non habebat.* Sic pulchrè Donatus. Eò se desperatus abiecit, vbi nulla spei indicia offerebantur. 117 Verus ostēditur viuentis dolor in funere mortui.

Lausi funere consternatus Mezenzius satis vsquè verum dolorem expressit, quando

Ad cœlum tendit palmas, & corpore inhæret.

Vbi Donatus. *Verus viuentis est dolor, cum mortui funus amplectitur: Non est enim vlla in amplexu funeris delectatio, sed quædam medecina plangentis.* Doloris medicina lachrymæ sunt.

Optimi iactura filij parentis animum altè fodit, & vulnerat. Sic Mezenzius, Lausi sui necem dum lamentatur, hæc inter alia; 118 Optimi amissio filij magna Parenti iactura est.

Nunc altè vulnuū adactum

 Vbi

Vbi pulcherrimè Donatiana paraphrasis. *Hæc est sortis meæ plaga deterior, hoc perniciosissimum vulnus, quod nullum temporis spatium, nulla potest medicina sanare. Insedit altiùs & tota penitus interna possedit; nihil dolore est vacuum.*

119 Consuetudinis vis maxima est.

Mezenzium Rhœbus equus fecit ferè de victoriâ ab Troiano securum, quo semper victor à pugna redierat. Tam erat palmis, quàm pugnis assuetus.

Haud deiectus equum duci iubet, hoc decus illi
Hoc solamen erat, bellis hoc victor abibat
Omnibus.

Benè Donatus. *Tali ergo equo haud debilitatus animo vti voluit, qui non nisi cum palmâ remeare consueverat.* Consuetudinis vis vel viget in brutis.

120 Sibi quisquis felicitatem ominatur, à se vel nomen mortis amādat.

Cum ad equum suum Rhœbum Mezenzius in pugnam iturus alloquitur, felicitatis & infelicitatis meminit, quibus sese dubius exponit: suo illam proponit in capite, hanc verò in alieno.

Aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referam, Lausique dolorum
Vltor eris mecum.

Iam inde felicissima sibi ominatur, & disiunctione vsus sibi prospera attribuit in hoc cum Æneâ conflictu futuro: at vero quàm inferendam sibi mortem formidabat, in equum Rhœbum reijcit; neque sic tamen mortem nominat sed aliud loco *Mortis* posuit,

Aut aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter.

Non dixit, *Quod si Æneæ dexterâ occidar & ferro*, sed, *Si nulla vis aperit viam*; neque ait, *Occumbam pariter*, sed, *Occumbes*. Neque mortis vsurpat nomē, neque in suo illā capite, sed in alieno proponit.

121 Frustrà arma tractat, qui ineptus est armis.

Cum Mezenzius vulnere affectus ab Æneâ, filij necis vltor in pugnâ regreditur,

Manus ambas iaculis onerauit acutis.

Frustrà omninò iacula tractaturus, ambas onerat iaculis manus; oneri potiùs debili & saucio seni, quam vsui futura. Donatus. *Cum se aduerteret viribus paruis, ambas manus telis multis & acutis onerauit; quasi verò cessante substantiâ dimicantis, telorum vigor, aut numerus hostem superare potuisset.* Non enim augent tela virtutem; ideò pulchrè Virgilius illâ vsus est voce, *Onerauit*. Saucium illa onerarunt senem, non iuuerunt.

122 Nimia sæpè auiditas laborat in cassùm.

Mezenzius inflicto ab Æneâ vulnere debilis, & filij nece cōsternatus prodit in campum, manus cū hoste conserturus: quam corporis debilitatem, & virium eneruationem cum ille putaret posse telorum numero, & vigore sarciri, ambas iaculis manus onerauit,

Manúsque ambas iaculis onerauit acutis.

Seruius illum præ sæuitiâ & furore vtrámque manum armasse iaculis

iaculis dicit; *Auiditas sauientis exprimitur.* Donatus verò, præ metu. *Quantum timorem procedentis expressit!* Esto, hoc vel illo rapiatur affectu, in re ille peccauit. Sit instructus ad bellum, non impeditus; sit paratus, non onustus; si ambas ille manus onerat telis, quâ manu equi recturus est lora? inuenit profectò mortem, vbi vitam putauit; ipse sibi impeditus, ipse onustus intulit necem, vnde illam hosti se illaturum præsumpsit. Quàm certa illa est Hispanorum parœmia. *La codicia rompe el saco!*

Temerè omninò Mezenzius, iam ab Æneâ saucius semel, eundem iterum ac tertio sauciantem & vocat, & quærit, 123 Temerè hostem lacessis, qui te facilè vincere potest.

Atquè hîc Æneam magnâ ter voce vocauit.

Debuit (inquit pulchrè Donatus) *non prouocare eum, cuius virtutẽ senserat, & timere potiùs, quem exemplo suo probauerat fortiorem.*

Geminum est ab Æneâ malum Mezenzio, idquè vel maximum, 124 Geminata sibi ab hoste sunt mala.
Insultatio nimirùm, & *Nex.* Hostili ore primum, rigido ense secundum victor exequitur.

Aduolat Æneas, vaginaquè eripit ensem;
Et super hoc, Vbi nunc Mezenzius acer? & illa
Effera vis animi?

Tyrrheni animum vulnerauit vtrúmquè; saucius ergo vtriquè respondet.

Hostis amare, quid increpitas, mortémquè minaris?

Hostem vocat; quia necem infert; *amarum* appellat, quia insultat, & exprobrat. Elegantem hanc Donatus vidit antithesin. *Duo mala, & hostem esse, & amarum dixit. Hoc genere, & gladio stricto, & insultationi respondet.* Geminata mala geminato animi sensu significat.

Expendit Donatus, ideò *amarum hostem* vocatum esse Æneam à Mezenzio, quia imminentem & instantem sibi necem Troianus protraheret; cum timor lethi peior ipso sit letho. 125 Peior letho timor ipse lethi.

Hostis amare, quid increpitas? mortémquè minaris?

Sic occisurus es, (Donatiana hæc paraphrasis) *iam feri, inquit; quid verbis protrahis moriturum? Sæuitia est hostem diu cruciare sub gladio; sæuitia est verbis amaris appetere.*

Impium te aliena torquet pietas, & eò grauiùs, quo propiùs. 126 Impius alienâ pietate torquetur.
Impius omninò Mezenzius, qui suprà dixerat,

Nec Diuûm parcimus vlli.
Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro.

Proximâ nunc Æneæ pietate torquetur acerrimè (nam hic vbiquè piùs, vbiquè religiosus, etiam cum in Mezenzium telum contorquet; vide supra num. 107.) Quare vrget, & instat impius pio, vt Troiani aciem ferri suum distringat in iugulum, quam pius Æneas aliquantisper suspenderat.

Hostis amare, quid increpitas? mortémquè minaris?

Amarus es *hostis; hostis*, quia hostiliter mecum congressus es; *ama-*

rus, quia dextrâ gladióquè suspensis mortem minaris, nec infers; quod est ipsum ipsâ amariùs & diriùs hostilitate. *Nunquid idcircò dextram, gladiumquè suspendis, quòd existimes nefas sese, si ferias?* Æneæ pietatem occidendus agnoscit, qui ideo existimat supendisse dexteram, iramquè Troianum, quòd nefas putaret esse, si feriret. Ad tantum pietatem recrudescit impietatis vulnus & torquetur acerbiùs Perge ergo, ne imminenti me diutiùs nece percrucies.

Nullum in cæde nefas.

Nullum crimen est (prosequitur Donatus) *si hostis, tuis quod parabat, excipiat.* Detorque ferrum, & vitam eripe; ne tandiu pius tibi impius in me sis, qui letho proximus non tandem occumbo.

127 Nobile Superioris ingenium, facilisquè natura, quis dubitet, quin confidentiam inferioribus & maximam pariat? In Troiani Principis pectore ingenuam Mezenzius facilitatem agnouerat, cum Lausum Patri, nullo interveniente, aut flagitante, remisit. Hæc ergo Æneæ ingenij nobilitas facilem Mezenzio aperit viam, vt petat, de futurâ voti sui impletione securus. Quid vouet? quid petit?

Superioris facilitas cõfidentiã inferioribus parit.

Vnum hoc (per si qua est victis venia hostibus) oro,
Corpus humo patiare tegi.

Præclarè Donatus. *Vnum tantum peto, quod ipse sponte præstitisti filio meo, Corpus humo patiare tegi.* Me huius voti compotem spero futurum ab eo Principe, qui suâ sponte meum mihi Lausum remisit sepulchro condendum. Tanta Superioris naturæ facilitas meo confidentiam animo attulit, vt hoc orarem, vt hoc peterem.

128 Hæc vltima morientis Mezenzij cura fuit vt eodem tumulo, quo filius, inferretur à Teucris; sic ipse ad Æneæ pedes, sub gladio victoris;

Mors obiecta oculis veritatẽ agnoscit, & profert.

Et me consortem nati concede sepulchro.

Ea propinquæ mortis, ea instantis lethi vis est, vt vel ab impio, vt vel ab hoste puram putam veritatem extorqueat. Quid ais Mezenzi? à Troianis petis Tyrrhenus, hostis ab hoste, vt te consortem nati, hoc est, qui eandem cum filio miseram sortem sub Troiano ferro sustinuisti, te inquam, eodem inferant hostes sepulchro cum filio? Næ tu quidem ad vicinæ limina mortis aperuisti lumina, & cogeris veritatem proferre; Troianos laudas, eorum virtutem Martiam, eorum pietatem religiosum enuntias; Virtutem, qua te filiumquè vicerunt; pietatem, quâ te filiumquè inferendos esse sepulturæ à Troianis credis. Iam vltrò fateris in media morte constitutus, quod anteà negabas, cum impius viueres. Acutè Donatiana paraphrasis. *Consortem me fecisti filio, vno vtrumquè perimẽ. gladio fateor; vni nos sepulchro, pulso meorum furore, concede.* Mortis præsentia in veritatis cognitionem & professionem me compulit. Vide quàm illa præsens;

Hæc loquitur; iuguloque haud inscius accipit ensem;
Vndantiquè animum diffundit in arma cruore.

R. P.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER VNDECIMVS.

IN ipso statim vndecimi huius Libri aditu prompta nobis & exacta Æneæ obedientia laudatur, quâ promissa Dijs vota soluit, & de humandis interfectorum cadaueribus satagit: quam cum Auroræ egregia obedientia Maro coniungit, quæ, ex antiquissimâ lege, impositum sibi munus exequitur, maturè & opportunè purpurans colles, montes irradians, irrorans flores, campos distinguens, volucres excitans, lucemquè præueniens. Ille inducitur legibus, quibus strictè ligatur, obsequens, 1 Prompta & expedita obedientia laudatur.

Æneas (quamquam & socij dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataquè funere mens est,)
Vota Deum primo victor soluebat Eoo.

Illa ab Vniuersi authore positis legibus obtemperans,

Oceanum intereà surgens Aurora reliquit.

Eâ exactione obedientiæ, vt præterito vſus ſit Maro *Reliquit*, cum obſequentem deſcribat Auroram, non præſenti *Relinquit*, aut Imperfecto *Relinquebat*: qnia videlicet vix ſe ſentit ad obediendum vocatam, cnm iam impoſitum ſibi munus explenit. Landini acumen. *Reliquit, dixit, vt plena ſignificetur exactio.* Æneæ ea eſt animi promptitudo, vt vix prima cæperit ſurgere Aurora, cum illam, ex obedientiæ lege votis ſoluendis, humandiſquè cadaueribus conſecrauerit,

Primo victor ſoluebat Eoo.

Primo Eoo (inquit Landinus) *nam cum in noctem protracta eſſet pugna, priùs non poterat.* Ergo, vt primum potuit, & nuncupatis votis, & ſuo muneri ſatisfecit. *Orta lux eſt* (ait Zerda) *& cum eâ Ænea cura* obſequentis.

2 Illa nobis prima cura eſſe debet, obſequi Deo.

In curarum luctamine, illa ſemper nobis eſt præferenda, quò Deus vocat & pietas. Hoc expendit Donatus apud Pontanum in Ænea, qui.

(Quamquam & ſocijs dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataquè funere mens eſt)
Vota Deûm primo victor ſoluebat Eoo,

Tametſi cura humandi ſuos (inquit interpres) *quæ res dilationem non patitur, vrgebat, & eſſet Pallantis interitu mæſtiſſimus, tamen diuina obſequia, cultumquè Numinis, ac voti perſolutionem omnibus antepónendam, & quamprimùm tropheum Marti, cuius potiſſimum beneficio tam proſperè pugnaſſet, ſtatuendum cenſuit.* Addit ingenioſè Landinus, hac ſe primum curâ ideò Æneam expediuiſſe, Diuinâ quippe, vt faciliùs à reliquis & feliciùs expediretur. *Cum multæ illum* (inquit) *vrgerent curæ, ab illa ſe primùm liberat, quæ illum à reliquis feliciùs expediret. Dijs ſoluit vota* &c Pulchrè ſanè! ſi enim diuina priùs expediamus, reliqua nobis ex voto contingent.

Omnia feliciter expedies, ſi à diuinis ordiaris.

3 A plebe nobiles ſunt ſeparandi.

Prudenter ſanè notat Seruius in emiſtichinm illud,

Turbataquè funere mens eſt.

A plebe Maronem ſeparaſſe Pallantem, Arcadiæ Principem. Illud namquè

Socijs dare tempus humandis
Præcipitant curæ

De ignobilibus in bello interfectis dictum eſt; rationi conſonum & prudentiæ fuit regium iuuenem à gregarijs militibus ſeiungere; cuius in funere turbatur Æneas, aliorum verò tantùm curâ ſollicitatur. *Turbata funere* (inquit interpres) *ideſt, Pallantis. Nam hæc conſuetudo eſt apud Poëtas, vt à plebe ſegregarent duces; ſic paulò poſt ait,*

Intereà ſocios, inhumataquè corpora terræ
Mandemus,

Et intulit,

Mæſtamquè

Mestamquè Euandri primus ad vrbem
Mittatur Pallas.

Sicut dictum est,

Reliquias Danaûm, atquè immitis Achilli.

Item lib. 2. post enarratas multorum neces, sic ad Didonem Æneas,

Forsitan & fuerint Priami quæ fata requiras.

Vbi vides Nobiles ab ignobilibus, honoris causâ, separatos, à militibus Duces.

Vix Æneas acerrimum Troianorum hostem Mezenzium à se superatum interemerat, cum trophæum grati animi gratiâ ibi erigit & consecrat Marti, vbi victoriæ beneficium acceperat. 4 Post beneficium statim agendæ sût gratiæ.

Ingentem quercum, decisis vndiquè ramis
Constituit tumulo; fulgentiaquè induit arma
Mezenzij ducis exuuias; tibi Magne trophæum
Bellipotens.

Obseruo (inquit hîc Zerda) *trophæum istud non longè fortasè excitatum à loco, in quo occisus Menzenzius.* Nullâ interpositâ morâ trophæum erigit Victor Æneas, quo loco victoriam erat adeptus. Adducit in rem hanc idem interpres loca duo, Strabonis primum, qui cum de Fabio Maximo loqueretur, qui Allobroges vicerat, sic infert: *Et statuit trophæum ibi*; secundum Taciti. 2. Annal. *Miles in loco pralij Tiberium Imperatorem salutauit, struxitquè aggerem, & in modum trophæorum, arma.* Ne differatur gratiarum actio, ne *beneficij memoria consenescat* (vt ait Seneca) *ibi statim, in loco pralij*, felicitatis locus gratiarum actione consecretur. Et in loco vbi acceptũ est beneficium.

Cum Æneas Mezenzij Regis exuuias, suâ dexterâ occisi, consecrat Dijs, noluit eas ex quercu suspendere, opacâ folijs, grauiquè ramis; hos excîdit, illa decussit; & sic aptissima quercus efficitur, cui consecranda Dijs spolia appendantur. 5 Acceptissima Deo opera sunt, quæ cum mortificatione iunguntur.

Ingentem quercum, decisis vndiquè ramis
Constituit tumulo, fulgentiaquè induit arma,
Mezenzij Ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens.

Ambiciosæ obstant frondes, & altiores ramusculi impediunt, quominus aptè spolia Dijs grata parentur, & deseruiant trophæo: amputentur illa necesse est, & trunca quercus statuatur; sic enim accepissimè truncus indutus exuuijs consecrabitur. Pulchrè Donatus. *Constituit ingentem quercum, amputatis vndiquè versùm ramis, ne brachia arboris gestandis indumentis obstarent.* Obstaret sanè trophæo, si superba frondibus, grauata ramis arbor statueretur; 6 Ex valentioris hostis victoria tibi victori gloria maior accrescit.

Notat pulchrè Donatus in emistichium illud,

Mezenzij ducis exuuias.

Vocem illam *Mezenzij* cum emphasi proferendam; sic enim *Matienzo in Æneiden.*

 maiorem

maiorem victoris gloriam constat extitisse, qui talem tantùmquè ducem superarit. *Mezenzij* (inquit) *cumpronuntiamus, nomen ipsum debemus extollere, vt in appellatione Herois tanti intelligantur & facta victoris.*

7 Strauit Æneas Tyrrhenum ducem,& de strati exuuiis consecratis Marti trophæum, non illum *hostem* vocat, non *impium*, non *barbarum*, non *crudelem*,(talis enim is fuit) cum superato hoste non agit hostiliter; sed *Ducem* appellat, *Mezenzij ducis exuuias* *Virum* indigetat, *Telaquè trunca viri* Honorem impertit, honorificè tractat, & quem ferro vicit, probro non afficit. Quid ita? suo vir egregius consulebat honori, suæ laudi vir nobilis prudenter prouidebat; sic enim naturâ comparatum est, vt cum alteri impertiaris honorem, consulas tuo. Præclarè hîc Donatus. *Quidquid de hoste,manu eius occiso præferendi genere dicitur, ipsius laudibus applicatur & gloria.*Ne igitur simus in aliorum laude maligni,qui laudem quærimus.

Cum honorem alteri impertis, honori consulis tuo.

8 Seueritatem temperet lenitate Superior & Princeps. Non enim sit ita seuerus & asper, vt sapiat crudelitatem, & contracto semper supercilio terreat, & terat: lenitatem interdum misceat seueritati, acre dulci contemperet. Sic Princeps Troianus, cum de Mezenzij exuuijs trophæum erigit, quod testetur omnibus victum fuisse Tyrrhenum, debitam hosti seueritatem temperat lenitate. Exuuijs spoliat, quas erecto trophæo erigit Marti; en seueritas; *Ducem* vocat, *Virum* appellat; en lenitas.

Seueritatem Superiores debent lenitate temperare.

Ingentem quercum, decisis vndique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaquè induit arma
Mezenzij Ducis exuuias, tibi Magne Trophæum
Bellipotens, aptat rorantes sanguine cristas,
Telaquè trunca Viri.

In illum opere seuerum se præbet, verbis lenem. Sic Princeps, sic Superior. Sit in Principe, sit in Superiore, quod inferior & amet, & timeat. Martialis lib.7.Epigram.5. de Domitiano.

Tuoquè
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

Vbi eruditissimus Raderus. *Sic causam voluptatis habet,& timoris. Conclusio plena adulationis. Numinis enim est, & mortales terrere, & eosdem oblectare clementia, & beneficijs.* idem Poëta epigram.25. lib.9. sic de Ioue nubilo simul, & sereno,

Sic tonat ille Deus, cum sine nube tonat.

Tonet quidem qui Superior est, sed *sine nube tonet*. Erumpant tonitrus, qui terrere possint; abscedant verò nubes,quæ & grandine verberent, & fulmine saucient; si enim vtrumquè sit, erit sanè mera seueritas, quæ in crudelitatem vergat, omninò damnandam. Raderus; *Sine nube tonat, hoc est,sine ira, qua frontis serenitatem turbat.* Irascatur Princeps cum ita necesse est, sed frontis serenitatem,

æquitatem.

æquitatem mentis non amittat; iram deponat, verbera abijciat, tonet tamen. O te poëtarum principem Latinorum Stati, vno excepto Marone, quàm acutè in tuo finxisti Ioue lib. 10. Thebaid. hoc seueritatis & clementiæ temperamentum. Summa in Iouem Capanei impietas fuit, quam cum Iupiter vindicare statuisset, citrà meritum vno fulmine impium absumpsit; quod & poëta notauit, inquit enim,

Potuit telum meruisse secundum.

Vno contentus Deus in ipsa seueritate clementiam ostendit. Quod cum supplicium iustissimum exequeretur, *fessus anhelabat*, ceu quondam cum Phlegræ & Encelado Ethnam impressit.

Phlegra ceu fessus anhelet.

Prælia, & Encelado fumantem impresserit Ethnam.

Fatigatur (vt ita loquar) Deus, cum supplicia infligit; & cum flagellandi necessitate compellitur, quasi anhelat Deus, non rei ipsius difficultate, sed re ipsâ compulsus, qui accliuis omninò est meram in seueritatem, qui pronus in clementiam. Interpres non ignobilis. *Ideò fessus anhelat, quia compulsus ad iram*. Vide in illud lib. 12. de Ænea, qui Ascanium, proditurus in bellum,

Per galeam delibans oscula, fatur.

Expende hîc quæso, quàm sunt felicia permixta infelicibus! In 9
ipsa vocum commixtione hæc vicissitudo deprehenditur. *Ducem* vides appellari Mezenzium, quod honorificum est, sed *Exuuias* adiecit Maro, quod infelicissimum,

Felicia infelicibus sunt omninò permixta.

Mezenzij ducis exuuias.

Vir Mezenzius dicitur, sed Trunca tela proponuntur,

Telaquè trunca Viri.

Nulla in terris pura felicitas. Sit quispiam strenuissimus Dux, sit ille quidem omninò Vir: sed ab illo exuuiæ reportantur; ab hoc Trunca tela, detrahuntur. Immediatè felicitati infelicitas adhæret.

Non frustrà Virgilius ait cristas, quas victor Æneas consecrat 10
Marti, (spolia Mezenzij) rorantes sanguine fuisse,

Aptat rorantes sanguine cristas.

Recenti adhuc beneficio grati animi significatio succedat.

Vt facilè appareat scilicet, in animi significationem grati tardum illum non fuisse. Recens adhuc est beneficium; recenti ergo sanguine testetur Æneas, fuisse sibi nihil antiquius, quàm vt gratum animum exhiberet. Hanc ego dixerim mentem esse Donati, qui ita in paraphrasi. *Rorantes aptat cristas, scilicet adhuc stillantes sanguinem, eo enim momento mactatus est.* Eodem igitur tempore Æneas & beneficium Mezenzianæ necis accepit, & grati animi significationem persoluit. Loco huic Maroniano Statianus locus ille respondet, vbi Palladi Tideus trophæum victor erexit, exuuijs indutum hostilibus. Recentes proculdubio exuuiæ erant, cum poëta dixerit, lib. 2. Theb. *huic* (quercui scilicet) *truncos ictibus enses.*

Subligat, & tinctas membris spirantibus hastas.

Adhuc tepebant hastæ spirantibus membris refixæ, quas victor Palladi consecrauit. Vide quàm immediata beneficio fuerit animi grati memoria!

11 Trũcus est, qui sine Domino est.

Pulchrè Donatus explicat vocem illam *Trunca* emistichij illius,

Teláquè trunca viri.

Trunca, inquit, *hoc est, sine Domino. Gentil lanza!* hasta ille est, qui sine Domino est, imò truncus sine Domino nullis vsibus aptus.

12 Truncus ille est, qui, cum potuerit, te non defenderit.

Aliam ex eodem Donato explicationem istius voculæ cape; *Item possunt Trunca intelligi, quæ neque hostis necem perficere, nec dominum tueri valuerunt.* Trunci omninò dicantur, non tela, quæ tueri Dominum non potuerint

13 Qui se contrà Deum erigit, se ipsum abijcit, & nomen deprimit suum.

Inter spolia, quæ victor Marti consecrauit Æneas, certum est hastam etiam Mezenzij fuisse, de qua ipse Mezenzius impiè prædixerat,

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Ita Donatus affirmat in illum locum,

Constituit tumulo
Mezenzij ducis exuuias

Hastam (inquit) *quoquè constituit, quam viuo adhuc Lauso filio Mezenzius miserat.* Quid ergo in enumeratione spoliorum, quibus trophæum erigitur, missam facit hastam Virgilius? Audi;

Ingentem quercum, decisis vndiquè ramis,
Constituit tumulo, fulgentiáquè induit arma
Mezenzy ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens, aptat rorantes sanguine cristas,
Telaquè trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossúmquè locis, clypeúmquè ex ære sinistra
Subligat, atquè ensem collo suspendit eburnum.

In hac exuuiarum enumeratione *Hasta* non est: enumerantur cristæ, rorantes sanguine, quæ in Æneam ille contorserit, thorax bis sex petitus & perfossus locis, clypeus ex ære, vaginâ inclusus ensis eburneâ; nullibi *Hasta*. Quid ergo in causa? illam auguror fuisse; Dixerat suprà Mezenzius per contemptum Deorum, *Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro*; quæ igitur hasta Dei nomine impiè indigetatur ab impio, nomine careat, & quod impius nomen attribuit, extinguatur à pio. Quæ hasta impietatis instrumentum fuit, nullatenùs nominetur; pij manibus pereat, quæ impij manibus Dei nomen vsurpauit indignè.

14 Inter ornamenta trophæi instrumenta resistentiæ opportunę cõputantur.

Inter ornamenta trophæi etiam trunca tela, quæ Tyrrhenus in Troianum contorserat, computantur. Et meritò, vtpote quæ infixa scuto appetitus Æneas tulisset indemnis;

Teláquè trunca viri

Vbi Donatus; *Tela trunca accipienda sunt, quæ scuto Æneas exceperat, atque infixa fecerant syluam.* Iudicauit victor ad victoriam conducere

conducere illa etiam tela, quæ ipse excepisset, atquè adeò ad tropheum, & ad triumphum. Illa enim gloriosè in opportunâ resistentia victor obtinuit. Quæ præuia sanè victoria fuit illi, quam de occiso Mezenzio reportauit.

Quantum homo homini præstet, expendit eruditissimus Zerda in illud Virgilij de Ænea loquentis, 15 Homo homini multũ præstat.

Tum socios (namquè omnis eum stipata tegebat
Turba Ducum) sic incipiens hortatur ouantes.

Stipat (inquit) *tegitquè illum turba; sed Ducum. Nam præ illo, & eius virtute, Duces etiam in turba sunt.*

In locum illum, vbi suos Æneas ad trophæũ erecturus alloquitur, 16 Felix initiũ felicẽ progressũ pollicetur & exitum.

Timor omnis ab isto,

Quod superest,

Præclarè Donatiana paraphrasis; *Qualem enim dedit iste initium successibus meis, talem reliqua sortientur effectum.* Feliciter nostra incæpta res est, cum Mezenzium effudimus, nihil est quod progressum timeamus, & exitum.

Quando debellati Mezenzij exuuias consecrat Marti, & trophæum Troianus erigit, huius pietatis rationem assignat, quam? hanc, 17 Magnę pietatis indiciũ est de alienis incommodis cõmoueri.

Hæc sunt spolia, & de Rege superbo
Primitiæ

Hæc de superbo Rege sunt spolia, primitiæ sunt de Duce illo, qui suos vexabat, despuebat alienos, contemnebat Deos, illudebat æqualibus. Non ait, Mei hostis hæ sunt exuuiæ, qui mihi iniuriam inferebat, meis aditum in Italiam præcludere conabatur; communem adducit causam, non priuatam; quod inter Æneæ pietatis affectus præcipuum habere locum quis neget? Communes superior, nõ priuata sequatur iniuria.

Grauiter hîc & ingeniosè Donatus. *Sic, inquit, merentur occidi, qui in regni potestate constituti opprimunt potiùs, quàm subleuant suos. Alienus certè non est, cui aliena mala tam grauiter displicebant.*

Cum gratissimi vir animi Æneas terræ mandari iubet occisos, & funebrem pompam indicit, interdicendum lachrymas fundit; 18 Grati animi homines maximè dolent benefaciendi occasiones plures non esse.

Itè, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus,

Addit deinde,

Sic ait illachrymans

Non tam lachrymatur pro amissione militum, quos & fideles & strenuos expertus fuerat, quàm quòd benefaciendi occasio viro gratissimo nulla restabat, cum *suprema* hæc *munera* essent, quæ deferebantur occisis. Ideo post verba illa *decorate supremis Muneribus* subsequitur *sic ait illachrymans* *Ideò lachrymatur* (inquit ingeniosè Landinus) *quia hic honos nouissimus, vltimúsquè sit.* Tunc meritò

ritò lachrymas fundit homo gratiſſimus,cum gratitudinis oſtentandæ ceſſat occaſio.

19 Vel in Ænea deprehendes hoc vitium, quòd militantium eſt, alienam ſcilicet gloriam infringere, aut certè minuere. Turni telo, & manu (certum omninò eſt) cecidit Pallas;cum verò ad Euandrum Patrem, Æneas filium mittit occiſum,victori Turno,qui Pallantem occiderat, adimit gloriam, non enim ait Turni manibus & telo occubuiſſe, ſed ablatum atrâ die fuiſſe,

Militātium ſępè vitium eſt,alienam infringere gloriam aut minuere.

Mœſtámque Euandri primus ad vrbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Hunc militantium affectum & vidit, & notauit acutè Donatus. *Ecce abſtulit gloriam Turno, qui Pallantem in congreſſione proſtrauerat,cum dicit eum fataliter interyſſe.* Et infrà,in illud,

Tene, inquit, miſerande puer &c.

Idem interpres eundem notat affectum. *Puerum idcircò intelligitur dixiſſe, vt victoris minueret gloriam*; *alio enim loco Iuuenem dixit.*

20 Iuuenem præripit mors importuna, & eodem tempore Seni parcit. In primo congreſſu occumbit tyro,&c, cruentis multis exanthlatis periculis,veteranus euadit indemnis. Acutè Donatus coniunctionem notat illarum vocum *Pallantis & Senioris Acetis*, in hoc loco,

Omnes ſine diſcrimine mors prøterit.

Recipitquè ad limina greſſum (Æneas)
Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Seruabat ſenior.

Vide *quis, & quem*; *Pallantis corpus Acetes ſenior ſeruabat.* Senex viuus iuuenem ſeruat occiſum; Principem, qui primo in congreſſu raptus eſt telo, veteranus miles, qui varios belli conflictus vidit immunis. Audi Donatum. *Hic Virgilio fatorum iniquitas diſplicet*; *ſeruabat enim longæuus infeliciſſimum iuuenis funus*;*& obierat,qui per ætatem prodeſſe rebus publicis potuit*; *incolumis verò fuerat, qui Euandri comes tot euaſerat bella, & Euandri filius iacebat occiſus. O diſpar pugnandi conditio! ô Fortuna diuerſis fauoribus currens! alter inter arma & gladios poteſt in ſenium durare cum ſocio; alterius dies vna, & pugna ſpectauit ad mortem.* Præclarè quidem!

21 Quærit Donatus, quare, cum Æneas *foribus ſeſe intulit altis*, vt Pallantæum cadauer aſpiceret, Iliades gemitum ad ſydera tollunt & pectora pugnis contundunt? ſic enim Maro,

Grauior alienus eſt dolor, præſente eo, ad quem propiùs expectat.

Vt verò Æneas foribus ſeſe intulit altis,
Ingentem gemitum tunſis ad ſydera tollunt
Pectoribus, meſtóquè immugit Regia luctu.

Reſpondet verò; *Moralitatem,vt multis locis ac penè omnibus fecit, etiam hoc loco euidenter expreſſit. Nam grauius mugiunt, & plangunt, vbi adfuerit, quem maior cauſa doloris exagitat.*

22 Ingenioſè Virgilius Pallanti mortuo aggerat laudes, vt viuo dolores

lores augeat Æneæ. His præuenit laudibus Vates lachrymas illas, quas præ dolore statim est fusurus Æneas. Audi laudes; Cum laudes aggeras, mortuo, viuis dolorem auges.

Ipse caput niuei fultum Pallantis, & ora
Vt vidit, leuique patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ.

Quæ Carmina sic Donatus expendit; *Mortui corpus noua arte laudauit; augent enim dolorem, quæ possunt in defuncto laudari. Tanta inquit, Pallas pulchritudinis erat, vt eum nec mors ipsa deformare valuisset. Non pallebat ille, sed niueus apparebat; quæ res augebat dolorem religiosi viri, cum in vno casu multa fleret extincta, spem iuuenis, vota patris, & pulchritudinem iuuenis.* Hæ laudes has lachrymas præcesserunt, & excusserunt vberiores à Duce; nam sequitur

Lachrymis ita fatur obortis.

23 In Emistichium hoc sic Donatus; *Vbi verus est dolor; & penitùs sensibus manet, lachrymæ non meditatione plancturi coguntur exire, sed sponte ante verba funduntur. Inde Æneæ loquuturi vocem præuenerunt veri fletus, & gemitum copiosè lachrymæ præcesserunt.* Vbi obiter nota vocem etiam lachrymis tribui; nam cum dixisset Vates, Quænã sine veri doloris lachrymæ. Lachrymæ pódera vocis habent.

Lachrymis ita fatur obortis,

Addit quæ loquutus Æneas fuerit ad cadauer Pallãtis, hoc modo,

Te ne, inquit, miserande puer &c.

Vitium effugere illa verba non possent, *Fatur*, & *Inquit*, nisi primum referatur ad lachrymas, secundum ad vocem. Erit igitur sensus, *fatur ita primo lachrymis obortis*, (nam loquuntur lachrymæ, iuxtà illud Ouidianum *Lachrymæ pondera vocis habent.*) *Inquit* deinde verba exprimens voce, quæ sequuntur. Fortasse ibi Donatus in hunc sensum; *Inde Æneæ loquuturi vocem præuenerunt veri fletus, & gemitum copiosè lachrymæ præcesserunt.* Veri vox fletûs veras præuenit voces, & quæ immurmurant obortæ & defluentes lachrymæ verum gemitum præcesserunt.

24 Viri fortis & prudentis Ideam suum Maro fingit Æneam; at verò, vt inuidentiæ vim maximam exprimat, etiam in huius notæ viro liuorem de aliena gloria voluit (vt Donatus notauit) inueniri. Sic enim illum inducit cum defuncto Pallante conquerentem; Vel egregios viros pulsat inuidia.

Te ne, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Inuidit fortuna mihi, &c.

Puerum vocat, quem iuuenem constat, vt victoris Turni laudem infringeret, qui cum puero conflixisset, illúmquè mactasset. Donati verba, *Puerum dixit Pallanta, vt victoris minueret gloriam; nam alibi iuuenem dixerat.* Vel egregios viros adurit sæpè, aut certè pulsat inuidia.

25 Quàm constanti vicissitudine voluuntur humana! Prosperè de-

 pugnabat

Constans apud mortales est inconstantia fortunæ. pugnabat Æneas, cum ecce tibi in media felicitate infelicitas. Vno eodémquè tempore læta illi propinantur & tristitia; & Mezenzij & Lausi cede à se factâ lætatur, & de Pallantis simul ferè nece gemiscit. Expendit præclarè hanc fortunæ malignitatem Æneas ipse, expositore Seruio,

Tene, inquit miserande puer, cum læta veniret,
Inuidit fortuna mihi, ne nostra videres
Regna &c.

Ac si diceret (ait interpres) *quantum noceret adversa, cum læta talem intulit casum? Videtur autem dolere, quod queri non potest, de fortunæ crudelitate, quæ ei, vno eodémquè tempore, & tanta contulit beneficia, & tale intulit damnum.*

26 Idem argumentum. In Emistichium illud

Cum læta veniret,
Inuidit Fortuna mihi

Sic Donatus. *Si mihi fortuna portabat dimicanti suffragium, cur morte tua fœdabat titulos meos? Cur gratulationem tantam rumpebat tuo interitu? Amica fuit, vt successibus meis optatis lætitiam dimicanti conferret; an magis inimica dū fauet? ipsa præstitit, ipsa rursus inuidit.*

27 Amor omnia facit communia. Pulchrè quidem Donatus expendit in eo loco

Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret
Inuidit fortuna mihi, ne nostra videres
Regna

Vocem *Nostra*. Non dixit mea regna, sed *nostra regna*; nam fecerat amor, quo Pallantem prosequebatur, omnia communia. *Pleno affectu dixit Nostra* (inquit interpres) *quasi communia esset habiturus cum eo, si illum incolumem fata seruassent. Pleno affectu,* quo alio nisi amoris affectu?

28 Leuiùs feriunt iacula, quæ præuidentur, grauiùs improuisa. Dum Pallantis occisi vicem lamentatur Æneas, inter alia, hæc ad parentem Euandrum,

Hi nostri reditus, expectatiquè triumphi!

Vbi grauissimè Donatus. *Hinc crudelior ad te orbitas tua perueniet; hinc erit immanior luctus, quia dum promissa mea speras posse compleri, dum te excepturum existimas triumphos, & glorias meas, non filij reditum, sed inspiratum funus excipies.* Addit deinde. *Omne hoc eò tendit, vt ostendantur grauiora esse adversa, quæ contrà spem bonum repentè nascuntur; meditata contrà leuiùs posse tolerari.*

29 Interdū nobiles optimā sui existimationē præferant vitæ. Illud sanè notatu dignum est, mille viros missos esse ab Ænea qui Pallantem comitarentur occisum, dum defertur ad patrem, cum in tanta ille positus esset necessitate pugnandi. Ineptè factum quis diceret, delectos ex toto agmine mille, qui consolarentur etiam Euandrum, eo tempore, cum hostis Turnus vrgebat.

Et toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,

Inter

Interſintquè patris lachrymis

Quid cauſæ fuerit, audi Donatum. *Vt Euander intelligeret in tanta neceſſitate bellorum, filij ſui cauſam fuiſſe potiorem, propter quam tot lecti fuerant viri; Et Æneam ſaluti propria Pallantis obſequia prætuliſſe.* Nobilis quippe erat Troiano natura; quare ſuæ prætulit vitæ exiſtimationem optimam ſui, quam tam frequenti virorum comitatu apud Euandrum & Arcades aſſequebatur.

Quas veſtes Dido donauit Æneæ, ipſa ſuis manibus illas auro diſcreuerat. 30

Omnes leues amanti labores sũt imò gratiſſimi.

Quas illi læta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus ſydonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.

Expendit pulchrè Donatus illa verba *Læta laborum*. Amabat Dido, quidni læta laborum eſſet, cum eas texeret veſtes amato? *Laborem operis* (verba Donati) *illa non ſenſerat; fecerat enim libens, fecerat læta, non quemadmodum faceret, ſed cui faceret, cogitans.* Marquezius in Spirituali Hieruſ. pag. 66. *Læta laborum inquit, Es antitheſis de Affićion.*

Malignæ omninò naturæ eſt mœſtum & contractum vultum oſtendere cum munera præſtas, nobilis verò & liberalis, alacri fronte beneficia largiri. Quid ergo Æneas, cum Pallanti veſtem auróquè oſtróquè decoram induit, mœſtus dicitur à Marone 31

Principum eſt beneficia plura alacri vultu conferre.

Supremum mœſtus honorem
Induit?

An quod mortuo veſtem exhibebat? ſic enim Donatus; *Mœſtus, quia impendebat exanimi; eſſet enim votum, ſi rem tantam Pallas incolumis ſumeret.* Dixerim potiùs, ideò mœſtum Æneam fuiſſe, cum dabat, quia *ſupremum honorem* dabat; vellet enim Troianus Princeps præciſas occaſiones ſibi non eſſe plurima dandi; mœret igitur, quòd ſupremus hic & vltimus honor ſit, quem Pallanti conferret. Pulcherrimè ibi Donatiana paraphraſis, *Mœſtus, non quia dabat, ſed quia nouiſſima honorificentia fuit. Optabat enim ſoſpitem, vt plura ſentienti conferret, ac ſæpè.*

Æmulas auri cum Æneas nubit Pallantis comas ignibus deſtinatas, à Donato rogatur Troianus Princeps, cur eas veſte velet? *An ne quis earum pulchritudinem videret ardentem?* quod miſerrimum eſt; ac propterea de dolore imminuatur, quod de obtutu ſubtrahitur. An vt pretiosè cremarentur, quæ pretiosè creuerant, & fluebant? Sic Donatus ipſe. *Tantæ enim pulchritudinis fuerunt, atque honoris tanti, ut has non niſi aurum, & oſtrum deberet incendere.* 32

Nulla datur in terris illæſa pulchritudo.

Satis conſtat ex vulnere, quo Pallas occubuit, vtiliſſimum virtutis exemplar hunc Principem fuiſſe ſuis; aduerſo ſemper pectore cógrediebatur, auerſo nunquam; ideò *Leniquè patens in pectore vulnus* inquit Virg. *aduerſum Pallantis pectus haſta Turni tranſadigit, quia* 33

Illius morti dignè impenduntur lachrymæ,

qui alijs erat virtutis exemplar. aduerso ille pectore præliabatur. Ideò ergo lachrymatur Æneas, quòd extinctus ferro ille sit, qui pectore vulnus acceperat, & omnibus constanti virtute fuit, dum vixerat, virtutis exemplar. Audi,

Ipse caput niuei fultum Pallantis & ora
Vt vidit, leníquè patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lachrymis ita fatur obortis.

Anonymus quidam in margine. *Lachrymatur Æneas, maximè idcircò, quòd ille, qui pectore aduerso vulnus acceperit, extinctus sit.* Dignissimè impenduntur lachrymæ illius neci, qui viuens exhibebat alijs documenta, quo sublato cessat illis calcar ad gloriam. Fortasse in hunc sensum intelligendus Donatus est, qui ita in huius loci paraphrasi. *Vt in illo non solùm amicitiæ pignus perditum, verùm etiam spem magnam præliandi doleret extinctam; nam qualis posset existere, plagæ qualitate compertum est.* Dolebat ergo Æneas extinctum fuisse Pallantem, & magnam præliandi spem intercisam in Principe, qui aperto pectore, aduerso vultu, in præliantium omnium Arcadum, & Troianorum exemplum, congrediebatur.

34 Pulchra mors instar est triũphi. Ego necem, quâ Pallas occubuit, triumphum dixerim potiùs, quàm necẽ. Pulchra enim mors instar est triũphi; aduersum quippe pectus vulneri præbuit: ideò pompam iussit Æneas ordine duci, cum Pallas efferebatur ad Patrem; ideò ex ostro & auro contextâ veste amicitur occisus, quæ triumphantis potius insignia sunt, quàm elati.

Multáquè præterea Laurentis præla pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.
Addit equos, & tela quibus spoliauerat hostem.
Tum geminas vestes, ostróquè auróquè rigentes,
Extulit Æneas, quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido Fecerat &c.
Harum vnam iuueni, supremum mœstus honorem
Induit.

In his carminibus agnoscit Landinus *speciem triumphi. Speciem* (inquit) *penè triumphi adhibuit.* Congruè igitur speciem triumphi adhibuit Æneas, cum ille, etiam mortuus, portaretur in pheretro, qui pulchrâ morte vitam terminauerat.

35 Principum est, alienas glorias amplificare. Pulchra sanè est commentatio Donati in emistichium illud, vbi Æneas in Pallantis funere *Longo prædam iubet ordine duci.* Quare longo ordine? *Ne in globum* (Donati verba) *collecta ambitionem funeris, ac pompa minueret.* Promouere & amplificare Princeps nobilissimus voluit Pallantis gloriam, & pompam augere; nam si præda colligeretur in globum, funeris ambitionem ac pompæ minueret.

36 Qui gloriosè moritur, iure cœlum dicitur. Qui egregiè vitam absoluit, dignus profectò est, qui *Cœli* nomine decoretur. Hoc fortasse significare voluit Æneas, cum Pallantæi cadaueris vultum & comas iussit obnubi.

Obnubitquè

Obnubitquè comas.

Expendit Peruius verbum *Obnubit, Translatio*, inquit, *à nubibus, quibus tegitur cœlum.* Gloriosè occiso Pallanti Poëta blanditur hoc verbulo *Obnubit*, & *Cœlum* tacitè appellat, dum hac vtitur aptissima translatione à nubibus pulchrè desumptâ.

Semel tantùm infelix in bello fuerat Acætes, cum scilicet Pallantem amisit in acie; sæpiùs felicitate vsus fuerat, Euandrum sequutus; Et tamen ex hac vnica infelicitate vocatur infelix, qui multa olim felicia cum Euandro fuerat sortitus. 37 Vnico sæpè lapsu plus deperdis, quàm multiplici felici euentu lucraris.

Ducitur Infelix æuo confectus Acœtes.

Absolutè vocatur *Infelix*, satis est enim illum semel fuisse infelicitatem expertum, vt *Infelix* appelletur; non ita verò *Felix* dictus est, qui sæpiùs feliciter ipse pugnauerat. Plus sæpè vnico deperdimus lapsu, quàm felici multiplici euentu lucramur. Donatus. *Ibat autem Infelix senex in exequijs iuuenis: ibat tunc Infelix, qui cum Euandro felix remeare consueuerat.* Non illum consuetudo felicitatis felicem fecit, vnica verò infelicitas fecit esse Infelicem.

In funebri pompâ, qua Pallas efferebatur ad Patrem, ibat etiam Acætes; Donatus expendit verbum, quo vtitur Maro, 38 Nimius dolor frangere animos solet & vires.

Ducitur infelix æuo confectus Acætes.

Non *Ibat*; sed *Ducebatur*; quia is erat animo dolor de occiso Pallante, vt mouere pedes, ferrequè gradum omninò negaret; alieno ferebatur ductu, qui proprio non poterat. *Acætes* (inquit) *quoquè ducebatur, non eâ causâ, quâ alij, sed quòd esset luctu, atquè ætate confectus, vt trahi potiùs quàm ambulare videretur. Senectus dolorem auxerat, cumulauerat luctus.*

Æthoni Pallantis equo lachrymas attribuit Virgilius; & ne in bestia viderentur ineptæ, per ora illas fluxisse dicit, (ora enim hominum sunt.) 39 Humanitatis propriæ lachrymæ sunt.

Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lachrymans, guttisquè humectat grandibus ora.

Ab humanitate lachrymæ seiungi non debent, cuius sunt propriæ. Quare cum *lachrymas* poëta dixerit, ponere debuit & *Ora*. Ingeniosè Donat. *Cum hominum dicantur Ora, Ora equi dixit etiam cum lachrymis humectata esse, huic enim non solùm faciem, verum etiam humanum attribuit sensum, qui occisum dominum sentiebat, & flebat.*

Aliter Donatus explicat hunc locum aptissimè, 40 Bellicosi dolent ostentandæ virtutis occasionem sibi non esse.

Post bellator equus, positis insignibus Æthon
It lachrymans

Flebat (inquit) *cum hominibus equus, & bellator gemere videbatur, quod ad rogum Domini potiùs, quam solitum duceretur ad campum.* Bellatorum est gemere, quòd ostentandæ virtutis sibi subtrahatur occasio, & Togam (vt ita dicam) sequi potiùs, quam militiam cogantur. Quia positis ibat insignibus bellatorijs, bellator Æthon lachrymabatur.

 Singularis

41 Mortua quæquè Deus auerfatur.

Singularis omninò illa explicatio eſt, quâ nonnemo apud Seruium Emiſtichium illud *Et verſis Arcades armis*, exponit. *Scuta inuertentes, propter Numina illic depicta, ne eorum ſimulacra cadaueris pollnerentur aſpectu.* Non hanc approbat explicationem Seruius, nam addit ſtatim., *Vt nonnullis fruſtrà placet.* Sed ſua moralitate non caret, *Mortua quæquè neque aſpectu dignatur Deus.*

42 Recogitet ſubinde Superior, an muneri ſatis faciat ſuo.

Poſtquam ſummâ cum honorificentiâ Pallantem Æneas miſiſſet ad Patrem, *Conſtitiſſe* Troianus Dux dicitur à Marone,

Poſtquàm omnis longè comitum proceſſerat ordo;
Subſtitit Æneas

Quare *Subſtitit?* inquit Donatus; nimirum vt quod Superioris munus exequitur, ſemel iterumquè diſpiciat, & an illi fecerit ſatis, expendat; an Pallantis funus ſatis pro dignitate curauerit. *Æneas ſubſtitit*, (verba Donati) *ſatis exiſtimans eſſe, quòd pro neceſſitate rerum fuerat factum.* Vtpotè bonus Superior examinauit, quid fecerit, & inuenit ſatis ſe pro rerum neceſſitate feciſſe.

43 Singularitas eſt omninò fugienda.

In illo loco. *Nos alias hinc ad lacbrymas* expendit vocem *Nos* Donatus. *Quàm pulchrè poſuit Nos! ne videretur ſolus ab obſequio funeris regij decedere.* Eſt enim à quocunquè ſingularitas omninò fugienda.

44 Æternam viuit vitam, qui fortiter moritur.

Expende quæſo quâ Pallantem Æneas voce ſalutet occiſum.

Salue æternum mihi maxime Palla.

Hanc ſolemus viuenti ſalutationem impertiri *Salue*, mortuo quis vnquam? Viuit profectò, qui adeò fortiter moritur, vt iuuentute primæuâ hoſtili pectora offerat ferro, non terga; æternumquè viuit, ideò *Salue æternum*: quaſi dicat, Viui ſalutationem ſemper mereberis, æternúmquè feres, qui adeò fortiter in bello occubuiſti, vt hoſtis hoſtem, & fortiſſimum hoſtem, nullo pedis regreſſu ſuſtinueris, imò alterno Marte mactare tentaueris. Tuam hoc facto vitam, cum ſcilicet honeſtiſſimam ſubijſti mortem, æternitate donaſti. Pulcherrimè Donatus. *Salue æternùm; quaſi illum merito tantæ virtutis inter illuſtres & primos eſſet habitura memoria.* Vel mortuus mori non potes; tui memoria inter illuſtres, quos antiquitas veneratur, ad æternitatem conſecrabitur. Apud me certe (inquit Æneas) tui nunquam memoria morietur; quam ego æternitatem, tui etiam nomen mecum famaquè metietur. *Salue æternum mihi maxime Palla.* Iterùm, Donatus. *Salue æternùm mihi, dixit; quaſi ipſe Æneas nullum ſic eſſet animo retenturus.*

45 Quidquid pulchrum in nobis & honeſtum eſt, nobili morte æternatur.

Maximus Pallas virtute adoleſcens, *maximus ſeptro*, regio ſanguine *maximus*, pulchra *maximus* indole, multis *maximus* nominibus erat; erant tamen fortunæ telo hæc expoſita bona, dum vixit; fortiter tandem occubuit in bello, & ideò *æternùm maximus* fuit, vt nihil imminuere iam fortuna poſſit; ſed quod pulchrum in vita & honeſtum fuit, nobili morte perennet. Ita Donatus voces illas coniungendas

iungendas monet, *In aeternum maximè* (inquit) *quasi illum meritò tantæ virtutis inter illustres & primos esset habitura memoria.* Aptissimè sanè!

Quod officium interfectis in bello, Pallanti præsertim, impleuit Æneas, totum sese ad illorum funus honoremquè conuertit. Vota Deûm, quæ promiserat, soluit; cum ecce tibi ad muros reuertenti Troiano Duci ab Rege Latino Legati veniunt & pacem petentes, & orantes veniam, & illius amicitiam, quod & ipse optauerat, expetentes. Peractis ille diuinis obsequijs 46 Qui diuinis se impendit obsequijs, quid non felicissimum consequatur?

Ad altos

Tendebat muros, gressùmquè in castra ferebat.

Et additur, *Iamquè oratores aderant ex vrbe Latinâ*

Velati ramis oleæ, veniamquæ præcantes.

Vidit præclarè Donatus. *Ecce ostenditur euentus; non frustrà Æneam à funere reditum habuisse; nam cum remearet ad castra, veniebant ex vrbe Latina missi qui rogarent, & veniam poscerent.* Ex pietate namquè certus esse solet, & facilis ad felicitatem transitus. Ex pietate certus est ad felicitatem transitus.

Magnum Donatus notat fuisse discrimen inter Æneam, & Latinos, dum suorum vtriquè funera curant: hi namquè ab Troianis sibi timentes, veniam priùs petendam censuerunt, & Legatos mittunt, qui illam ab Ænea assequantur. Hic illorum timor culpâ non caret, vtpotè qui in ijs, quæ Deo mortuisquè debentur, timidi fuerint! Æneas verò, omni excluso timore, suorum sepulturam indixit, & exequutus est. Illorum metum attende, 47 Cum ea, quę Dei sũt exequeris, õnis omninò, timor absesto.

Ecce Oratores aderant ex vrbe Latina

Velati ramis oleæ veniamquè precantes,

Corpora, per campos ferro quæ fusa iacebant,

Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ.

Quid Æneas?

Socios, inhumataquè corpora terræ

Mandemus.

Et iubet audacter;

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis

Hanc patriam peperere suo, decorate supremis

Muneribus.

Quantum additur Æneæ virtutibus! (inquit Donatus.) *Cum ipse enim suorum sepulturam curare præceperit, cum mitteret Pallantem, nullum rogandum censuit, nec metuit quemquam. Ecce Latini rogantes inducuntur, & poscentes veniam, illud impetrare cupientes, vt corpora sepulturæ mandari permitteret, quæ per omnes campos videbantur esse prostrata.*

Ius hospitij inuiolabile est, quod Latini Oratores inprimis proponunt, vt Æneas tumulo succedere permittat occisos. 48 Hospitij ius inuiolabile.

Parceret hospitibus quondam.

Hanc sibi annui veniam, ex hospitij iure vel initi iam, vel ineundi, precantur. Donatus. *Parcendum his hospitij contemplatione, quod aliquando iunxisset.* Magnam sanè vim habet hospitij ius, & quamlibet veniam extorquet.

49 Rhetoricæ illud præceptum est, vt illum præmunias & laudes, à quo aliquid petis. Hoc vsi præcepto sunt Oratores Latini apud Æneam, à quo sepulturam suis expetebāt. Vbinam Æneæ laudes prætermittuntur ad veniam? hìc;

Leniendus ille, & laudandus est, à quo aliquid petis.

Tumulo fineret succedere terræ
Corpora, per campos ferro quæ fusa iacebant.

Illius maximè virtutem laudant, qui suâ dexterâ occisis campos oppleffet, quos præ multitudine singuli singulos tumuli claudere neutiquam possent, sed vnâ necesse esset congerie, & aggere tegerentur. Pulchrè Donatus.

Augmentum factum est laudi, cum ij, qui dicebantur occisi, latos campos opplessent, & ille, qui resilientes strauerat, sepeliri sa tem iuberet exanimes, ac fineret tumulo tegi. Non dixit Tumulis, ne cæsorum minueret numerum; cum enim pauci sunt, possunt singuli suo quisque tumulo tegi; cum verò magnus sepeliendorum est numerus, vna simul congerie, & aggere vno clauduntur,

50 Ingenuam Latini verecundiam præseferunt, cum veniam precantur ab Ænea. Quid ille? audi.

Ingenuè verecundos, & humiles Superior attollat & recreet.

Quos bonus Æneas haud aspernanda precantes
Prosequitur venia,

Quid prætereà?

Et verbis hæc insuper addit.

Et paulò post.

Pacem me exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere mallem.

Præclarè *Bonum* appellat hìc Æneam, qui Legatorum subtimidam verecundiam, & ingenuam humilitatem ampliori votis veniâ fuit prosequutus. Ita expedit locum Donatus. *Bonus, quia postulata concessit, & quia addidit sponte, quæ legatorum vota cumularent. Cum verò dicit, Et verbis hæc insuper addit, confirmat illum esse admodum Bonum; illius enim re verâ bonitas plena est, quæ petita præstat, & plusquam sunt postulata, largitur.* Bonus ergo Superior ingenuè verecundos attolat & recreet.

51 Debet Superior inferioris culpam, quam corripit, interdum excusare; sic enim salutaris correptio fit, nihil alioqui profutura. Sic Æneas dum Latinos obiurgat, culpam prudens in fortunā reijcit, nō eâ eos onerat;

Superior inferioris culpam, quam corripit excuset interdum, vt salutaris correptio fit.

Quænam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?

Vbi perpulchrè Donatus. *Beneuola obiurgatio! vsquè adeò, vt quod delicti ipsorum fuit, diceret esse Fortunæ. Non arguit, non*

non accusat, sed magis eorum defensioni adhibet adiumentum. Volebat quippe Troianus reprehensionem proficere, non officere. Addit deinde idem interpres. *Sic enim qui fidebat suos fore saluos potius, quàm perditos cupiebat esse.* Ideo ergo beneuolam adhibet obiurgationem, ne perdat.

Gratissimum omninò est beneficium præstanti, præstare sentienti. Sic Æneas ad Oratores Latinos 52 Sentienti beneficium præstare, præstãdi gratissimũ est.

Pacem ne exanimis & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere mallem.

Vbi præclarè Donatus. *Quàm cito ostendit sepulturam mortuis se velle præstare, cum dicit & viuis concedere mallem. Magis, inquit vellem & viuis præstare beneficium pacis, quia beneuolentiam meam exanimes sentire non possunt.*

Expende *Miseros* esse appellatos ab Ænea eos, quos fortuna pressit aliena, & non suo, sed in Turni negocio perierunt. 53 Miser est, quem aliena fortuna pressit indignè.

Ite, ait, & miseros supponite ciuibus ignem.

Quod benè Donatus notauit. *Miser est, quem innoxium premit aliena fortuna. Bene ergo hic Miseros dixit, qui non suo, sed in negotio Turni perierant.*

Placet notula Landini in illud Drancis ad Æneam, 54 Qui egregiam famam superat factis, Vir est suprà famã.

O Famâ ingens, ingentior armis,
Vir Troiane!

Supra ipsam Famam vir ille est, qui, quæ de se iactatur, egregiam famam superat factis. *Multis dura* (inquit) *& adversaria constituta est fama, cum ipsi re correspondere non possint. Ergo magna laus est Æneæ, qui famam superet.*

Qui verè Princeps, qui verè Superior, inseruire sibi soli non debet, aut sibi soli consulere; consulat suis, Reip. inseruiat; alioqui dignus non est cui cæteri consulant, cui cæteri inseruiant. Ecce à Drance Princeps Turnus reijcitur, & a Dignitate Principatûs expungitur, quòd *Sibi* semper intentus priuata suâ quæreret commoda, communis ille salutis oblitus. 55 Qui sibi soli seruit Superior, aut Princeps dignus non est, cui cæteri seruiãt.

Quæ at sibi fœdera Turnus.

Alia quærat fœdera, certè non nostra, qui totus sibi studet & vigilat. Landinus hic aptissimè. *Amarè in eum hæc evomit, quasi dicat, non esse habendam rationem eius, qui soli sibi seruiens, vt coniugio Laniniæ potiretur, cæterorum salutem in discrimen adduxit.* Ecce item Turnus idem paulò post est reiectus à populo, ne regnet vt Princeps,

Dirum execrantur bellum, Turniquè hymenæos;

Quare?

Qui regnum Italiæ, & primos Sibi poscat honores.

Notes velim vocem *Sibi* Cum poscit primos honores, Cum regnũ Italiæ, cui poscit? *Sibi* poscit, Reip. oblitus, suorum immemor, cõmuni

bono nil curans. Dignus ergo non est, cui vel vnus inseruiat, dignus qui aduersariorum armis obijciatur, vt pereat. Vbi Landinus. *Nam omnem causam belli a Turno profectam volebant; qui ne amitteret Lauina coniugium, id moueri curauit, nulla habita ratione suorum. Quapropter ipsum obijciendum esse armis, cum certamen omne sumatur, Vt ipse regnet.* Odibiles omnino illi sunt, (quicúnque illi sint) qui vt *Ipsi regnent*, qui vt omnia *sibi* felicissima, honorificentissimáque contingant, cæteros súsque déque habent; neque manum admouent, aut digitum mouent, vbi *sibi* non seruiant, *Sibi* non consulant, & commoda *Sibi* & subsidia non expiscentur. Huiusmodi homines ego non à Superioris solùm dignitate, sed ab hominum etiam consortio remouendos, & extrahendos ducerem.

56 Cordis humani natura est delectari præsentibus, fastidire præterita, desperare futura. Dudum iam Pallantis dextera dederat neci illos, de quibus erecta fuerant, & ad Euandrum perlata trophæa; & tamen præsenti delectatur Euander,

Præsentia vtiquè bona delectant.

Magna trophæa ferunt, quos dat tua dextera letho.

Dedit potiùs dixisses Euander. Quî enim Pallas nunc letho det quemquam, qui & ipse letho deditus sit? Pater est, & filij egregiè facta quasi præsentia considerat, vt leuamen doloris accrescat vberius. Vel fortasse præsenti vtitur, vt significet, quidquid egregiè gestum est, quasi præsens semper in omnium oculos, & memoriam incurrere. Non enim aut euanescit, aut moritur, quod fortiter factum est, & gloriosè gestum viuit, viuit eam vitam, quæ nescit occasum, quæ præteritum ignorat. *Quos dat* (inquit) *tua dextera letho.* Anonymus quidam in margine; *Dat, dixit; nam preclarè facta à senio sunt semper immunia.*

Quidquid egregiè gestum est, omnium semper incurrit in oculos.

57 Eò maior solet esse tristitia, quò maior etiam spes fuit frustrata lætitiæ. In hunc sensum Donatus expendit illa Carmina,

Eò maior tristitia est, quò maior etiam spes frustrata lætitiæ.

Et iam fama volans tanti prænuntia luctus
Euandrum, Euandrique domos, & mœnia complet;
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat.

Quàm grauis fuerat luctus accipiendus de eo, cuius ante momentum victoriæ nuntiabantur, & gloria. Sic Donatus. Aliam Seruius in ijs carminibus moralitatem notauit, eodem simul tempore gloriam cum infelicitate confundi apud mortales. *Benè modò (inquit) vno enim eodémque die & fortiter fecit, & perijt, vt hac te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* Addit Landinus. *Ex qua re ostenditur, quàm varia, mutabilisque sit fortuna, quámque instabilis.*

Eodem sæpè momento gloria cũ infelicitate cõfunditur.

58 Qui grauis animum vulnerat dolor, nulla ille repagula patitur, vim sentit nullam. De immaturâ filij nece grauissimè dolebat Euander, quem vis nulla tenere potuit & Regia insignitum dignitate & senio confectum, quin in medios veniret, & Pallantis cadauer complecteretur.

Nulla grauis dolor repagula patitur.

At non Euandrum potis est vis vlla tenere,
Sed venit in medios.

Benè Seruius hîc; *Vis vlla; non ætatis imbecillitas, nec seueritas Regia.* Meliùs Zerda. *Quid si consideres Euandrum? Erat Rex, & senex, sed erat etiam Pater* (qui filium vnicum Pallantem amiserat) *Itaquè nec regia seueritas, nec senectus inualida Patrem retardant; ruit in medios omnium* &c.

Euandri errorem ducit Donatus, quòd mortuum obiurget. Sed si aliquis præ dolore incursus est error, doloris error est, quem ipse dolor excusat. 59 Dolor nimiùs excusat errorem.

Non hæc ô Palla (inquit) *dederas promissa Parenti,*
Cautiùs vt sæuo velles te credere Marti.

Vbi sic Donatus. *Magnus error dolentis, obiurgat mortuum, quasi iam emendare malè gesta aliquâ ratione potuisset; & cum mortuo interrogationibus loquitur, quasi audire exanimis posset, aut gesta narrare.*

Expendit præclarè Zerda vocem illam *Iuuabit,* quà vsus Euander est in funesta ad Pallantem oratione. 60 Vindicta solatium affert.

Quod si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus antè
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuuabit.

Huc tota Zerdæ nota 13. huius tractûs reuocanda est. *In hoc verbo* (ait) *inest voluptas. Expende ergo. Iuuat me, & recreat in summo mœrore recordatio cæsorum à te. Quasi vnicum sit solatium vindicta sumpta de hostibus.* Quod eruditione confirmat. *Ad rem hanc Liuius lib.25. Qui eam victimam præ se ad inferos misisset, cum decus eximium, egregiúmquè solatium suæ morti inuenturum. Plenius etiam* Solatium *dixit de re eadem* Epist.14. lib.3. non sine vltionis solatio decessit. *Hæc profectò mens est Virgilij, vel ex sequentibus, vbi Euander hoc vnum* Gaudium *quærit, interfici scilicet Turnum ab Ænea in vltionem interfecti filij.*

Quis nobilissimi animi neget esse, proprijs non curare de damnis, dummodò ijs commoda prouehantur aliena? Euandri animus huiuscemodi notæ fuit, verè regiæ, explicante Donato illa Carmina, 61 Nobilissimi animi est propria non curare damna, quibus commoda prouehũtur aliena.

Quod si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus antè
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuuabit.

Si, inquit, immatura mors debebatur filio meo, vtinam de Volscis factâ priùs victoriâ cecidisset; esset quippe occisi gloriosa memoria, si manu eius Teucri ducerentur in Latium. Sic Donatus. Aliena commoda suis vult damnis & incommodis empta, omninò verè Regij animi vir.

Est est moræ impatiens appetitus vltionis. De interfectore Pallantis Turno Euander parens appetebat vltionem, & quando tantæ 62 Vltionis ap-

petitus est morę impatiens. calamitatis suæ apud Troianos memoriam refricat, & iniuriam tractat acceptam, vide quàm impatienter!

Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite.

Sic Donatus pulcherrimè interpretatur hæc verba. *Quid adhuc, inquit, demoror Teucros? pergant potiùs, & repetant arma; eant, dimicent, & orbitatem meam vltione compensent.* Quæuis mora sæculum est vltionem impatienter petenti.

63 Hominum pietati pij respondent cœlites. Respondent proculdubiò Superi pij Hominum pietati. Duobus in locis, in quibus egregiam suam pietatem ostendit Æneas, videre licet annuentes Superos, & Æneiæ pietati fauentes. Primo; Suos Troianus, præsertim Pallantem, occisos extulerat. Pietas Superis sanè gratissima! Vide quod sequitur,

Aurora intereà miseris mortalibus almam
Extulerat lucem.

Æneæ pietati respondet; & idem auroræ tunc temporis verbum attribuit, quasi illa Troiani arrideat pietati. Ille dum mortuos pius *effert*, Aurora suam *extulit* lucem; vt facilè intelligas Auroram pijs Æneæ actibus annuisse. Secundò. Decreuerat lib.4. Æneas, à Mercurio præmonitus, Didonem relinquere; ipse enim ad suos

Soluite vela citi.

Vixquè

Dixit, vaginàquè eripit ensem
Fulmineum, strictoquè ferit retinacula ferro.

Comites verò actutùm, Littora deseruere; latet sub classibus æquor;

Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

Placet Superis nos ruinæ occasionem relinquere. Didonem tandem occasionem ruinæ reliquit. Describit tunc Maro albescentem Auroram his verbis;

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Vbi notes velim verbum *Linquens*. Dum ille Didonem linquit, & Africam, Tithoni cubile linquit Aurora. Placuit Superis obsequens Æneæ animus in linquenda Didone, & ideò cum Aurora oritur, illud vsurpat verbum Poeta, quod desertionem significet, & fugam importet. Ingeniosè notauit Asinius Pollio apud Seruium in locum supra laudatum lib.11. *Asinius Pollio notat, Virgilium aliquando seruare ortum diei conuenientem materia, vt hîc extulerat, efferimus autem mortuos: Et in Quarto quia est relicturus Didonem Æneas, dicit,*

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Landat & Zerda hanc Virgilij concinnitatem; *Nescias* (inquit,) *quâ ratione ista cognatio laudanda sit. Linquit Aurora cubile Tithoni, cum Æneas linquit Didonem: effert Aurora lucem, cum efferendi mortui.*

mortui. Sed ita laudat, vt nesciat qua ratione laudanda sit. Hâc potissimùm, Zerda, Quasi sibi Aurora complaceat de Æneæ pietate, qui mortuos effert, illa effert & lucem: & quia Didonem iussus à Ioue relinqueret, illa cubile linquit Tithoni. Vtrúmque approbat opus Aurora, cum ibi *effert*, hic *Linquit*. Hinc ergo ride Seruiùm, qui postquam Pollionis Notam deposuisset, addit, *Quod licet superfluum sit, in multis tamen locis inuenitur*. *Superfluum* bone Serui? an aliquid in Maximo Poëtarum huius notæ dignum? Superfluum tu quidem narras.

Æquè mortalibus labores dona à Superis esse sentit Virgilius, atquè lucem ipsam, qua viuimus. 64 Donum nobis à Superis labores sunt.

Aurora intereà miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera, atquè labores.

Æquè laudat Auroram, quòd lucem afferat, quàm quòd labores referat. In eâdem linea lux est, & labores & opera, quibus ocium vitamus. Ingeniosè Donatus. *Lux, inquit, alma, hoc est, illustris & clara, quæ quoties existit, non sinit in ocio esse morituros.* Occium Superi damnant.

Hoc loci Donatus notat appositè Virgilium sæpè Auroram, diémquè describere, nunquam noctem. *Multis* (inquit,) *locis Poëta lucescentes dies describit, de noctibus tacet.* Quid hoc? Affectum mortalium esse crediderim, eorum præsertim, qui ethnicorum ritu vitam traducunt. Nox enim mortis imago est, & pro morte ponitur, Virgilio teste, 65 Mortē odimus, vitam appetimus.

In æternam clauduntur lumina noctem.

Lux, & dies pro vita. Obuia exempla in autoribus. Vitat ergo noctis descriptiones, vt vel mortis vmbram sic fugiat; vsurpat Auroræ & lucis, appetens, & auidus vitæ.

Quis vnquam dixit ignem mœstum esse? Et tamen Maro hoc igni attribuit Epitheton. 66 Vel ipsa elementa pietati famulantur.

Et mœstum funeris ignem.

Vbi Seruius. *Mœstū, id est, funebrē, quòd funeris pietati famuletur, Nam mœstus esse non potest ignis.* Blanditur ergo elementum hoc pietati, quam occisorum sepulturæ impendit Æneas; & quamuis ipsissima lætitia ignis sit, in mœstitiam conuertitur; mœstitiam induit & luctum, vt mœstos & laudabili pietate luctuosos comitetur.

Cum Troiani supremum occisis honorem reddunt, quid est, quod fulgentibus armis cinguntur? 67 Pulchra mors lætitiæ significatione prosequēda est.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos.

Nonnulli apud Seruium Poëtam carpunt, quòd ineptè in funere *fulgentia arma*, & illustra posuerit. *Frustrà hoc epitheton notant Critici, quasi circumeuntes funebres rogos alia arma habere debuerint.* Ita Seruius. Præclarè dixit, *Frustra notant Critici*. Prosequebantur enim

Troiani pulchram ſuorum mortem illâ,quâ poterant,lætitiæ ſignificatione, quia fortiter in bello cecidiſſent: neque omninò obliti lachrymarum & luctus,quòd fortiſſimi deſiderarentur ad bellum,nam

Spargitur & tellus lachrymis, ſparguntur & arma.

Et lætantur ſimul,& gemunt; lætantur de felici ſorte fortiter occumbentium; imminutum bellatorum numerum gemunt.

68 Præterita ne te victoria ſecurum reddat. Memoriam abijce feliciter ſemel aſſecutæ victoriæ, ne præ ſecuritate torpeſcas, aut tepeſcas ad alias. En Troiani, ne ſe ad alias præſentis victoriæ pignora & ſpolia ſecuros redderent, aut languenter efficerent, igni conijciunt ea omnia, quæ fouere memoriam adeptæ poterant.

Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Conijciunt igni,galeas, enſéſquè decoros,
Frenáquè feruentéſquè rotas.

Læti præſentibus de futuris fortaſsè non ſatagerent. Crementur igitur vt præter cineres reſiduum nihil ſit; vt vlteriores victorias appetant,& feruenter inquirant. In hunc ſenſum interpretor verba Donati. *In his ſpeciebus licet eſſent multa ob pulchritudinem ſeruanda, tamen promiſcuè omnes mittebantur in flammam.* Addit deinde cauſam. *Hoc enim exigebat memoria victorum, vt, quæ occiſis Latinis detraxerant,cum ipſis funeribus verterētur in cinerem.* Pereat præteritæ memoria victoriæ ne ſpoliorum poſſeſſione nutrita inani illos poſſet ſecuritate deludere.Pereant hæc,ne ipſi ſubeant pereundi diſcrimen.

69 Praui conſortij oſtenditur vis. Seruius in carmen illud vbi de Latinorum cadaueribus in finitimorum agros ſublatis ad Pyram,

Auectáquè partim
Finitimos tollunt in agros, vrbiquè remittunt,

Sic ait. *Meminit antiquæ conſuetudinis; nam ante etiam homines in ciuitate ſepeliebantur; quod poſtea Duellio conſule Senatus prohibuit, & legauit ne quis in vrbe ſepeliretur. Vnde Imperatores,& Virgines Veſtæ, quia legibus non tenerentur, in ciuitate habent ſepulchra. Denique etiam nocentes Virgines Veſtæ, licet viuæ, tamen intra vrbem (nota) in campo ſcelerato obruebantur.* Sceleratum vocat campum, qui ſceleratarum oſſa complectitur, aut cineres habet. A prauo, etiam cadauerum, conſortio nomen ſortitur, & rem. Vis enim praui conſortij ea eſt,vt vel inanimes illo prauè afficiantur. Vide lib.10.n.112.

70 Exēpli boni vis ea eſt,vt vel in hoſte imitandum probetur. Egregium Æneas pietatis præbuit exemplum, cum ad Euandrum miſit funebri pompa nobiliquè Pallantē. Probarunt ſimul & imitati ſunt Latini hoſtes hoſtis exemplum; nam & ipſi Vrbi remittunt,ea cadauera,quibus iuſtiores & nobiliores debebantur exequiæ.

Corpora partim
Multa virūm terra infodiunt, auectáquè partim
Finitimos tollunt in agros, Vrbiquè remittunt.

Vidit Donatus. *Alios ad vrbem remittebant, imitati exemplum Æneæ in Pallantis cauſa.*

Ingenioſè

Ingeniosè Donatus expendit in Emistichio illo, 71 Principum fauor mera vmbra est.

Et magnum Reginæ nomen obumbrat,

Vocem *Obumbrat.* Fauebat Turno Amata Regina, & quamuis magnũ sanè esset Reginæ nomen, *Obumbrabat* tantùm, mera vmbra erat. *Faciebat hoc Reginæ gratia, cuius nomen vmbrâ quadam illam extenuabat inuidiam. Magnam etiam in Turni partibus desperationem monstrat; nam Obumbrat nihil validum significat.* Sic Donatus.

Expende item verbum *Sustentat* in sequenti carmine, 72 Labilis fama est, falsò acquisita.

Multa virum meritis sustentat fama trophæis.

Sustentat, (inquit,) nullam substantiam securitatis admittit; nam vbi aliquid est, quod per se stare non possit, adminiculis ad tempus fultum sustentatur, & regitur; quæ si detracta fuerint, cadit, & desertum auxilijs terræ prosternitur. Ita sanè est; quæ falsò acquiruntur, lapsum timeãt.

Legationem eorum, quos ad Diomedem Euander misit, & Diomedes ad Euandrum remisit, *Sarcinam* vocat, pulchrè Donatus, in illud 73 Dignitas & munera sarcina sunt.

Atquè hic legatos Ætola ex vrbe remissos
Quæ referant, fari iubet.

Remissos, inquit, vt ostenderet Diomedem quoquè ad vicem legationis suæ legationem aliam per eos, qui missi fuerant, remisisse. Sic ergo audiendi fuerant, vt missi; sic rursum, vt remissi: vt officium duplex, & duplicis muneris Sarcinam sustinere viderentur. Hæc Donatus. Et quidem huiusmodi dignitates & munera *Sarcina* grauissima sunt, quæ eò premunt homines maiori pondere, quò maioris illa ponderis sunt, grauiorisquè momenti.

Quis de donorum efficacissimâ ambigat voce, imò oratione? in hanc rem expendas velim illud, quod Latini Oratores; ab Diomede venientes, Euandro dixerunt; 74 Dona efficacissimè loquuntur.

Postquam introgressi, & coràm data copia fandi;
Munera præferimus.

Coràm fandi copiam petentibus data est; illi statim non aiunt, se dixisse, sed prætulisse munera. Quid voci cum muneribus? quid est cum donis orationi commune? Sed quid non? Consequenter sanè & ingeniosè Poëta post datam fandi copiam, prælata fuisse munera immediatè posuit, quasi futuræ illa orationis sint artificiosum exordium, & præuia ad felicem euentum legationis oratio. Sic acutè Donatus. *Præcedere enim obsequium, & commoditas munerum debuit, vt secuturus sermo aures Diomedis gratanter intraret.* Efficax munerum oratio est, quæ vel surdas aures reserare solet interdum, mentes mouere, animos trahere. Durus omninò ille, de quo Regina Dido conqueritur apud Ouidium in Epist. 75 Fœmina potentior ad malum est, quàm hostes & arma.

Et ad mea munera surdus. Loquuntur ergo.

Est ita planè, vt sæpè sit fœmina potentior ad malum, quàm ipsi sunt hostes, & arma. Hoc pulcherrimè expendit Donatus in illa carmina, vbi de Agamemnone à Clytemnestrâ occiso;

Ipse Mycenaus magnorum ductor Achiuûm
Coniugis infandæ prima intra limina dextrâ
Oppetijt.

Indignitatem & acerbitatem rerum multis modis ostendit, vt ille, qui Achiuorum nobilior ductor esse commeruit, vxoris nefaria manu, in ipso domus suæ primo limine, quod post decennale bellum victor ingredi cœperat, incongruo vitæ fine interceptus esset; & qui euasisset virtutis merito tot tantaquè pericula, inde nactus esset interitum, vnde sperabat affectum; vt interiret vxoris ictu, qui Troianorum manus euaserat. Hæc Donatus. Vbi illud obiter notes, *Inde nactus esset interitum, vnde sperabat affectum:*

Inde homines interitũ sæpè nanciscuntur, vnde sperabãt affectũ.

76 Rhetorum hoc præceptum est, vt, quod audientium animis fixum esse volumus, in extrema orationis parte collocemus. Vsus hoc artificio Diomedes est, qui sua in orationis calcem pericula conijcit, vt legatorum animis Latinorum inhereant.

Extremo ponendũ est loco, quod audientium memoriâ fixum volumus.

Hæc adeò ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cælestia corpora demens
Appetij, & Veneris violaui vulnere dextram.

Hoc Seruius artificium notauit. *Artificiosè agit; nam sciens ea, quæ dicuntur in fine, herere animis, suos casus vltimos memorat.*

77 Pœnam post culpam sperandam esse, non verò timendam docet hoc loci Diomedes. Venerem hic in Troiano bello ferro violauerat; ex illo tempore pœnam læsæ Veneris sperauisse se dicit, non timuisse. Quid enim felicius quàm vt culpa commissa pœnæ irrogatione moriatur? Quid infelicius, quam vt eadem, nullâ adhibitâ pœna, torqueat & cruciet?

Post culpam sperãda pœna est, non timenda.

Hæc adeò ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, &c.

Seruius & alij Maronis interpretes *Superanda*, inquiunt, pro *Timenda*. Sed ad rem meam pulchrè & acutè simul Donatus. *Speranda quidam quasi metuenda intelligunt, cum verè speranda Virgilius intellexisse videatur; nam qui aliquid criminis vel sceleris admiserit, consideratione habitâ facti, sperat sine dubitatione supplicium.* Speratur igitur pœna post culpam, non timetur; sic enim conscientiæ stimuli auelluntur & quiescunt. Sopitur culpa, imo sæpè moritur irrogatione supplicij.

78 Vulnerauerat Martem in Troiana obsidione Diomedes, vulnerauerat & Venerem, sed de Veneris vulnere ille laborat, de Martis verò non ita. Fœdissimum sibi Veneris vulnus putat, non Martis. De huius vulnere tacet, illius se criminis maximè accusat,

Qui vir fœminæ infert iniuriã, fœdissimè peccat, qui viro non ita.

Veneris violaui vulnere dextram.

Quod Seruius vidit acutè. *Venerem à se vulneratam tantùm dicit, supprimens Martis nomen, quod ei poterat esse gloriosius.* Addit deinde *Vt videatur Diomedes omnia, quæ pertulit, odio Veneris pertulisse.*

Luat

Luat sanè vir pœnam, qui fœminam affecit iniuriâ.

79 Quis graui culpâ Diomedis socios liberet? ideò pœnâ sunt à Venere affecti. Quâ pœnâ? in aues conuersi sunt, quæ lachrymosis vocibus scopulos implent. Quò magis culpa cognoscitur lugetur vberiùs.

Fluminibusquè vagantur aues (hæc dira meorum
Supplicia) & scopulos lachrymosis vocibus implent.

Humanus vocibus conqueruntur hæ aues. Aues sunt, quæ criminis pœnam tulere sui, Veneris iracundiâ; sed humani sensûs relictum est plurimum, vt ab eis cognitâ culpâ gematur vberiùs. Ingeniosè Donatus. *Indicium fuit humani remanentis sensûs, quod in alituum formâ, vti homines flerent.* Humanus remansit sensus, vt amariùs flerent crimen, quod patrauerant.

80 Hoc loco Diomedes sese reum agnoscit, & arguit violatæ Veneris, ideò, ex explicatione Donati, non pœnam timere se dicit, sed libentissimo animo sperare. Quasi dicat; Quia Venerem ferro violaui (quod meum agnosco scelus & fateor) idcircò spero supplicium; timeram autem illud, si culpam aut negarem, aut aliqua ex parte minuerem. *Ipse se arguit, accusat quippè factum suum, & iure commotos Deos asserit. Quis enim dubitet deberi Superis pœnas, cum ferro, & humanis manibus appetuntur?* Ideo malè illi, *qui speranda quasi metuenda intelligunt, cum verè speranda Virgilius intellexisse videatur; nam qui aliquid criminis vel sceleris admiserit, consideratione habita facti, sperat sine dubitatione supplicium.* Hæc pulchrè Donatus. Qui sese reũ culpæ agnoscit, & arguit; non pœnam timet, sed libẽter sperat.

81 *Dementem* sese dicit Diomedes, quòd Venerem vulnerauerit; & dum fatetur culpam, illam extenuat. Dum dementiam accusat suam, incipit esse non demens. Donatus notauit. *Cum dicit Demens, ipsum factum extenuat.* Qui suã fatetur culpã, illam extenuat.

82 Quæ Latini Oratores Diomedi offerunt munera, quamuis non admisit, non tamen ille contempsit, ne offerentes offendat; Quid ille?

Munera quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Æneam.

Vbi benè Donatus. *Negat quod petebant; ac ne spreuisse pro vilibus munera videretur, asserit, hæc talia esse, quibus placari possit hostis, & nomen hostile deponi.* Quæ Principi offeruntur dona, si non admittat, non tamen cõtemnat.

83 Illustrissimam indicat laudem Donatus illam, quam Diomedes impertitur Æneæ. Loquens enim de Hectore & Æneâ, præfert Æneam, Fortitudo & pietas rarò inueniuntur simul.

Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis;
Hic pietate prior.

Multum laudauit Æneam (inquit Donatus) *asserendo eum meliorem esse, quàm fortis esset, quia præstans pietate; cum vtrumquè in vno homine fuisse satis difficile sit; quòd alterum venit ex substantia corporis, alterum ex animi lenitate. Fortis est, inquit, Æneas, sed*

Vtrãquè virtutẽ in Superiore optimo inveniri par eſt.

citò flectitur pietate. Vtrumquè ideò dedit, vt legati, & quod metuerent, haberent, & quod ſperarent, pro commodo ſuo. Inueniat in Superiore quod timeat inferior; habeat & quod ſperet, & amet.

84 Rem grauẽ præcedat oratio.

Notatu dignum illud eſt, quòd Latinus Rex præfatus dicitur Diuos antequàm grauiſſimi rem ponderis aggrederetur.

Præfatus Diuos ſolio Rex infit ab alto.

Quod expendit Donatus. *Loquuturus ad populum orationem futuram Dijs primò cimmendauit. Et in lib.7. Euander Dij noſtra incepta ſecundent. Et ſic legationi reſpondet. Dabitur, Troiane, quod optas.*

85 Superior Princeps omnem ſuis debet tumultus occaſionẽ præcidere.

In graui illâ & longâ oratione, quâ Latinus ea propoſuit, quibus impendentia mala Reip. poſſent averti, ingenioſè Donatus expendit nullam factam fuiſſe mentionem de Turni, aut Æneæ, aut filiæ nuptijs. In quo prudentiſſimi Principis partes exequutus eſt, ne feruentibus tunc maximè animis, aliquis poſſit inde tumultus excitari? *Clauſit orationem ſuam, de Turni tamen, vel Ænea, aut de filiæ nuptijs nihil dixit; feruentibus enim cunctis, bellorum cauſas nominare non debuit.* Sic Donatus.

86 Tumultuãtes & inuidi nullam evomẽdi veneni occaſionem miſſam faciunt.

Quod conceptum animo venenum habent, quæcunquè ſe det occaſio, illam tumultuantes & inuidi arripiunt, qua illud evomant, & effundant. Vix Latinus dixerat,

Conſulite in medium, & rebus ſuccurrite feſſis

Cum ecce tibi Drances,

Quem gloria Turni
Obliquâ inuidia, ſtimuliſquè agitabat amaris,
Seditione potens.
Surgit, & his onerat dictis, atquè aggerat iras.

Hunc inuidorum & ſeditioſorum affectum notat Donatus. *Expreſſit Poëta hominem inuictum & factioſum. Qui enim prima odia excitare laborando non potuit, nunc, quod facile fuit, augere nitebatur inuenta, ne perderet occaſionem temporis, & opportunitatem regiæ voluntatis amitteret: vel ne exiſteret quiſquam, qui Latini ſtudium pro Æneæ partibus, ad vtilitatem Turni conuerteret.*

87 Ab nobili obijcidenda alij probra nominatim non ſunt.

Nobili erat ortus genere Drances, nam ſic de illo Maro,

Genus huic materna ſuperbum
Nobilitas dabat.

Ideò nominatim Turno probra non obijcit, obliquè illum ſolummodo carpit: ſic enim ille ad Regem Latinum,

Nec te vllius violentia vincat.

Alios apertè laudare nobilem decet.

De Æneæ verò laudibus differens, apertè illum ſignat.

Vnum etiam donis iſtis, quæ plurima mitti
Dardanidis, duciquè iubes, vnum optime Regum
Adijcias.
Quin natam egregio genero, digniſquè Hymenæis

Des

Dat pater, &c. Sæpè laus vnius est, vituperatio alterius.

Vbi benè Donatus. *Suppresso nomine Turnum tetigit. Laus vnius dicta est, & in ea alterius obliqua vituperatio.*

Quis dubitet grauissimam secum sarcinam liuidum trahere? Dixerat supra Drances in Turnum, 88 Grauem secum sarcinam inuidus trahit.

Dicam equidem, licet arma mihi, mortemquè minetur.

Contrà Turnus hos Drancis metus ab illius animo cupiens auelli, ita ait;

Nunquam animam talem dextrâ hac (absiste moueri)
Amittes, habitet tecum, & sit corpore in isto.

Quasi dicat; pleniorem à te vltionem sumam, quia liuidus es si isto in corpore anima sit, quàm si illam ferro & vi extraham; absiste timere à me necem, sic enim diutiùs viuendo cruciaberis liuore peresus. Pulchrè Donatus. *Sit magis tecum anima tua, habitetquè in tuo pectore; meliùs enim de te supplicium dabitur votis meis, si diutiùs viuas, & pœnas iugiter liuoris expendas.* Grauior est liuido vita, quàm mors.

Nota. Qui se vinci non facilè sinunt, sed pro virili strenuissimè pugnant, *Cœlum* meritò nuncupantur à Marone, qui dum Drancem inducit exprobrantẽ Turno, quòd Troianos armis solùm terreret, nec Troianos inuictos *Cœlum* appellat, ex Donatianâ interpretatione, acutâ illâ quidem & pulchrâ; Inuicti Cœlum nuncupantur.

Et Cœlum territat armis.

Proprietas tamen illa est dicti, (verba sunt Donati) *vt Troiani cœlo comparati videantur; quod non posset mortalium aggressione terreri.* Superius Cœlum est quàm vt ab humanâ possit violentiâ lædi.

Caro & sanguis fidentiores nos petiti facit auxilij, quàm publicus honor aut dignitas. Idcircò Turnus ad Latinum confugit non vt Regem, sed vt affinem; Patrem appellat, non Regem; 89 Cognationi aut affinitati fidẽtius hæremus, quã dignitati.

Nunc ad te, & tua, magne Pater, consulta reuertor.

Plus ostendit se socero deferre, quam Regi, dicendo Magne pater; alioquin diceret, Magne Rex. Ita Donatus.

Cum de occiso Mezenzio loquitur Turnus (sic multi existimant interpretes) in ijs versibus, 90 Militare vitium est sibi mutuo gloriam minuere.

Ille mihi ante oculos, fortunatusquè laborem,
Egregiusquè animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens.

Non dicit ab Ænea illum superatum fuisse, & occisum, sed sponte occubuisse, ne quæ patiebantur Latini, videret indigna, cum constet Æneæ ferro & virtute fuisse confossum. Troiano laudem detrahit militantis affectu. Sic Donatus existimat. *Omnes Mezenzium sentiunt, qui cum sua felicitate procubuit, nequè ad illa concilij ludibria reseruatus est. Procubuit moriens sic positum est, quasi non victus cecidisset, sed voluntate sua. Hoc ideò, vt victoris minueretur gloria,*

& praueniſſe talium conſiliorum turpitudinem crederetur, qui voluntate potiùs, quam neceſſitate conciderat.

91

Optima quæquè fœmina probatione eget adſcititiâ.

Quis Camillæ Reginæ dotes ignoret? Et tamen cum illam Turnus laudare apud Latinum vellet, adſcititiam eligit probationem, & egregiâ illam dicit eſſe de gente Volſcorum.

Eſt & Volſcorum egregiâ de gente Camilla.

Nam optima quæquè alienâ poteſt laude probari, non ſuis. Donatus expendit. *Hæc, vt potè fœmina, quia plenâ laude præferri non potuit, applicat & per quæ poſſit iure meritoquè laudari; Volſcorum, inquit, egregiâ de gente eſt; quaſi apud Volſcos non tantùm viri, verùm etiam fœminæ fortes eſſe videantur.*

92

Res in congeriem dictæ mirum in modum augent.

Dee Camilla inquit Turnus,

Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas.

Quantitatem non explicat, vt rem augeat & amplificet. *Non eorum quantitas definitur, vt æſtimatio incerti numeri, fidem veritatis excedens, Ducis meritum cumularet.* Sic Donatus.

93

Ne ſuperior committat, quod reprehendit in alijs.

Reprehendit Turnus Latinos, quòd eo tempore, quo arma ingruebant hoſtilia, concilium ipſi, multiloquiumquè producant.

Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes.

Illi armis inuecta ruunt.

Non debuit ergo, quòd reprehendit in alijs, ipſe committere, ideo ſequitur,

Nec plura loquutus.

Quod notauit in Superiore Donatus. *Multis loqui non debuit, qui in alijs multiloquium reprehendit.*

94

Quò pulchrior fœmina, eò modeſtior ſit.

Latini Regis pulcherrima filia Lauinia, cum in publicum prodit, vide quàm modeſta,

Oculos deiecta decoros.

Pulchra illa quidem, ſed quò pulchrior fuit, eò decuit eam modeſtiorem incedere, *Potuit* (inquit benè Donatus.) *habere fiduciam erigendi oculos, cum pulchri eſſent; ſed quid Virgini pulchræ conueniret eunti per publicum, nouerat.* Quid quod modeſtia virginis maiorem conciliat pulchritudinem? Ideò Virginis oculi decori magis, quia deiecti. Quod oculatiſſimus vidit Zerda. *Et quidem* (inquit in Explicatione) *oculi quò deiectiores, eò magis decori.* Et in Notis; *Ait decoros, quia verè oculi gratiores ſunt, ſi ſint deiecti. Itaquè videtur eſſe in Poeta cauſa pulchritudinis; vt dicat; ideò decori, quia deiecti. Ad quem modum Ouidius dixit,*

Oculi deiecti gratiores ſunt.

Spectabat terram, terram ſpectare decebat.

Modeſti oculi inſidiæ ſunt.

Eſt enim in oculis, vt ſedes pudoris: ita decoris. Ita hoc verum, vt Ouid. 1. Amor. Eleg. 4. hanc modeſtiam vocet veras inſidias:

Siue aliqua eſt oculos in me deiecta modeſtos,

Vror, & inſidiæ ſunt pudor ille meæ.

Ergo,

Ergo, cum idem in Epist. Sapphûs scripsit,

O facies oculis insidiosa meis,

Cur non accipi queat de hac oculorum deiectione? Aperio rationem. Sunt oculi deiecti verè insidiosi, nam verissimè hic est habitus insidiantis: sicuti ille in insidijs est, qui occultus est, nec se dat conspicuum. Hæc ad rem eruditissimus Zerda.

Magno erant Latinæ in periculo positæ, cum ad Palladis templum auxilium petituræ concurrunt; tunc thura & opobalsama prodigunt, 95 Vt magno tete à periculo redimas, tua facilè prodigis.

Et templum thure vaporant.

Vbi Donatus. *Quasi plurima species thuris fauorem Numinis multò maiorem in tanto periculo prouocare potuisset. Sic officiosis manibus altaria cumulabant, vt vapore ipso templi partes vniuersi tepuissent.* Hæc Donatus.

Est sanè quæuis fœminarum cupido præpropera, & moræ impatiens. Exemplo tibi Latinæ sint fœminæ, quæ cum vrbis suæ expugnationem timerent, ad Palladis confluunt templum, illud thure vaporant, & alto de limine mæstas fundunt voces. 96 Fœminarũ cupido quęuis impatiens moræ est.

Succedunt matres, & templum thure vaporant.

Et mœstas alto fundunt de limine voces.

Ita ne verò? tanta vestra impatientia est, vt ab ipso primo templi aditu, ab ipso limine voces mœstas, precésquè fundatis? Succedite templo, ibi securiùs, ibi decentiùs precibus ac pietati vacabitis. Sed facilè fœminis persuadere non poteris, vt impatientes moræ non sint. Hic breuiter, vt assolet, Seruius. *Alto de limine; ad preces festinantiam mulierum ostenditur desiderium.*

Prædonem Phrygium Latinæ fœminæ appellant Æneam; quasi verò Pallas hic sit, Troiæ Princeps, qui rapuerit Helenam. 97 Capitis culpa redundat in corpus.

Frange manu telum Phrygij prædonis

Æneam debuerant dicere; (inquit præclarè Donatus) *volunt tamen ex facto Paridis omnes Troianos esse raptores, & castitatis violandæ grauissimos inimicos.* Culpa quippe Principis in suos sæpè refunditur.

Paris & Phrygius fuit, & prædo; Æneas Phrygius quidem, prædo non fuit; quare ergo prædonem Phrygium appellant iratæ Latinæ? 98 Affectus odij quid non corrumpit?

Frange (inquiunt) *manu telum Phrygij prædonis*

Respondet acutè Donatus; *Nomen Æneæ suppressum est, & dicta sunt ea, quæ habere morsum inuidiæ potuissent.* Affectus odij fuit, qui omnia ferè corrumpit cum veritate coniuncta. 99 Muliebris ira non satiatur vnicâ vltione, duplicem quærit.

Acutè Donatus expendit emistichium illud, quo fœminarum votum Latinarum ad Palladem de Phrygio continetur Æneâ.

Pronum sterne solo

Non satiatur illarum ira vnicâ vltione, vt nimirum victus *solo*

sternatur, vlteriùs extenditur; *Pronum* optant, hoc est, *Confusum*, ex interpretatione Donati. Et victum ergo & confusum precantur. *Pronum sterne solo* inquiunt, *vt Confusus, atque superatus in faciem caderet; hoc est enim in faciem cadere, vt præcipitatus in caput, vultum terra collidat*. Pulchrè sanè hoc Donatus, *Vultum terra collidat*; vbi tertia est vltio, eáquè fœminis visa est grauissima: nulla enim eis potest grauior accidere, quàm vt lædatur & deformetur facies; quam pœnam ex suo sensu in Troiano etiam viro metiuntur, atquè ideò collisam illi faciem, & deformem precantur.

Faciei deformatio fœminis est pœna grauissima.

100 Non facit satis iratæ furori fœminæ vltio illa, quam suis oculis ipsa non videt. Ideo precantur Latinæ fœminæ, vt Æneam Pallas sub portis ipsis effundat, vt suis ipsæ oculis possint videre vindictam.

Iratæ furori fœminæ nō satisfacit vltio, quam ipsa non videt.

Portisquè effunde sub altis.

Notauit ingeniosè Donatus. *Id precantur, vt eo loci fundatur, iaceátquè exanimis, vnde ab omnibus fœminis è muris, ac portis aspici queat*. Et sic illarum ira gratius spectaculum habeat.

101 Accidere non semel solet, vt dum inimicum auidè carpis, illum imprudens tum maximè laudes. Probri nomine Latinæ fœminæ vocant Æneam, *Prædonem*, & *Phrygium*, vt notat Donatus. *Prædo* (inquit,) *& Phrygius deformationis gratiâ sunt posita*. Et tamen tum maximè eodem in carmine laudant; aiunt enim ad Palladem,

Interdum, dum inimicum auidè carpis imprudēs laudas.

Frange manu telum Phrygy prædonis.

Prædonem dicunt, & Fortissimum prædicant, cum aliâ frangi manu non posse fateantur, quàm Palladis. *Frange manu*, inquiunt, Ita Seruius hoc loco; *Tua, aiunt, manu & telo confringe*. Quam maiorem possent laudem consultò, quàm ea est, quam imprudentes & iratæ fœminæ attribuunt?

102 Quæ vulgo temerè iactari solent, fidem non habent; quid ergo Turnus famæ fidem in testimonium adducit veritatis? ineptè satis.

Quæ vulgò iactantur, aliena esse solent à fide.

Vt fama fidem, missiquè reportant
Exploratores.

Loquitur, inquit, fama fidem rerum. Res noua fuit, vt fama loqueretur aliquando, quod credi debuisset. Ita benè Donatus.

103 Summa Superiori sit cura, ne, dum alios æstimat, alios offendat, & dum hos laudat, illos contemnat. Iungit Camillæ Turnus duces, virósquè fortissimos, qui sequantur, & obsequantur pugnacissimæ fœminæ; ne tamen illos possit offendere, néve contemnere videatur, & adiectis honestat, & titulis; *Acrem* Messapum vocat; turmas, non quascúnquè sed *Latinas* dicit; Tiburtum *Ducem* appellat;

Ita hos Superior æstimet, vt illos non offendat.

Tecum acer Messapus erit, turmaquè Latinæ,
Tiburtiquè manus Ducis (sit Donatus legit).

Et ducem laudauit Acrem dicendo; & turmas Latinas affectu laudantis expressit. Tiburtiquè manus Ducis rectè dicitur. Laudauit omnes,

omnes, ne inertes ardenti iunxisse videretur. Prudenter hic Donatus Superioris prudentiam animaduertit.

Præuidebat Diana se non posse instantem Camillæ mortem auertere, quare nec mortem nominat, cum ad Opim futurum Reginæ exitum narrat, 104

Nec nomines quidē, quod non vales auertere.

Graditur bellum ad crudele Camilla,
O Virgo, & nostris nequicquam cingitur armis.

Vbi Donatus. *Signa dedit moritura, non tamen nominauit, quod non valebat auertere.*

Ille verus est amor, quem diuturnitas aluit. Huius bonæ notæ amor Dianæ erga Camillam, 105

Verus amor ille est, qui temporis diuturnitate firmatur.

Neque enim nouus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine mouit.

Quod notauit Donatus sanè perpulchrè. *Hac fuit præcipui amoris gratia, quòd cæteris antiquior videbatur; parit enim maiorem vetustas affectum, & beneuolentiæ meritum temporis diuturnâ continuatione conduplicat.*

Suorum quieti Princeps ac Superior prouideat, quàuis suâ vtilitate, aut dignitate posthabitâ. Hanc Metabo Regi Diana virtutem attribuit qui, vt suorum paci consuleret, regno excessit, & Regiâ. 106

Suorũ quieti Princeps ac Superior consulere debet, quãuis sua vtilitate posthabita.

Priuerno antiquâ Metabus cum excederet vrbe.

Vim verbi *Excederet*, quo vsa est Diana, expendit Donatus. *Defensio alia innocentiæ Regis, vt cessisse potiùs malis, & plurimis, quam ob aliquod crimen iustè videatur eiectus.* Sic Donatus. Vbi alia moralitas inest, Culpæ scilicet malum, imò vmbram culpæ solutiori fugiendam esse pede, quàm mala pœnæ millena.

Culpa fugienda, licet millena pœnæ mala subeunda sint.

Cum Metabus vrbe antiquâ Priuerno fugam arripuit, non secum abstulit aurum, diuitias &c. Sed infantulam filiam auexit, cætera oblitus;

Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem. 107

Nulla pignora potiora sunt filijs.

Nulla quippe pignora potiora sunt filijs. Donatus expendit; *Non aurum, non opes curauit, non saltem vitæ subsidia requisiuit, eripuit filiam bello, perditi regni solatium in ipsius salute constituens.*

Quis, ô Rex, infantilibus obvolutam pannis Camillam infantulam, quam exilio comitem rapis, portaturus est? quæ lacte nutritura est? Omnia tibi, quæ difficillima sunt, expeditissima paternus amor effecit. In hac voce *Infantem* millena continentur incommoda, eàque difficillima, Pulchrè Donatus. *Infantem auexit, magnum onus aggressus non corporis, sed ætatis; portabat enim talem, quæ adhuc fari non posset, & cui deesset nutricis auxilium, sed portabat Pater.* Portabat quippe Pater, quem paternus amor vrgebat, & ad difficilia quæque expediebat. 108

Vel difficilia amanti expeditissima sunt.

Suos Metabus in vxore castissimos amores amiserat; sed ingenio- 109

Ingeniosus amor est, vt suos nutriat amores. sus amor illos substituit in fuga. Filiam, regni spem, comitem rapit, & qui Casmillam perdidit, Camillæ nomen indit infantulæ, quâ, mutilato nomine, suam ipse orphanitatem soletur, & nutriat amorem;

Matrisquè vocauit
Nomine Casmillæ, mutilata parte Camillam.

Benè; (inquit Donatus) *habiturus in exilio comitem filiam, in appellatione infantis, dulcissima nomen vxoris.*

110 Alienos Superior minuat, aut excuset errores. Volsci tela in Metabum sæua iaciebant, intorquebant iacula, sagittas explodebant; Diana tamen, cum hanc in Regem sænitiem narrat, non in Volscos hanc culpam, sed in tela, in iacula, in sagittas reijcit. Ait enim,

Tela vndiquè sæua premebant.

Non tamen ipsa fuerunt tela sæua (inquit Donatus) *sed homines, qui illa portabant.* Dea quippe erat quæ alienos nouerat errores, & crimina aut minuere, aut certè diuertere.

111 Grauissima sunt timori pericula quæuis. Notes velim, quæ hîc de fugitiuo Metabo Maro. Præmisit, illum solorum nemorum iuga longa petijsse.

Iuga longa petebat
Solorum nemorum.

Et immediatè addit,

Tela vndiquè sæua premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.

Non congruere satis videtur secundo primum, nec primo secundum. Si solis & desertis in montibus vagabatur, quî fieri poterat, vt coniectis vndiquè telis premeretur? Ingeniosè Poëta timentem describit, cui pericula quæuis, & ab eo sæpè quàm longissimè dissita, timorem afferunt, quasi præsentia illa aut patiatur, aut sentiat. In hunc sensum Donatum traho. *Omnis* (inquit) *fugientem presserat desperatio, multis vndiquè armatis persequentibus.* Quasi dicat; ideo illum omnis presserat desperatio, quia fugiebat; à timore suo præsentia pericula formidabat; vel arborum ramos putabat tela, vel nemorum vmbras hostes credebat.

112 Innocentiæ duplicata contingunt auxilia. Innocentem Diana Metabum pinxit, ibi;

Pulsus ob inuidiam regno, virèsquè superbas.

Vbi Donatus: *Purgat eius personam, & illum magna laude prosequitur. Esse enim crimen posset, si causa non diceretur exclusi. Ob inuidiam dixit, vt ostenderet nullam expulsionis suæ præbuisse materiem, sed illam vim superbia potiùs ciuium, & studio æmulationis exortam.* Innocens ergo Metabus fuit. Vide igitur duplicata auxilia contigisse innocentiæ;

Telum immane manu valida quod forte gerebat
Bellator, &c.

Aduersariorum vi compulsus ad flumen, quod *Spumabat ripis,* *(tantus*

(tantus se nubibus imber Ruperat) duplex experitur auxilium, aliud ab immani telo, aliud à validâ manu. Expendit præclarè Donatus. *Opportunitas duplex, ac præsentibus consilijs congruens; nam & telum magni roboris fuit, & portator ipse fortissimus.* Sic & infantulæ vitæ prouidit, & suæ. Non poterat non innocentiæ duplicatum contingere auxilium.

Metabi pietati Donatus adscribit prudentiam & ingenium, quo vsus est, vt in alteram Amaseni ripam tutò filiam transmitteret; 113 Pietas prudens & ingeniosa esse solet.

Libro, & syluestri subere clausam
Implicat, atquè habilem mediæ circumligat hastæ.
Quam dextrâ ingenti librat.

Circumspectum patrem acuta pietas fecerat; nam ex arborum cortice librum fecit, quo infantem clauderet; teneris enim membris necessarium adminiculum fuit, quo contineri possent, & ad vlteriorem ripam integra peruenire. Sic Donatus. Ingeniosum illum in præmeditatione pietas fecit, in executione prudentem. Pium pietas aberrare non finit.

Hispana illa parœmia est, *A Dios Namando, y con el mazo dando.* 114 A Dios Namando &c.
Qua doceamur supernum à nobis auxilium ita esse expetendum, vt non totum Superis relinquamus, laboremus & nos, & quaquà possumus industriâ nostrâ satagamus & manu. Ingenti dextrâ circumligatam hastæ dum librat infantem Metabus parens, cœleste simul precatur auxilium. Et quòd vtrúmquè coniunxerit, voti sui sic tandem compos euasit.

Quam dextrâ ingenti librans ita ad æthera fatur.
Alma tibi hanc nemorum cultrix &c.

Vbi benè Donatus. *Quod fuit pijssimi patris, & quod in potestate habuit, fecit; euentum verò, quem in manu non habuit, credidit de cœlo poscendum.* Non enim otiantibus, & inertibus Deus, sed laborantibus præstò esse solet.

Vix sibi constabat Metabus, quando summo in periculo constitutus hinc telorum hostilium, inde exundantis fluminis vim exhorrebat. Tunc ad Dianam conuersus vide quàm perturbatâ oratione, quàm verborum structurâ inconstanti præfatur. 115 Qui maximo est in periculo positus vix sibi cōstat.

Alma tibi hanc nemorum

Quæ hæc est collocatio verborum? quem hinc sensum elicias? opportunissimum sanè homini, qui præ periculi magnitudine sibi non constat. Grauiter hîc & acutè Donatus. *Dolentis & perturbati dictio; & eius, quem hostilis iam premebat exercitus*, fluménquè tardabat.

Rex erat Metabus, Camilla regia; quid ergo illam pater *Famulam* vouet, & seruam adscribit, cum illius tueri vitam, & libertatem vellet? 116 Cum te Superis seruū adscribis, tuā veriùs libertatem tueris, & firmiùs.

Ipse pater (inquit) *famulam voueo.*

Non alio pacto veriùs & firmiùs posset infantulæ vitam, rêgni

ſui ſpem, illæſam ſeruare, quàm dum illam Superis vouet ex animo. Cum illius mancipat libertatem, auctiorem redd.t, ſecur.orem, & feliciorem efficit. *Sic, inquit, tibi hanc voueo, vt deſinat mea eſſe filia. Æquius enim patri videbatur, vt viueret, eſſétquè in obſequio Dea, quàm cum ipſa libertate acerbo periret interitu.* Hæc Donatus. Volebat pater vt viueret filia, ſicquè tandem regnaret; non potuit ergo expeditiorem ille inuenire viam, quàm hanc, cum ſcilicet *Famulam* natam vouet Dianæ. Vnde ſequitur,

Haſtam cum virgine victor
Gramineo, donum Triuiæ, de ceſpite vellit.

Quæ cum creuiſſet, Regina tandem Volſcorum facta, ſuppetias nunc Turno fortiſſimè tulit.

117 Si officioſus in Superos fueris, illorum in te beneficentiam largiorem experieris. Cupiebat Metabus largam Deorum beneficentiam experiri; quam ergo in hunc ſcopum diligentiam adhibuit? hanc nimirùm: de præſenti infantulam vouet, non de futuro. Præſens expetebat & precabatur auxilium, præſens etiam votum Superis offert.

Quò liberalior in Superos, eò in te liberaliores Superos ſenties.

Ipſe Pater famulam voueo.

Non dixit, ſi ſaluam, ô Diana, filiam meam præſtiteris, illam tibi vouebo; ſed iam inde illam voueo. Quod expendit pulchrè Donatus. *Quod autem dixit Voueo, non de futuro loquutus eſt, ſed de præſenti; in promiſſione quippe poſt euentum proſperum poſſet mutare ſententiam, poſt tranſlatum verò donum, nihil cogitare, quod admitteret fraudem.* Liberalem ſe Superis exhibet de præſenti, qui præſens optabat & precabatur auxilium. Voluit ſe ita voto conſtringere, vt nulla poſſet irrepere fraus, aut dolus ineſſe; quo faciliores in ſe experiretur.

118 Fide Deo; fit enim ſæpè, vt ijs, qui Deo fidunt, vitam afferant, etiam illa, quæ vt plurimum ſolent mortem inferre. Dianæ fidit Rex Metabus, cum alligatam haſtæ Camillam iactu miſit in alteram Amaſeni ripam,

Iis, qui Deo fidunt, vitã affert etiam id, quod mortem ſolet inferre.

Accipe teſtor
Diua tuam, quæ nunc dubijs committitur auris.

Mirum! fouit haſta vitam Camillæ, quæ apta nata eſt inferendæ neci? Quis vnquam vitam à telo, non mortem potius extimuit? Commutantur ſortes ei, qui ſuas habet in Deo ſpes collocatas,

Fugit in iaculo ſtridente Camilla,

Et in alteram Amaſeni ripam peruenit incolumis; ſic enim illam Parens, cum flumen & ipſe natando traieciſſet, inuenit;

Atque haſtam cum Virgine victor
Gramineo, donum Triuiæ, de ceſpite vellit.

Vbi ingenioſè Donatus. *Certè quàm periculoſam fuit haſta iactu liberari, quæ auſpicio humanæ necis facta eſt, non ſalutis.* En tibi quæ inferre

inferre necem solet, attulit vitam eis, qui dubijs etiam in rebus Superûm nituntur auxilio.

Felicitas summa est in innocentia cadere; contra verò infelicitas, innocentiæ amittendæ periculo exponi. Moriatur innocens, ne periculum subeat erroris. Hæc ratio est, cur Diana innocentem Camillam, cum mortem fugit in iaculo, & salua recipitur à Parente, *Infelicem* appellat; quæ felicissima esset, si suâ in innocentia cecidisset; 119

In innocentia cadere, felicitas est; eius amittendæ periculo exponi infelicitas.

> *Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.*

Infelicem autem summatim vult esse Virgilius, quòd inde euadit, vnde potuit mori. Sic Donatus.

Cum Metabus suam consecrat Dianæ Camillam, *Infantem* consecrat; 120

Quod Deo sponte voues, melioris illud conditionis recipis.

> *Infantem fugiens media inter prælia belli*
> *Sustulit.*

Deinde sequitur;

> *Ipse Pater famulam voueo.*

Cum verò ipsam in alterâ Amaseni ripa recipit victor, *Virginem* appellat; melioris iam illam conditionis nomine vocat;

> *Hastam cum Virgine victor*
> *Gramineo, donum Triuiæ, de cespite vellit.*

Cum *Infans* dicitur, donum est Patris; cum recipitur *Virgo*, donum est Triuiæ; illud est hominis, hoc verò Deæ. Cumulatiora nobis à Deæ redduntur oblata. Acutè Donatus. *Quod Virginem dixit, voto Patris accipiendum est, non ætate puella, dictante ratione.* Quasi dicat; Nisi Pater filiam Dijs consecrasset, melioris eam conditionis nomine dignam non recepisset; in ipso periculo *Infantem* habebat, post periculum *Infantem* habuisset; sed postquam *Infantem ipse Pater famulam vouit*, patris voto factum est, vt melior redderetur, & dignior, quæ *Donum Triuia* vocaretur.

In illa Carmina, vbi de educatione Camillæ, 121

Aliam facit consuetudo naturam.

> *Vtquè pedum primis infans vestigia plantis*
> *Institerat, iaculo palmas onerauit acuto, &c.*

Præclarè Donatus. *Nunc ad eam accedit partem, vt palam fiat, posse naturam consuetudine commutari; nam cum esset fœmina, & amplitudine generis potens, eam locorum qualitas, & vsus viuendi sic solidam reddidit, vt omne, quod sibi natura dederat, respueret.* Est ita planè, vt aliam faciat consuetudo naturam.

Sapientem Metabum! qui cum sciret quanta parentur incommoda otiantibus, quanta mala suboriantur inertibus, cum fœminæ ibi non essent, quæ fœminarum exercitationibus Camillam instruerent, militaribus eam ipse bellator in præludijs exercuit, & teneram exercuit & paruulam; ne otio diffflueret, & langueret inertiâ. 122

Nobiles filij in otio educandi non sunt.

> *Iaculo palmas onerauit acuto,*

Spiculáquè ex humero parua suspendit & arcum;
Tela manu iam tùm tenerâ puerilia torsit;
Et fundam tereti circùm caput egit habenâ.

Instruit eam Pater (inquit præclarè Donatus) *portare, quod iaceret; manibus ferrum missile, humeris arcum & pharetram sustineret; nequè enim fuit in illis locis fœmina, quæ incipienti lanam monstraret, aut telam. Docuit eam Pater, quod prębebat locus, non quod sexus exigebat, & persona discentis.* Sic enim mala præcidebat otiantis.

123 Refugit Amor, quod in amato luctuosum est, nominare.

Accipe Donati notulam in Carmen illud, vbi de Camilla iam iam moriturâ ad Opim Diana,

Chara mihi, comitúmquè foret nunc vna mearum.

Hoc dicendo, ostendit mox esse perituram, (inquit Donatus) *sed quod fuerat luctuosum, amantis animo nominare non potuit.*

124 Superioris authoritas amore condiatur.

Non ita Superior iubeat, vt mera præcepta, & seuera proponantur, exulet amor; authoritas beneuolentiâ temperetur, atquè cōdiatur; sic enim faciliùs ad felicem exitum, quæ imponuntur iussa, deuenięt. Hanc Diana mixturam seruauit, cum Opim iubet fauere Camillæ,

Verùm age
Labere Nympha polo, &c.

Quod obseruauit grauiter, & acutè Donatus. *Iubentis est Age, tamen etiam hortantis; miscere enim debuit cum authoritate beneuolentiam, vt impleretur faciliùs, quod volebat.*

125 Mortis vel nomen fugitamus.

Vel immortalis Diana mortis nomen effugit, cum de Camillâ moriturâ loquitur. Quid illa?

Quicunquè sacrum violarit vulnere corpus.

Quod vidit Donatus. *Sacrum, inquit, violarit vulnere corpus, & de morte tacuit, ne omen quamuis perituræ facere videretur. Ideóquè Violarit posuit, quasi leniter læserit; nec dixit, Quicúmquè illā occiderit.*

126 Qui Deum colit, ab eo non deseritur.

Landinus moralem sensum notat in his carminibus, vbi Diana ad Opim de Camilla,

Hæc cape; & vltricem pharetrâ depreme sagittam;
Hac, quicúmquè sacrum violarit vulnere corpus,
Tros, Italúsve, mihi pariter det sanguine pœnas.

Dixerat supra Solâ contenta Dianâ Æternum telorum, & Virginitatis amorem intemerata colit, quâ integritate iure ita à Dianâ amabatur, vt cum non possit illi eripere lethum, saltem pararet vltionem. Moralis autem sensus est; Qui Deum colit, ab eo non deseritur. Sic Landinus.

127 Virginis corpus vel etiam mortuæ hominum oculis subtrahatur.

Ea esse debet Virginum cura in fugiendis hominum oculis, vt etiam mortua (si fieri possit) eorum aspectibus subtrahatur. Idcircò Diana Virginis Camillæ cadauer pollicetur se ab hominum aspectibus subtracturam, & nube cauâ tecturam esse,

Post ego nube cauâ miseranda corpus, & arma
Inspoliata feram tumulo.

Vbi

Vbi Zerda. *Promittit nouam operam in tuendo defunctæ Virginis corpore, quod ipsa tectura est nube, & sepulchro reddit ura.* Et notã 6. in hunc tractum. *Vult Diana Cadauer Camillæ latens in nube asportandum in sepulchrum patrium.* Vel cadauer Virginis lateat oportet, ne hominum oculis violari quam leuissimè possit.

Iram caue, quæ concepta animo optimum quemquè deformat. 128
Irarum æstus in interfectorem Camillæ conceperat Opis, & cum cœlestis illa Nympha esset, nigro tamen statim circundata turbine fuit; & in vultum ita habitúmquè manauit,

Irarũ æstus deformat iratum.

Illa, leues cœli demissa per auras.
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.

Nigra turbine deformata est, quæ cœlesti paulo antè Iride, *superis in sedibus*, vestiebatur. Ingeniosè Zerda; *Nigro turbine dixit, credo ad significandum æstum irarum, quas iam Opis conceperat contrà interfectorem Camillæ.*

Vocat hoc loci Virgilius Camillam *Amazonem*; 129
At medias inter cædes exultat Amazon.

Non quod ipsa nata esset Amazon, sed quòd factis gloriam imitaretur Amazonum. Præclarè Donatus. *Amazon dicta est, non nata, sed facta; in hoc magis laudabilis, quia quod aliæ nascendo valuerunt, hæc potuit implere meditando.* Potior est gloria, quam tibi per te paris, quàm illa, quæ tibi quasi hæreditariò contingit.

Potior illa gloria est, quæ tibi parta per te est, quàm quæ hereditariò contingit.

Benè notat Donatus maximum cumulum Camillæ virtutis illum fuisse, quæ medias inter cædes exultaret, & funera. *Quanta istâ in laude Poëta persequitur? vt inter virorum cædes, & funera inæstimabilis numeri sola exultaret, quasi ludicris, & non veris dimicationibus interesset.* Sic Donatus. 130

Maxima est virtus, medijs in cædibus agere impauidè.

Qui charus est Superis quasi diuinitatem hoc ab amore participat. 131
Charam semper habuit Diana Camillam; sic enim illa suprà,

Chara mihi ante alias, neque enim nouus iste Dianæ
Venit amor.

Ideò crediderim à Virgilio attributũ esse Camillæ epithetõ Dia;

Quas ipsa decus sibi Dia Camilla
Delegit, &c.

Deo charus quasi Deitatẽ ab amante participat.

Ab amore nimirum, quo Diana Camillam complectebatur. Ingeniosè Donatus. *Tantùm Camilla ad Dianæ animum accedebat, vt apud socias suas pro Dea haberetur.* Deæ erga Reginam amor eam diuinizauit. Tanta diuini amoris est vis.

Principum laudibus alienæ inferiorum laudes miscendæ non sunt, 132
ne ij Principibus pares, aut suppares aliqua ex parte videantur. Politicum hoc documentum notauit Donatus in illis Virgilij carminibus, vbi cum de Camillæ laudibus ageret, Larinam, Tullam, & Tarpeiam, Reginæ socias, & belli ministras recenset tantùm, neque illas à rebus præclarè gestis commendat.

Cum Principem laudas illi ne attexas.

Quas ipsa decus sibi Dia Camilla
Delegit, pacisquè bonas, belliquè ministras.

Nullam istarum dicit belli gessisse certamen, sed asseruit ministerio fuisse bellanti, ne fortè ipsa, quæ laudabatur Regina, esset inferior, si exercitatione illa præstarent. Hæc Donatus.

133 Quàm vitæ securus, quàm mortis oblitus campum Orphitus pugnaturis ingreditur! ad ludos potiùs illum ire dicas, & festiuissimos ludos, si eius ornatum, arma, animósquè consideres;

Eum sæpè, qui sibi videtur esse securior, Mors rapit.

Procul Orphitus armis
Ignotis, & equo venator Iapige fertur,
Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit; Caput ingens oris hiatus,
Et malæ texere lupi cum dentibus albis.
Agrestisquè manus armat sparus: ipse cateruis
Vertitur in medijs, & toto vertice suprà est.

Caue Orphite, nec de tanta tibi securus elegantiâ blandiaris; huiusmodi námquè homines Mors inuadere solet, ac rapere. Dictum, factum. A Camilla traiectus telò prosternitur.

Hunc illa exceptum (nequè enim labor agmine verso)
Traijcit.

Præclarè hîc Donatus. *Temerarius bello sese miscuerat, & eius inertiam armorum qualitas demonstrabat. Debuit igitur belli sentire virtutem, qui arbitratus est non emersurum quemquam, à quo posset occidi.* Quasi debita pœna Mors est nimiæ vitæ securitati; quod significare videtur illa verba Donati, *Debuit igitur belli sentire virtutem*, &c.

134 Studia, & tempora inuertenda non sunt; inde enim grauissima importari incommoda solent. Inuertit tempora Orphitus, & inuertit studia, quando inter belli labores quærit commoda pacis. Venatoris studio, elegantibus pulcher armis, tendebat in aciem, quasi feras agitaturus esset in syluis. Ideò fortasè grauissimum sibi illatum est damnum, nex nimirum telo Camillæ. Quod & illa exprobrauit in Tyrrhenum innecta;

Ne studia, aut tempora inuertas: quod ipsum importare grauissima solet incõmoda.

Syluis te Tyrrhene feras agitare putasti.

Nunc venatoris habitu venandi feras tẽpus non est, sed bellatoris studio & armis congrediendi cum hoste, cædésquè patrandi. Sic expenditur Donatiana paraphrasis. *Apparet, inquit, tua vanitas gentis, ratum quippe te constat, non contra homines ire, sed feras; & non in campum, aut bellum sed in syluas venandi voluptate contendere.*

135 Sæpè tibi inde per iracundiam dedecus paras, vnde honorem petebas. Iracunda omninò Camilla fuit, cum ad Victum à se Orphitum sic loquitur,

Sæpè inde tibi per iracundiam dedecus paras, vnde honorem petebas.

Advênit, qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret.

Hîc

Hic à se ipsa imprudens læditur; se ipsum per iracundiam prodit, vbi suum petebat honorem. Muliebria per iracundiam deprimit arma, dum illa hoc facto conatur attollere. Ingeniosè Donatus. *Ipsa per iracundiam factum suum depressit, dicendo, magnum esse dedecus armis muliebribus viros occumbere.*

Suam Camilla seueritatem erga Orphitum lenitate temperasse videtur. Seueritate vsa est, quando illum 136 A Superiore temperanda est lenitate seueritas.

Exceptum (neque enim labor agmine verso)
Trajicit, & super hæc, inimico pectore fatur.

Sed Regina debuit seueritatem hanc lenitate aliquâ temperare. Quâ? hac nimirum.

Nomen tamen haud leue patrum
Manibus hoc referes; Telo cecidisse Camillæ.

Quasi dicat; potui merâ in te seueritate vti, & alieno te ferro iugulandum præbuisse. Nolui tamen Regina meram exercere seueritatem, sed eam lenitate temperaui; meâ dexterâ cadis, Camillæ occumbis telo, quam ad Manes gloriam deduces. Sic enim & meus in te rigor debuit temperari, & tua potest pœna leuari. Sic Donatiana paraphrasis, quæ *Patrum* legit, non *Partum*. *Cum veneris ad Parentum tuorum manes, comitabitur te magna nominis fama, erisquè dissimilis cæteris, quod Camillæ dexterâ dicaris occisus.* Vides ergo à Superiore Camilla temperatam fuisse lenitate seueritatem, mortem vitâ, vulnera famâ, honore cruorem. Vide illud lib. 10. de Lauso *Æneæ magni dextra cadis.*

In præcedenti loco aliud etiam Donatus expendit, inueniri nimirum sæpè in ipsa infelicitate felicitatem. 137 Interdum in ipsa est infelicitate felicitas.

Manibus hoc referes; telo cecidisse Camillæ.

Quid infeliciùs Orphito Duci, quàm à fœmina occidi? quid feliciùs quàm à Camilla? *Habes maximum crimen* (ait Donatiana paraphrasis) *quòd fœmina tibi intulit mortem; laudem verò meliorem, quòd Camilla.* Prima infelicitas secundâ felicitate leuatur.

Dolosâ Ligur arte vsus Camillam victricem victus ipse fugiebat; Victrix victum subsequitur, 138 Iratus victoris vultus alapa est grauissima victo.

Frenisquè aduersa prehensis
Congreditur.

Non turpiorem potuit. Regina impingere alapam & grauiorem victo, quàm *aduersam* consistere, & plenum irâ vultum ostentare fugienti; Expende hîc verba Donati. *Ipsum equû velocitate transijt, deinde, quasi rediens in faciem fugientis impacta est.* Præclarè sanè dixit, *In faciem fugientis impacta est*; nihil est irato victoris vultu grauius victo, instar alapæ impactæ profectò est. 139 Humanitas in Superiore, & Principe mira in inferioribus operatur.

Dux Troianus Tarchon, quando fugientes suos reuocare conatur à fuga, (negotium sanè difficile in fugæ tumultu) nomine quémquè vocat perhumaniter; sic Maro,

Nomine quemquè vocans.

Qua Ducis humanitate ſtatim factum eſt, vt adverſo ore conuertenterentur in hoſtem, qui terga vertebant;

Reficitquè in prælia pulſos.

Huius effectûs cauſa humanitas fuit, vt expendit Donatus, quæ mira in inferioribus ſolet efficere. *Ecce quantum poſuit cauſa; Et quanti refecti ſunt commemoratione nominis proprij!*

140 Tunc Superior fructuosè iubet, cum, quæ iubet, primus exequitur.

Eſt ita planè, vt tunc fructuosè & efficaciter Superior iubeat, cum, quæ iubet, ipſe primus exequitur. Iubet Tarchon ſuos in hoſtem conuerti; quid ille?

Hæc effatus, equum in medios moriturus & ipſe
Concitat, & Venulo aduerſum ſe feruidus offert.

Bonus quippe Superior, qui, quod iubet, primus aggreditur. Pulchrè Donatus. *Debuit prior aliquid audere, qui omnium hortator extiterat.* Optimi leges Superioris impleuit, ſicquè inferiores ad iuſſa pertraxit.

141 Seueritatem edocti à cœlo Superiores interdũ eam exerceãt in ſuos.

Seuerum in ſe Iouem expertus eſt Tarchon, quo ſtimulante in bellum eſt & in aciem compulſus.

Tyrrhenum Genitor Tarchontem in prælia ſæua
Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras.

A Ioue Tarchon ſeueritatem edoctus, eandem & ipſe exercet in ſuos; ideò acriter eos excitat, & impulit in arma;

Quis metus, ô nunquam dolituri ô, ſemper inertes,
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
Quo ferrum? quidvè hæc geritis tella irrita dextris?

Vbi Donatus grauiter. *Imitatus eſt Iouem, qui eum ſtimulis haud mollibus excluſit in campum; nam ipſe quoquè acriora ſuis ingeſſit.*

142 Superioris exẽplo per compẽdium docetur inferior.

Non dubium, quin Superiorum exemplo per compendium inferiores doceantur, Multa loquutus Tarchon ad ſuos, quibus eos poſſet fugientes in hoſtem conuertere; decreuit tandem eos animi magnitudinem per compendium docere (inquit Donatus) atquè idcirco præit exemplo illos, quos & dignitate præibat.

Tantum effatus, equum in medios moriturus & ipſe
Concitat, & Venulo adverſum ſe feruidus offert.

Citò dixit (Donati verba) *obtulit ſe Venulo adverſum. Debuit enim prior aliquid audere, qui omnium hortator exiſteret.* Cum ſe obtulit adverſum Venulo, ſuos omninò per compendium edocuit. Sic enim expendo verba illa Donati, *Citò dixit:* breuis eſt ſanè & compendioſa Oratio Superioris exemplum. Vnde ſequitur,

Ducis exemplum, eventúmquè ſequuti
Mæonidæ incurrunt.

Vbi idem interpres notat acutè non dixiſſe Poëtam Tarchontis ſocios Ducis verba, ſed exemplum fuiſſe ſequutos. *Hos non animarunt Tarchontis dicta, ſed exemplum, & facti euentus, in quo auſpicium*

tium cæteris fuit, & fiducia dimicandi. Sic Donatus.

Acutè Zerda notat Tyrrhenos, vbi primùm Ducis sui exemplum sequuti sunt, in spem venisse optimi eventus, & talem sibi iam inde fuisse pollicitos. 143 Si bonum Superioris sequaris exemplū bonum tibi iſ inde potes evētum polliceri.

Ducis exemplum, eventúmquè sequuti
Mæonidæ incurrunt.

Tyrrheni (inquit) *ad Principis sui exemplum auidè contra hostes incurrunt. Adycit Poëta etiam Euentum, quasi promitterent iam inde sibi eandem felicitatem.* Vndenam sibi promitterent, nisi quia Ducis exemplum sequuti sunt?

In his carminibus, vbi insidiantem Camillæ vitæ Virgilius describit Aruntem, 144 Humana gloria insidiis obnoxia.

Qua victrix redit illa, pedemquè ex hoste reportat
Hac iuuenis furtim celeres detorques habenas. &c.

Et Camillam insidiantem Chlores, eodem tempore,

Hunc Virgo, sine vt templis præfigeret arma,
Troia, captiuo siue vt se ferret in auro
Venatrix; vnum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur, totumquè incensa per agmen
Fœmineo prædæ, & spoliorum ardebat amore.

Notat præclarè Zerda humanas glorias esse insidijs obnoxias. *Vbi ego noto* inquit Notâ.7.) *miram poësim ex duabus personis Arunte & Camillâ. Aruns obseruat Camillæ vestigia, Camilla Clorei; Aruns cautè, & cum dolo Camillam sequitur, cupidus vindictæ; Camilla incautè Chloreum, cupida spoliorum, Aruns pererrat omnem aditum, omnem circuitum, vt vnam petat Camillam; Camilla totum agmen, vt vnum Chloreum. Ita sunt humana; ille tibi insidias struit, tu alteri.* Dum tu alteri dānum moliris, alter tuum tibi.

Cum Camillam Maro describit suis tractam cupiditatibus, & abreptam amoribus spoliorum & prædæ, 145 Qui suis cupiditatibus trahitur, ad sua damna surdescit, & cæcutit.

Totumquè incauta per agmen
Fœmineo præda, & spoliorum ardebat amore,

Dum Chloreum insectatur ad necem; tunc & surdam depingit, quæ sonitum arcûs & venientis teli ab Arunte non audiuerit; & cæcam, quæ suum ipsa periculum incauta non viderit;

Nihil ipsa, nequè auræ
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli.

Duo hæc loca expendens Donatus ita infit. *Ipsa intereà, quam aliæ cupiditates occupauerant, nec stridorem aëris audiyt, nequè audiyt de summo veniens telum, nequè aliquid peruersi vidit aut sensit.* Damnum suorum sensum omnem amisit, quia ardenti prædæ & spoliorum Chlorei amore rapiebatur. Vnde factum est, vt periret. Audi;

Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumquè altè bibit acta cruorem.

Quanta fuit animi eius occupatio, (inquit idem interpres) *vt nisi lethaliter percussa, hastam venisse nesciisset!*

146 Vidit Aruns opportunam sibi datam esse occasionem coniiciendi teli, & occidendæ Camillæ, & tunc Virgilius ait,

Magnæ cupiditati mora sæculum est.

Telum ex insidijs cum tandem, tempore capto,
Coniicit.

Expendit præclarè Donatus vocem *Tandem*; Nunc hæc Arunti sese dedit occasio, & quasi diu præ manibus, præque oculis illam habuisset, addis, ô Maro, *Tandem?* Quid hæc? *Tandem dixit* (explicat Donatus) *quia cupienti tardus est exitus expeditionis, etiam si tota maturitate proueniat.* Magnæ cupiditati mora quæuis sæculum est.

147 Labi facilè solet occasio, nisi illam statim arripueris. Illi advigila, ne labatur. Animaduertit Aruns offerri sibi opportunam occasionem interficiendæ Camillæ, labi eam passus non est; telum statim concitat, librat, dirigit, (Legit enim Donatus pro *Coniicit*, *Telum concitat.*) præparatum iam illum inuênit occasio, vel potiùs ille occasionem præuênit, occasionem præuidit, & ne illa periret, felicem præparatur ad iactum. Proximè illâ iam datâ (hoc est, *tempore capto,*) *telum coniicit*, & voto potitur suo. Acutè hac lectione nitens Donatus. *Telum igitur capto tempore, atquè inuento ex insidijs, cum ex aperto non auderet, contendit, ne periret occidendi occasio, quâ illa intenta in Chlorei necem nec cogitabat alia, neque videbat.*

Arripienda statim occasio est, ne neglecta labatur.

148 Rem sanè difficilem Aruns aggrediebatur, Reginæ fortissimæ cædem. Et prudenter se gessit, & supernum auxilium implorauit: *Tempore capto coniicit telum*, ecce prudentiam: *& precatur Superos*, ecce pietatem: & prudentem se in re difficili præbuit, & pium.

In re difficili & tuam aduoces prudentiam necesse est, & supernum auxilium.

Telum cum tandem tempore capto
Coniicit, & Superos Aruns sic voce precatur.

Tam difficile fuit (notat pulchrè Donatus) *Camillam sterni hostili manu, vt, ad eius procurandum exitium, & occasio quærenda temporis duceretur, & loci, & Deorum fauor suppliciter inuitandus.*

149 Supplex pete, si quid petis, & eum, à quo petis, dignitatem & potentiam commemora. Sic Aruntem petijsse notat Donatus;

Supplex pete, & eius à quo petis, dignitatem cômemora.

Superos Aruns sic voce precatur
Summe Deûm, sancti custos Soractis Apollo, &c.

150 Et suplex petit, & laudat Apollinem *Necesse fuit* necessitatem ponit) *eum laudari supplici voce à quo imploratur auxilium.*

In oratione, qua Aruns Apollinis precatur auxilium expendit Donatus verba illa *Pineus ardor*.

Quæ Deo consecras succo plena sint, & duratione constantia.

Cui pineus ardor acerbo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multâ premimus vestigia prunâ:
Da pater, &c.

Expendit,

Expendit, inquam, ſucco plena eſſe debere, quæ Deo conſecramus, & duratione conſtantia. *Ideò* (inquit) *hoc genus ignis in deprecatione poſita eſt, quia naturali ſucco, tanquam oleo, violentiùs accenditur, & accenſum diu perdurat. Paſcitur, inquit, ita vt nunquam deficiat, ſed ſemper alatur.*

Prodijt Camilla in bellum *Vnum exerta latus.* Caue Regina ne ab inermi parte figaris & concidas. Ibi fixum eſt telum Aruntis, quo extorta vita Camillæ eſt. 151 *Ab inermi ſemper parte cadimus.*

Haſta ſub exertam donec perlata papillam
Hæſit, virgineumquè alte bibit acta cruorem,

Ecce (inquit Donatus) *ipſa parte interijt, quàm habuit nudam. Ne ſuper fluum quid Poëta dixiſſe videatur.*

Multa ſunt in hac Camillæ cæde digna, quæ expendantur. Nequè res ſolùm, ſed etiam verba, contextus carminum, pedes ipſi, & apices in tanto Poëta examinanda ſunt obiter. Impropriè videtur ſpondeus interpoſitus eſſe dactilis in hoc carmine, 152 *Viuida poëſis & ſucco plena laudatur.*

Illa ma nu mori ens te lum trahit.

Appoſitè dactili feſtinantiam Camillæ in extrahenda haſta, quâ lethaliter configebatur, oſtendunt; importune interponitur ſpondæus, quo tardatur hæc actio: lentus nimis hic pes in præproperâ feſtinatione. Sed ingenioſè ab ingenioſo Vate ſpondæi morula eſt interiecta. Conatur Regina doloris impatiens haſtam excludere, ſed retardauit feſtinantem conatum & doloris magnitudo, & hærentis teli tenacitas; quare ſpondæum intermiſcuit Mar, qui longis ſyllabis, & ſibilantibus litteris vtrumquè ſignificet, & Reginæ dolorem, & teli tenacitatem, *ens te:* & immediatè addit *Vm trahit*; *Vm* animi ſenſum exprimit, & aſpiratio *hit* gemitum præ dolore. Hinc vlteriùs expende litteræ S, congeminationem in his vocibus *Oſſa ſed*, ſibilantis, inquam, litteræ, quaſi ipſa præ doloris ſenſu Regina ſibilaret, dum hærentem inter oſſa mucronem conatur extrahere, *Oſſa ſed.*

Iam verò ſequentis carminis ſpondæi ſunt ad miraculum poſiti! 153

Ferreus ad cos tas al te ſtat.

Cum hæret oſſibus mucro, nec facilè poteſt morſus diſcludi. Pedes ipſi lentiſſimi hærens oſſibus ferrum pulchrè tibi demonſtrant, quamuis verba ipſa id ſignificare neſcires.

Expende tertiò languentem verſum, ac penè emortuum in languente iam, ac penè emortuâ Camillâ. Totum labitur carmen ac deficit, in lapſu ac defectu Reginæ, 154

Labitur exanguis, labuntur frigida letho
Lumina.

Quàm tragica hæc verborum ac litterarum connexio! a, v.b.m.l. o. funeſtæ litteræ ſunt, & (vt ita dicam) *Requiem* prænunciant.

Audi nunc in sequenti carmine notam Seruij. Non animaduertitis, inquit, eclypsin commisisse Poëtam in hoc carmine, in quo eclypsin ipsa Regina patitur?

Tunc sic expi rans Ac camex a qualibus vnam Alloquitur.

Opportuna quarto loco eclypsis mirè interponitur, qualem nullam alibi Virgilius potuit opportuniùs adijcere. Patitur eclypsin poësis ipsa, dum eandem Camilla patitur. Laborabant, ac deficiebant in Reginâ nostrâ ætatis fulgor, virtutis vis, animi magnitudo, dignitatis splendor, imperij spes: laboret ergo ac deficiat carmen tam vocibus ipsis, quàm litteris, quibus constat, in quo eclypsi laborans, ac deficiens depingitur. Verba sunt Seruij: *Necessaria Eclypsis in defectione Camilla, quæ ex arte posita est.*

155 Illud etiam notatu dignissimum in Emistichio illo.

Effuge, & hac

Nouerat Regina se iam ad extremum vocari halitum, quare in ipso iam propè agone posita, instat pedissequæ, vrget Accam miro illo dactylo *effuget*, vt Turnum moneat de imminenti periculo, qui ferre possit auxilium. Sed cum mors propè esset in ianuis, & efformare iam verba vix posset, vnius syllabæ voces adduntur in carmine *Et hac*, & cum aspiratione *H* secunda, quæ facilè indicarent spirandi difficultatem, nedum loquendi. Singulas fundit *Et hac*, & vix singulas.

156 Sed ad res transgrediamur, quæ hoc Virgiliano tractu continentur. Ille inprimis versus occurrit, vbi confixa hostili telo Camilla

Id ipsum tibi nocet interdum, quod credis profuturum.

Manu moriens telum trahit.

Communem mortalium persuasionem expende; quæ illa? *Quod nobis credimus profuturum, id ipsum sæpè noxium experimur: eo sæpè ad vitam vtimur medio, quod mortem accersit.* Propriâ conatur Regina manu telum extrahere, vt viueret, quo extracto effectum est, vt cum sanguine vitam effunderet. Eodem tempore, quo vitam petit, inuenit mortem eadem actione, quâ se credit vitæ consulere, attulit necem. Sequitur enim

Labitur exanguis, labuntur frigida letho
Lumina.
Vna ead mquè via sanguisquè animúsquè sequuntur,

Dixit Virgilius de Pallante Principe loquens, Turni telo cadente. Calidum iuuenis rapuit telum de vulnere, vitæ auidus, sed proh! mortem accersiit. Ideò diligentissimus Vates addidit voculam *Frustrà.*

Hæc iuuenū præsertim est, Primatumquè persuasio.

Ille rapit calidum frustrà de vulnere telum.

Videtur hæc iuuenum præsertim esse, Primatumquè persuasio, quos cum percellat maximè gloria viuentes, rerum spoliatio morientes, mortis ictum exhorrent, vitæ munus amant; vnde est, vt

à

à petito ſæpè ſcopo longiſſimè aberrent pro voti auiditate complendi. Ad vtrumquè locum pulchrè Donatus. *Exiſtimans Pallas ſe ſibi auxilio fore, rapuit telum infixum corpori ſuo, ratus iuuenis id ipſum ſaluti retinendæ profuturum, ſed id factum eſt fruſtrà, nam educto telo, mox anima cum ſanguine effuſa eſt.* Obfuit ergo, non profuit præpropera medicina ſaluti. Tunc vitam præcidimus, cum longiorem conamur; & ibi humano ducti errore collabimur, vbi vitæ conſtantiam præoptabamus.

Sed acri notanda criſi eſt vox illa. *Quondam*, quæ perperam ponitur in hoc carmine de vicina iam morte, palleſcente Camillâ. 157

Purpureus quondam color ora reliquit.

Vixdam Regina ictum haſtæ hoſtilis excepit ſub papillam exertam, cum mixtus purpurâ & niue iuuenilis color aufugit; & ſuffectus eſt pallor. Nonita eſt? quis ſanus neget? Quid ergo dicit Maro, *Purpureus quondam color?* Quondam? nuperrimè Camilla purpureum colorem funeſto pallore metauit, & ait *Quondam* Poëta? meliùs *Nuper* dixiſſet, & veriùs. Sed nuſquam meliùs, nuſquam veriùs. Ita humanis rebus anguſtæ ſunt metæ, ita breues aſſignati ſunt termini, vt quod nuper aufugit, quod evanuit, iamdiu aufugiſſe & evanuiſſe videatur. In hunc ego ſenſum accipio nunc illud Senecæ, *Quàm ridiculi ſunt mortalium termini!* Sic ſunt humanæ res fluxæ, vt cum vix prætereant & labantur, poſſimus dicere millenos iam annos præterijſſe; *quondam* fuiſſe, iamdiu non eſſe. Vnde ingenioſè Maro, cum nuper defeciſſet iuuenilis ſplendor in Virgine, & purpureo colori ſubſtitutus eſſet pallor in vultu; *quondam* poſuit, *Purpureus quondam color ora reliquit.* Ita pulchrè expendit Naſcimbænus; *Pulchrè dixit Quondam, cum extincto colore purpureo ſtatim infelix pallor emergeret. Innuit ſanè prudentiſſimus Poëta ita fluxam rerum fruitionem eſſe mortalium, vt vel particula temporis annorum longiſſima ſeries computetur.*

Ita fluxa mortalium rerum fruitio eſt, vt leuiuſculum temporis annorum ſeries computetur.

Seruius pleonaſmum taxat in his verſibus, vbi Camilla 158

Tunc ſic expirans Accam ex æqualibus vnam

Alloquitur & deinde ſequitur *atquè hæc ita fatur.*

Pleonaſmum, inquit, Poëta commiſit: nam quid eſt hoc *Alloquitur, atquè hæc ita fatur? Vnum abundat* (verba ſunt Seruij) *nam infrà ait, Ita fatur.* Sed Seruij authoritatem non tanti duco, vt accuſem Virgilium. Zerda de illo non ſemel, *Nunquid ego Seruij ſeruus ſum?* Ergo apage Serui. Non vocat in poëtarum maximo quidquam. Vtrumquè verbum *Alloquitur* & *Fatur* ſuum habet pondus, & ex arte, ex ingenio, ex iudicio poſitum eſt. Vacaret ſecundum, ſi ad primũ referretur; quis dubitet? ſed vocum ſyntaxin cõſideremus

Mortalis quoquè pulchritudo dum moritur, de mortalium rerum vanitate nos admonet.

hoc loco, & altiorem illarum sensum plane videbimus. *Tunc sic expirans alloquitur*; dum Camilla expirat, alloquitur; sequitur deinde, *Atque ita fatur*, cum Accam monet, vt ad Turnum deferat, quæ geruntur in fausta. Explico. Camilla in ætatis flore, in regia dignitate, in tanta nuper pulchritudine; dum illi victoriæ applaudunt, dum parantur triumphi, dum gloria subseruit, dum fortuna arridet, huiusmodi, inquam Camilla expirans, quin illam ætatis flos, regni dignitas, pulchritudo eximia, partæ victoriæ, militaris plausus, parati triumphi, ridénsquè fortuna possint à mortis ictu redimere, vocale hominibus documentum est, nullum esse cuiquam mortalium de tam communi lege suffugium; omnia tandem in terris illustrissima conteri, perire, euanescere; nihil constans, nihil esse perpetuum, imò nec exiguo temporis spatio securum. Hoc loqui non est? *Tunc ergo sic expirans alloquitur*, non voce, sed opere; non verbis, sed affectibus, qui omni sunt oratione potentiores. Quod sequitur verbum *Atquè hæc ita fatur*, ad ea, quæ verbis retulit ad Accam Camilla, referendum est; sicquè, quid illa fecerit, quid dixerit, aptissimè vtroquè verbo & signantissimè expromitur. Neotericus quidam interpres acutè ita expendit. *Inaniter dixisset alloquitur, nisi expirans addidisset. Coniungendum est ergo expirans cum verbo alloquitur, vt in ætatis & dignitatis suæ flore Regina expirans vocale documentum sit.*

159 Curarum leuamē est, earundem fido cuidam relatio.

Dubium non est, quin tuarum leuamen curarum quæras, dum fido cuipiam easdem refers. In hac esse opinione Virgilium notat Donatus, cum ait Camillam suas assuesse curas partiri cum Acca,

fida antè alias quæ sola Camillæ,

Relationem curarum, (verba Donati) *animi releuationem, ac sollicitudinis vult esse Virgilius. Proinde Camilla tam charam habuit Accam, vt quidquid animo gereret, quod angeret, sensim huic semper narraret, & cum eâ narranda diuideret.*

160 Mors præ oculis verū à falso distinguit.

Expende sodes, quod sequitur, carmen, vbi expirans Camilla sic ad Accam;

Hactenus Acca soror potui.

Si personas loquentis & audientis consideremus, impropriè dictum esse videbitur, *Hactenus Acca soror potui* Sororem vocat Regina pedissequam, longè dignitate superior inferiorem, ancillam hera; importuno paritatis nomine honestat regali nata sanguine illam, quam Regina comitem, tunc vsquè ignotam sibi fortasse, & ignobilem, voluit asciscere. Sed ô! mirè posita illa vox est *Soror*, cum Accam Camilla expirans alloquitur. Vrgebat mors, instabat interitus, præ oculis iam Reginæ erat exitus vitæ: ad mortis ergo iam imminentis vicinitatem agnoscit ex eâdem mortales omnes massâ, ex eodem omninò luto fluxisse; neque aliam Reges, aliam rusticos nascendi & moriendi legem esse sortitos, promiscuè Mortem Principes rapere & paganos; quare *Sororem* vocat dum moritur,

Omnia Mors æquat.

quam

quam dum viueret famulam nouerat, *Hactenus Acca soror potui.* Ingeniosè proculdubio Virgilius præmisit expirantem Camillam, cum Accam alloquitur, & *Sororem* appellat; *Tunc sic expirans* &c. tanquam huius miri effectûs & noui causam. Quid mirum magis, & nouum quàm famulam à Regina *Sororem* dici? *Sororem* agnosci? Quasi diceret Camilla; ne tibi ô Acca admirationem pariat, quod tibi nunc indo nomen *Sororis*; vitæ mortisquè confinium, in quo nunc versor, inter alias hanc me veritatem edocuit, quam adhuc fallax Principis vita negauerat. Et quoniam locus hic & tempus est veritatis prodendæ, hanc ego ipsa firmam & extremâ meâ voce stabilem volui, dum morior. Vidit hoc Poëtæ acumen Donatus. *Quid dulcius,* inquit, *quid religiosius, quàm vt in salutis fine posita, nomine suo appellaret, & germanitatis honore præferret? Hanc ab illâ vocem vicinitas mortis expressit.*

161 Neque illud abeat sine expensione. Inter æquales quam potissimùm elegit sibi Camilla, cui vltima moriens mandata commendet? Accam.

Fidi sunt eligendi, qui tuas exequantur extremas voluntates.

Accam ex æqualibus vnam.

Quare vnam hanc? quia *Fida ante alias quæ sola Camillæ.*

Fidam elegit, quia nouissima mandata illi commisit. Sequitur enim,

Hæc mandata nouissima perfer.

Omninò tunc necessaria electio est, neque cuicunquè tanti momenti res committenda. Pulchrè Donatus. *Cum vltimum iam spiritum redderet, eligit vnam ex æqualibus, quæ Acca dicebatur, atque huic, quæ fida ante aliàs, extrema verba & sensa commisit.*

162 Et illud ingeniosè Poëta,

Hactenus Acca soror potui, nunc vulnus acerbum
Conficit.

Cũ humana expirat maiestas & gloria, acerba possidentibus vulnera infligunt.

Quasi dicat Regina; Hactenus regiâ dignitate & maiestate præcellui, semper mihi secunda arrisit, felixquè fortuna, constantem pacis, ac belli tempore experta sum gloriam, *Hactenus potui, Sed hactenus* hæc: omnia nunc me moriente moriuntur, me pereunte, pereunt. Hoc ego acerbius reputo vulnus, quàm id est, quo verberata pectore pereo. Quid enim acerbiùs, quid grauiùs, quàm à tantâ felicitate, à gloria tantâ ad infelicem vitæ metam vocari? quid lethale magis, quàm de maiestate tanta, & humano splendore, in ipso præsertim ætatis flore, turbari? Præterita iam mea felicitas est, *Potui*; Hoc me telum iniquæ fortunæ conficit grauiùs, quàm Aruntis. *Nunc vulnus acerbum Conficit, vulnus, inquam, quod Hactenus potui.* Duplici ergo se telo confici Regina gemiscit, & hostili acerbiori planè, quòd hactenus potuit. Duplicem prodit suæ necis causam, crudelem alteram, alteram crudelissimam. Ex ingenio Donati. *A commemoratione superioris temporis, quo potens fuit, & in certami-*

 nibus

nibus nobilis, transit ad præsentem casum, quo vrgebatur in finem. Præterita commemorat feliciſſima, qno grauiùs telo vrgetur in finē.

Sed & in tenebris Emiſtichij huius fulgentiſſima ſeſe lux prodit.

Et tenebris nigreſcunt omnia circùm.

Principes ſunt adulationibus obnoxij.

Quid tanta *tenebrarum*, & *nigredinis* repetitio? Qnid voces illæ *omnia* & *circùm?* Nihil horum temerè. Regina illa erat; regales verò, principéſquè perſonæ obnoxiæ adulationibus ſunt. Quamuis enim periculis vrgeantur ad mortem, non deſunt multi, qui illis palpentur ad vitam; quamuis infelicitate premantur, multi ſunt, qui feliciſſimas canant, fallántquè blandiendo. Se morti proximam, imo in ipsâ iam morte, Regina ſentiebat; poſſent adulatores diſcrimen eleuare palpando, & polliceri vitam, cum adeò mors vrgebat. Hæc ergo præ oculis huiuſmodi adulationes & noſcit & reijcit; nudam probat & amplectitur veritatem. Vnde Camilla omnem his verbis adulationem præcidit *nigreſcunt omnia circùm*; quaſi dicat; nemo mihi adulator de vita blandiatur, quando me in ipſo mortis limine poſitam ſentio, qnando *omnia circùm nigreſcunt tenebris*, quæ certiſſima ſunt inſtantis mortis prænuntia. Ingenioſè Donatus. *Ne ſibi diceretur, qualecúnquè iſtud eſt, auxilio medicinæ ſanabitur, hoc ipſum ſatians, addit, Nigreſcunt omnia circùm* (nota, & expende, *Hoc ipſum ſatians.) Vſquè adeò, inquit, conficit, vt tenebræ occurrere cæperint oculis meis; quod eſſe non dubium eſt principium mortis.* Non hoc tempus adulationum eſt ſed defæcatiſſimæ veritatis.

Illas mors præ oculis & noſcit & reijcit.

164 Superioris cura erga ſuos ad mortem vſque dimittenda non eſt.

Nota, Superioris curam erga ſuos ſolâ mortis neceſſitate eſſe dimittendam. Eam Camilla vſque ad vltimum *Vale* retinuit, *Iámquè Vale* In extremo illa vitæ limine poſita ſic ad Accam,

Effuge, & hæc Turno mandata nouiſſima perfer;
Succedat pugnæ, Troianóſquè arceat vrbe.
Iámquè vale.

Feſtinantiam Accæ commendat expirans, *Effuge*, ne periculum ſubeant ij, quorum illa curam gerebat. Vbi pulchrè & aptè Donatus. *Effuge, inquit, ſciat me Turnus ſuſceptas partes non voluntate reliquiſſe, ſed morte. Quocirca ſuccedat in ſollicitudinem mortuæ, & ante omnia vrbem à Troianorum inuaſione defendat.* Conſtet Turno, & omnibus conſtet, optimæ me ductricis leges impleſſe, quæ in vitæ agone propè poſita commiſſi muneris curam non depoſuerim.

In extremo actu peccare indecorum eſt.

Sed audite Landini notam, dignam planè Landino, in hunc verſum.

Effuge, & hæc Turno mandata nouiſſima perfer.

Imprudentia videtur eſſe Virgilij, vt mandata *Acca* perferat *Turno*; Acca, inquam, Virgo, iuuenis, pulchra, & illa quidem *Vna*, nam ait,

Accam ex æqualibus vnam, &c.

Turno, Martis alumno, iuueni, connubij lege ſoluto. Hic vtriuſquè

quę congressus sine periculo esse non posset; à iuuentute, à pulchritudine, à Martiali licenciâ imminere proximum poterat. Sed quæ mandata hîc Camilla commendet ad Turnum, considerentur, & facilè Poëtam hac obiectione liberabimus: *Mandata* erant illa *nouissima*, 165

Nouissimorum repræsentatio à corruptionis labe nos prohibet.

Mandata nouissima perfer.

Quæ de *nouissimis* mandata erant, & ab eâ, quæ iam iam *expirabat*, missa, iuuenibus potuerunt securitatem afferre, & publicam, vt ita dicam, fidem præstare: nam ea huius memoriæ vis est, vt & libidinis flammas sopiat, & effrenati cuiuslibet vitij ignes extinguat. Ille ab hoc vrente vento trãsit immunis, qui *nouissimorum* memoriâ præmunitur. *Ergo dum expirat Camilla* (inquit Landinus) *mittit, quæ mandata nouissimè perferat Turno. Vsa est cautione cum eam mitteret.* Expende, *Vsa est cautione, cum eam mitteret.* Quæ illa cautio est? omninò maxima; & mandatorum materies, & vitæ meta extrema mandantis, de cæde factâ, faciendâ, ni Turnus accurrat.

Illud in primis Regina mandatum vrget ad Turnum, 166

Illa Principum cura inter primas esse debet, Virginum pudicitiæ consulere.

Troianósque arceat vrbe.

Quare illa inter primas Camillæ pectûs cura mordebat? Potior illa cura non esset, vt, quàm citissimè posset Turnus, prohiberet Æneadas, ab irruptione in Latinas phalanges? à direptione castrorum? à Latinorum cæde? quæ proxima pericula instabant. Consultissimè, (ait præclarè Donatus) Camilla meminit vrbis, & vrget, vt inuasione prohibeatur hostili, quia ibi Lauinia Virgo erat, omnium maximum pignus, quibus potiri hostis posset. Prudentis est Principis vsa consilio, vt illius imprimis pudicitiæ consuleret, quæ, aditâ vrbe, facilè & ipsa posset adiri, & expugnari. *In primis quippe* (Donatus) *nihil fuerat curandum, nisi vt vrbem non inuaderent inimici, in quâ Lauinia degebat.*

Quàm Aruns agitur de Camillæ cæde sollicitus! Vide suprà illum, 167

Vacuæ omninò humanæ sunt gloriæ.

Quà secúmquè furens medio tulit agmine Virgo,
Hàc Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat;
Quà victrix redit illa, pedémquè ex hoste reportat,
Hàc iuuenis furtim celeres detorquet habenas;
Hos aditus, iámquè hos aditus, omnémquè pererrat
Vndiquè circuitum, & certam quatit improbus hastam.

Iam tandem voti compos fugit,

Lætitiâ mixtóquè metu.

Quid fugit? quid metuit? Vulnerata iam est ad necem Camilla, sequi Aruntem illa non potest, integrum saucia, virum fœmina. Quid ergo causæ? illud. Nulla humana voluptas est aut lætitia integra adeò & constans, quæ mixtum illa metum non habeat, & triste nonnihil. Pura apud mortales voluptas, aut lætitia non datur.

Cũ aliquid vehementer optamus, certi etiam de adeptione vix credimus.

Latus fuit, (inquit Donatus,) *quia arreptum compleuerat desiderium; metuebat autem, ne illa sic icta esset, vt viueret.* Lætabatur sui compos voti, sed necdum se voti compotem credebat præ faciundæ cædis cupiditate flagranti. De lethali penitus vulnere lætus erat, sed in hac lætitiæ securitate metuebat adhuc, vt viueret. Sicquè factum est, vt ipse sibi lætitiæ pariter causa esset & metûs.

168 Sed ex Donati verbis alia mihi ethica interpretatio allucet occultior, quare iste fugiat & timeat, vir fœminam, integer sauciam? Percrebuerat fama de singulari Camillæ virtute, armis, consiliò, felicitate. Timebat sibi Aruns à Ductrice tantâ & Principe Volscâ, dum viueret; vide quantum timeret, cum in illam telum intorquere tentat,

Fortissimi Ducis nomine & fama hostes terrentur & metuunt.

Telum ex insidijs cum tandem tempore capto
Conijcit.

Non ex aperto, sed ex insidijs, aggreditur. Nunc autem illâ iam ad mortem telo confixâ, adhuc timore perculssus fugit aggressor, Quid metuit? ne Camilla ita icta esset, vt viueret, & ab illâ etiam sauciâ suæ ipse premium ferret audaciæ, & illatum vulnus propriâ nece rependeret. Sic enim naturâ comparatum est, vt fortissimi Ducis vel ipso nomine & famâ terreantur hostes & metuant, qui illum nunquam vel de facie nouerunt. Aduoco nunc verba Donati suprà laudata. *Latus fuit, quia arreptum compleuerat desiderium; metuebat autem, ne ita icta esset, vt viueret.*

169 Expendit Seruius in comparatione illâ, de occisâ Camillâ, de fugiente Arunte,

Reges & Principes commissi sibi gregis pastores sunt.

Ac velut ille, priùs quàm tela inimica sequantur,
Continuò in montes sese auius abdidit altos,
Occiso pastore lupus.

Expendit, inquam, Aruntem pulchrè fuisse lupo collatum, Pastori Reginam, nam Pastores sunt Reges. *Benè* (inquit) *pastori Reginam comparat; nam Reges ipsi pastores vocantur. Homerus, ποιμένα λαῶν.* Apta hoc loci notula.

170 Suo munere Camilla functa est vel ad vltimam animam. Extrema illam necessitas à susceptâ Ductricis curâ deiecit, non alia.

Ad vltimam animã munus, quo Superior fungeris, præsta.

Et captum letho posuit caput, arma relinquens.

Nota, captum priùs letho caput fuisse, quàm arma reliquerit. Acutè Donatus. *Ceciderunt & arma tunc,* (quando?) *cum & hæc vlteriùs tenere non posset.* Mortis necessitate compulsa cessit & armis, cum & vitâ cedebat. A munere, quod honestè exercemus, nulla nos alia causa dimoueat, quàm quæ extrema est, & vocat ad tumulum.

171 Inter Nymphas Dianæ numerabatur Opis, atquè idcirco immortalis; quando tamen illa pugnas tuetur, non se præliantibus miscuit, aut armis inseruit, sed cauta in montibus alta sedet, vnde interrita pugnas aspectet.

Quantumuis tibi videaris esse seuerus, Caue tamen.

At

At Triuia custos iam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectátque interrita pugnas.

Ideò interrita, quia in summis spectat montibus (ait Donatus) *Hac autem illi montium altitudo præstabat, vt secura esset, & faciliùs exploraret ex edito.* Inuiolabilis Nympha erat, quia Nympha, cauta tamen spectat ex edito, nec virtuti suæ fidit, & immortalitati.

Est ita sanè, vt ille te sæpè plùs laudet, qui tuam auidè vituperationem petebat. In Troianos Opis sic pro Camilla, 172 Qui te plus vituperat, sæpe plus laudat; & è contrà.

Heu nimium Virgo, nimium crudele luisti
Supplicium!

Nimium illos notat fuisse crudeles, qui Camillæ necem Virgini intulerint. Sed Donatus non vituperationem his verbis contineri existimat, sed laudem Troianorum. *Vox huius dolentis* (inquit) *laudem continet Troianorum.* Sugillare Troianorum crudelitatem in nece Camillæ volebat Opis, sed vituperatio cedit in laudem; *luisti* inquit *supplicium*, & *crudele* luisti. Quod ait *Crudele* Troianos carpit; quod ait *luisti*, debitum confirmat fuisse supplicium, quod ipsa Camilla pro audacia sua, & temeritate debitum tulit, sustinuit meritum. *Debitum ergo confirmat fuisse supplicium* (prosequitur Donatus) *cum Camilla illud luerit, non tulerit.* Ideóquè laudat Troianos, qui dignum Reginæ supplicium intulerint.

Ad defunctam Camillam Opis, Reginæ necem vindicatura, sic ait; 173 Interdum aduersarium excusare videris, grauius accusas.

Nam quicúnquè tuum violauit vulnere corpus
Morte luat meritâ.

Verbum illud *Violauit* aggressorem excusare videtur Aruntem, videtur inquam, sed reuera grauiùs accusat, explicatore Donato. *Violare est sacrum aliquid violenter appetere; sed hic non solùm corpus violatum est, verum etiam quoquè salus extincta. Quod crimen cumulauit potius Poëta, quàm minuit. Nā cum violare non liceat vulnere, vbi erit Aruntis causa, qui sacram Virginem violauit, & perdidit?* Sic Donat.

In emistichium illud, vbi de Opi Nympha Virgilius, 174 Pulcherrimus ille est, qui consilio & prouidētia præcellit.

Rapido pulcherrima nisu,

Notat Donatus *Pulcherrimam* fuisse appellatam, quod bono vsa consilio fuerit, & prouiderit locum ad insidias Arunti parandas, quem ad necem quærebat. *Pulcherrima loco isto debemus accipere non corpore, sed consilio bonam, quæ prouidet talem, propter explendas insidias, locum.*

Dum Opis ad necem quærit Aruntem, quasi præsentem illum alloquitur, qui longè aberat; secum versat sola, & proloquitur Aruntis exitium; 175 Dum tecum ipse loqueris, dolorem lenis tuum.

Cur, inquit, diuersus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni, capias vt digna Camillæ
Præmia.

Cur secum hæc? Audi Donatum. *Hæc loquebatur secum, non vt Aruns audiret, sed vt comminatione verborum satisfaceret æstibus suis. Loquuta est ergo quasi ad præsentem, & tanquam præsentem insultanter appellat.* Secum itaquè irata loquebatur, vt dolorem leniret suum, & animi æstus leuaret.

176 Mundiales gloriæ cum ipsa infelicitate terun- tur.

Ita Mundi gloriosa infelicitati iungitur, vt pede pes vtriusquè teratur. Camillam Aruns telo configit, & conficit. Hanc sibi gloriam petebat, & consequutus est; sed vix illâ potitus est, cum eam ipsam excipit infelicitas: nam Opis, (cui demandata interfectoris nex erat à Diana)

Vt vidit fulgentem armis, ac Vana tumentem,
Cur, inquit, diuersus abis? huc dirige gressum
Huc periture veni,

Quem locum ita pulchrè Donatus expendit. *Cur diuersus abis?* &c. *Dolentis ista vox, & inde magis commota, quòd exultantem de Camillæ morte, corruentem videt; & alieno lætum exitio, cum ipse suum mox affuturum nec intelligeret, nec videret.* Expende tu in Donato vicinitatem istarum vocum. *Exultantem* videt, *& corruentem*; vix cæpit exultare, cũ corruit; infelicitas felicitati, victoriæ nex, triumpho calamitas connectuntur. Obiter nota, eum, qui gloriâ tandem potitur, omnium omnem calamitatum memoriam deponere. Triumphat Aruns, sed heu! breui triumphat, suæ mox infelicitatis omninò immemor. In hanc sententiam sunt verba Donati. *Et alieno lætum exitio, cum ipse suum mox affuturum, nec intelligeret, nec videret.*

Gloriâ potitus omnis est immemor infelicitatis.

177 Muliebris ira insatiabilis est.

Ad Aruntis necem fœminæ duæ iratæ coniurant, Diana telis & pharetrâ, manu & viribus Opis: vtraque non corporis vitam solùm, sed & animæ etiam conantur extingnere. Non satiatur quippe muliebris iracundia vnico Aruntis malo, si vitam mortalem eripiat, duplex intendit grauissimum inferre supplicium, & animæ etiam post mortem (ex Ethnicorum opinione, satis illâ protrita & decantatâ) leuamen auferre, cum insepultum illum, ignoto in puluere iacentem relinqui voluerint.

Illum expirantem socij, atquè extrema gementem
Obliti ignoto camporum in puluere linquunt.

Vbi Landinus. *Quod fuit acerbioris vltionis, vt non solùm interficeretur, verùm etiam inhumatus relinqueretur. Quid infelicius huius morte,* (expendit perpulchrè Donatus) *cuius cadauer colligendum nec socij curauerunt? Denique tantâ eius obliuione ducti sunt vt eum pro alieno in campis, in puluere, & ignotis liquerint terris. Quod fuit vltionis augmentum; fœmineæ quippè, vt remansisset nudus feris, etiam opportunus alitibus: insepultorum causa ideò omni supplicio est grauior, quia, secundum ipsum Virgilium, habebant aliam apud Inferos pœnam.* Vide Zerdam in illud Palinuri ad Æneam lib. 6.

Eripe me his inuicte malis; aut tu mihi terram
Inijce, namquè potes.

Et Pontani IESVITÆ Symbolas; vbi Ethnicorum hæc opinio latè proponitur, & illustratur.

Celeriter in claustra religiosa confugiendum esse nos docet hic locus, cum ab obedientiâ muneri foris imposito fecerimus satis. Cum iniuncto à Diana muneri satisfecit Opis, nihil amplius in terris commorata est, sed actutùm 178 Expletâ foris obedientiâ, in religiosa castra connolemus.

Ad athereum pennis aufertur Olympum.

Cœlestes statim sedes, quietemquè reuisit. *Pennas* dixit, & *aufertur* adiecit, vt celeritatem Opis ostenderet. Benè Donatus. *Pennas celeritatem debemus accipere. Quid enim moraretur in terris vlterius, qua mandata perfecerat?*

In multorum vituperationem vnius laus cedere solet interdum. 179 Vnius laus in multorū vituperationem cedere solet interdum.
Occisâ ab Arunte Camillâ, subijcit Maro,

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,
Disiectiquè Duces, desolatiquè manipli
Tuta petunt.

Vbi notat Donatus summam hîc contineri laudem Reginæ, Rutulorum vituperationem. *Laudem* (inquit) *simul Camilla dicit, & eorum vituperationem, qui in Turni partibus fuerant. Quid enim turpius, quàm perdito auxilio vnius fœmina versos esse omnes in fugam?* Vnius in laude multorum taxatur inertia.

Miseram vocat Virgilius mortem, quam subiere Latini, qui, occisâ camillâ, terga verterunt hosti, cuius telis confixi perierunt, 180 Misera illa mors est, quæ venit ignauis.

Hos inimica super mixto premit agmine turba.

Et deinde;

Nec miseram effugiunt mortem.

Quem locum ita Donatus suâ paraphrasi illustrat. *Nec mortem illi effugerant, sed fecerant deteriorem; quia non fuit illa gloriosa, sed misera.*

Mœnibus in patrijs, atquè inter ipsa domorum tuta Latini ignani extremum vitæ discrimen incurrunt, vbi sperabant fore, vt certam inuenire securitatem possent. 181 Ibi periculū sæpè maius incurritur, vbi maior securitas spectabatur.

Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patrijs, atquè inter tuta domorum
Confixi spirant animas.

Quanta clades (ait Donatus) *illo tempore, atquè illo loco infelices oppressit! vt liberati congressionibus campi, in portis, in patrio, inter parietes suos, qua debuerant suis, vel suorum gladijs defendi, interierint!* Fallitur sæpè humana solertia, & ibi mortem inuenit, vbi vitam petebat. 182 Dum mortem fugis, sæpè mortē accersis.

Mortem Rutuli fugiunt, & tum maximè sibi mortem accersunt in mortis fugâ morte ipsâ premuntur: quæ ad euitandam necem: remedia

remedia conquirunt, & exequuntur media, eadem miserè ad necem deseruiunt; nam

Pars in præcipites fossas, vrgente ruinâ,
Voluitur; immissis pars cæca, & concita frenis,
Arietat in portas, & duros obice postes.

183 Cæcus omninò est, qui misero aliorum non sapit exẽplo. Pulchrè Donatus. *Ipsi sibi quærebant exitium, quod declinare nitebantur.*

Acutè Donatus expendit vocem illam *Cæca.*

Pars cæca & concita frenis
Arietat in portas.

Iam Latinorum pars in præcipites fuerat fossas deuoluta, pars in portas clausas impegerat, tamen in priorum exitio; & misera clade stulti non sapiunt, sed cæci suam feruntur in ruinam. *Cæca, inquit, pars, quæ non videret clausas portas, & aliorum in ipsis portis, exitium.* Verè ille cæcus est, qui aliorum exemplo non sapit.

184 Oculi augẽt dolorem. Eruditissimus Zerda expendit carmen hoc, Nota.17.fol.656.

Exclusi ante oculos, lacbrymantumquè ora parentum.

Est hæc(inquit) *maior adhuc conquestionis occasio. Vbi enim ad dolorem accedunt testes oculi, quid amplius quæras?* Quem locum amplificat eruditè, vt solet. Et Landinus; *Qua quidem re quid durius aut parentibus ipsis, aut fugientibus esse potuit?*

185 Principum exempla vehementer incitant. Est ita sanè, vt exemplo Principis vehementer excitetur, & accendatur inferior. Latinæ fœminæ

Ipsæ de muris summo certamine
Tela manu trepidæ iaciunt, ac robore duro
Stipitibus ferrum, sudibusquè imitantur obustis,
Præcipites, primæquè mori pro mœnibus audent.

Vnde Latinis fœminis tales spiritus? tales animi? à fortissimi conspectu exemplaris Reginæ Camillæ, viuidi, inquam, exemplaris vel mortuæ Camillæ.

Vt videre Camillam.

Quod & pulchrè & acutè vidit Donatus. *Audaciam verò illis dederat sincerum & verum exemplum Camillæ, quæ in aliena causa, dum obtinere niteretur, cecidisse probatur: quò magis decuit istas, vtcumquè certare pro patria, & ante ipsas turres occumbere,*

186 Necessitas naturam vincit. Acutus Scaliger, & verè altera Maronis idea, expendit vocem *Trepidæ* in hoc carmine,

Tela manu trepidæ iaciunt.

187 Monstrum est pugnare fœminas, viros fugere. *Iaciunt tela Latinæ fœminæ, sed Trepidæ, vt intelligas naturam pugnare cum necessitate, quæ adductæ, volunt mori pro mœnibus.* Vicit tandem naturam necessitas.

Ingeniosè Zerda Notâ.20. in hunc tractum ponderat verbum illud *Monstrat*;

Monstrat

Monstrat amor verus patriæ.

Cur (inquit) *hoc verbum præ alio? an quia pro monstro est, fœminis suppetere animum, cum deesset viris?* Ita censeo.

Turno refert Acca, quas victorias, quámquè felici euentu obtinuerit, & adhuc obtineat. Audi incrementum, 188

Adeptæ victoriæ faciliorem nobis aditum ad alias aperiunt.

Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, & Marte secundo
Omnia corripuisse, metum iam ad mœnia ferri.

Faciliotem aperuit viam victoria prima ad secundam, secunda ad tertiam, hæc ad quartã; in quintâ verò verbo vtitur *Ferri*, quod iam sine luctâ fortunam, & facilitatem euentûs significat; quasi primæ victoriæ obtentæ feliciter effecerint, vt plenis (quod aiunt) velis Troianus ferretur ad quintam. Acutissimè sanè Donatus. *Necessario verbo vsa est* (Acca nimirùm) *Ferri; impellebatur enim prosperitate successûs, & ibat non hominum more, sed ferebatur fortunæ suffragio.* Expende ad rem meam verba illa Donati præsertim, *Impellebatur prosperitate successûs*; ad secundam prima impellebat palma Troianum, & vires addebat; ad tertiam illa, hæc ad quartam: ad quintam verò, præcedentium auxilio, *ibat non hominum more, sed ferebatur fortunæ suffragio*, secundis ventis velisquè nauigabat. Post tot victorias *necessario vsus est verbo Ferri* Poëta ingeniosissimus; nec debuit, nec potuit alio tunc temporis vti signatiùs.

R. P. SEBASTIANI DE MATIENZO, SOCIETATIS IESV.

COMMENTATIONES IN P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDEN.

LIBER DVODECIMVS.

1 Si tui potiatur ira, in feram degeneras.

CVM suorum cladem, & felicem Troianorum euentum cognouit Turnus, præ irâ sui compos non erat,

Vltrò implacabilis ardet.

Vbi Donatus. *Ardebat iracundiâ, & obsistente ratione temporis, ipsam iram lenire non poterat.* Tunc ergo ingeniosè Virgilius illum feræ comparat, venantium telis petitæ, & grauiter sauciæ,

Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma Leo.

Non hic affectus feras efficit, in ferarum naturam homines vertit. Quod acutè idem notat interpres. *Ardescens Turnus rectè comparatur vulneratæ bestiæ, & infixo vnabulo frustrà sæuienti.* In feras degenerant, qui suæ habenas laxant iracundiæ.

Leuissimæ

Leuiſſimæ ſolent vindictæ ſolamen afferre ijs, qui irati vltionem appetunt. Fixus eſt Leo venantium venabulis, & furores expumat; gaudet tamen fregiſſe telum, quo à venante fauciatur. Solatium planè leue in tam miſera ſorte, ſed quo non parùm ira lenitur, imò tranſit in gaudium; 2

Vltionis appetenti vel leues vindictæ ſolamen afferunt.

Gaudétquè comantes
Excutiens ceruice toros, fixúmquè latronis
Impauidus frangit telum.

Pulchrè Donatus; *Gaudere verò, hoc eſt, habere ſolatium, quod telum ipſum, & venabuli haſtam frangeret, quaſi hoc ſolum ad vltionem morituri ſufficeret.*

Bellicâ præditus virtute vir gaudens occumbit, ſi à magnanimitate non degener tandem occumbat. Illos ridet Donatus, qui *Gaudet* hoc loco *Sæuit* interpretantur. Propriè ipſe interpretatur hoc verbum. Nam magni vir animi (cuius imago iratus eſt leo) tunc gaudet occubuiſſe, cum occumbit à præſtita ſemper magnanimitate non degener; cum ad vltimum vſquè halitum virtutem præ ſe fert. Audi Donatum. *Gaudere ergò propriè intelligamus; quia gaudium eò pertinet, quia moriturus Leo & mouere toros adhuc poterat, & inimica tela confringere.* Ideò ergo gaudet, quia vel in arctiſſimo vitæ diſcrimine conſtitutus leoninam ſæuitiem, & Regalis feræ naturam non amiſerit. 3

Magni vir animi, & virtute præditus gaudēs occumbit, ſi cum virtute tandem occūbat.

Superioris ac Principis curas in Latino exercitu gerebat Turnus, vel ſuſtinebat potiùs, quem tunc temporis Maro Superiore ac principali ſpiritu erectum, vel in arctiſſimo diſcrimina poſitum, dicit, 4

Animū deſpondere in felici euētu Superior non debet.

Attollitquè animos

Si enim ipſe deficeret, qui ſuperioris ac principis primas curas haberet, languerent omninò inferiores Latini. *Sic attollebat animos* (inquit præclarè Donatus) *poſitus in ſuis calamitatibus Turnus, vt ſpeciem videretur habere gaudentis, ne deſperatione extremâ deiectum quiſquam ſentiret, aut crederet.* Superioris deiectus animus multum ſuis languoris importat, & damni.

Nimia ſolet ira mentem confundere; quod in Turno irato videre eſt, qui eo raptus affectu, 5

Mentem ira ſæpè confundit.

Tum ſic affatur Regem, atquè ita turbidus infit.

Vbi grauiter & acutè Donatus. *Ad oſtendendum alloquium Turni ſuffeceras dixiſſe Tum ſic affatur Regem hoc eſt, ad Regem fatur; additum eſt, Atquè ita turbidus infert, vt ante ſciretur, qualis dictio proceſſura eſſet ardentis, & eius, cuius mentem contraria vniuerſa confuderant.*

Intrepidum oſtentare animum videtur Turnus, cum ait, 6

In maiori ſæpè animo maior ſubeſt ignauia.

Sedeant, ſpecténtquè Latini,
Et ſolus ferro crimen commune refellam.
Aut habeat victos.

Sed in hac Turni magnanimitate verborum, ignauiam considerat subesse Donatus non mediocrem. *Fuit artificium*, (inquit) *& tale, quod ostenderet metuentem.* Rationem addit. *Asseruit enim crimen esse quàm maximum, sedere tantos, & alterius virtute defendi; aut factum multorum vnius fortunæ committi: vt vtroquè metu perterriti non paterentur in vnius sorte omnium periclitari fortunam, in cuius victoria habere dedecus possent, aut contrà subiugari seruitio.* Non vides intrepidi specie animi ignauum latere timorem?

7 Interdum Principes & Superiores rationẽ reddũt eorum, quę grauioribus in causis aggrediuntur.

Esto, Superior & Princeps Superiorem agat & Patrem, rationem tamen reddere debet interdum, in ijs præsertim rebus, quæ grauiores sunt; vt inferiorum animos placare possit, & emollire. Hanc notat moralitatem Donatus in ea prudenti oratione quam ad Turnum Latinus,

Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat &c.

Agit causam suam (inquit) *apud eum, quem à coniunctione Lauiniæ, ratione potius redditâ, quàm authoritate patris volebat excludere.* Noluit in re graui sola Regis authoritate procedere, & patris potestate; rationem etiam eò reddere voluit, qui infectum cum Lauinia coniugium ferret egerrimè.

8 Fœmineæ lachrymæ vim habent maximam.

Regem Latinum omnes homines, Diuíquè monebant, ne Lauiniam filiam nuptui tradat Turno. Lachrymabunda tamen Amata coniux extorquet à marito, quod Superi prohibent;

Victus
Coniugis & mœsta lachrymis vincla omnia rapi,

Inquit ipse Latinus, pœnitentiâ ductus, imò supplicio affectus, nã

Ex illo, qui me casus, quæ Turne, sequantur
Bella, vides.

Quæ fœminarũ causâ mala patrantur sine aeri à Superis vltione non abeũt.

Vbi Donatiana paraphrasis. *Cum accederent miserabiles fletus vxoris, quam pro tuis commodis tristem vlteriùs videre non potui; feci victus, quod mulier voluit, non quod Superûm præcepit authoritas.* Et Landinus. *Non ergo meo consilio ductus, sed necessitate compulsus hæc facio: nam hactenus contrà hominum voluntatem, & Deorum responsa, tuâ causa hoc bellum suscepi, erratiquè pœnas solui.* Quas verò pœnas? Et præsentes enumerat, & quas futuras extimescit. *Præsentes,* inquit Zerda, *nam vides ô Turne, casus, in quos coniecti sumus; bella, quæ sequantur nos; labores, quos ipse imprimis pateris. Futuras, nam cum bis magnâ pugna victi simus, fit proinde, vt vix tueamur spes Italas. Argumento est Tyberis, qui adhuc calet nostro sanguine; campi, qui albent nostris ossibus. Hæc eò spectant, vt videat Turnus nullam fore in posterum recuperandæ potentiæ spem, cum florentissimus quisquè in acie ceciderit.* Adduxi interpretes, carmina omisi.

9 Proditorem agis in illũ, quem errãtem nõ corrigis.

Proditorem se dicit Latinus Rex, nisi furentem Turnum, & iuuenili ardentem errore corripiat, & corrigat. Quare signatissimo vtitur verbo, *Prodiderim.* *Quid*

Quid consanguinei Rutuli? quid catera dicet
Italia? ad mortem si te (fors dicta refutet)
Prodiderim?

Vbi pulcherrimè sanè Donatus. *Optimo verbo vsus est, Prodiderim: quippe ostendere voluit, non vno genere fieri proditionem, quapropter definit, quid sit Prodere. Non enim re verà ille solus est proditor, qui auro venditat patriam, aut exercitum decipit, aut necandum hostibus aliquà fraude transcribit. Proditor etiam ille est, inquit, qui furentem patitur ire in mortem, neque reuocat ad salutem.* Est planè proditor, qui cum debeat ex officio Superior, & possit, errantem non corrigit, sed illum patitur ruere in damna, salutisquè dispendia.

10 Duplex commodum est in opportunà correctione. Et tibi, & sibi consulit, qui te opportunè ad meliora traducere conatur errantem. Et te, & seipsum amat, qui debità te correptione castigat. In verbo *Prodiderim* notauit Donatus. *Prodiderim ostendendæ beneuolentiæ causà positum est.* Et erga se, qui corripit; & erga te, qui corriperis. Duplex beneuolentia tempestiuà in correctione laudatur.

Et tibi & sibi consulit, qui errantē te corrigit.

11 Graue absquè dubio malum esse filiorum orbitatem parentibus sensit Latinus, cum potissimam Turno rationem eam proponit, ne susciperet bellum cum Æneà, & discrimen vitæ subiret;

Maximum malum filiorum orbitas est.

Miserere parentis
Longæui.

Hoc ipsum Miserere quàm optimi patris dictum est, (inquit Donatus) *Nouerat quippe ex casibus orbitatis suæ, quid mali esset perdere filios, præsertim iuuenes senem.*

12 Desperatus est moribus, qui ipsà fit medicinà deterior. Furebat Turnus, & desperato morbo laborabat, ideò correctione Latini deterior fit, & ægrescit grauiùs.

Qui corrigi respuit, ipsa fit correctione deterior.

Haud quaquàm dictis violentia Turni
Flectitur, exuperat magis, ægrescitquè medendo.

Fiebat quippe (inquit Donatus) *vt ille, commonitione deterior, vt solet, non proficiente medicorum operà, iret in deterius, quòd dolet, aut sauit.* Vide Zerdam in Emistichiũ *ægrescitquè medendo.* Nota 4.

13 Sui Turnus compos non erat, qui non quando voluit, sed quando potuit vocem in verba contexuit. Loqui voluit post salutarem Latini correctionem, sed iuuenilis ardor, qui medicinam respuebat, verba subtraxit.

A se ipso alienus est ille, qui tẽpestiuà tamen, respuit correctionem.

Vt primùm fari potuit, sic institit ore.

Vbi Donatus, *Hoc est* (inquit) *non quando voluit, sed quando potuit.* Seruius; *Nimius enim dolor iracundiæ intercluserat vocem.* Zerda hìc pleonasmum esse negat; & merito. *Non est pleonasmus* (inquit) *Sic incipit ore: nihil enim redundat in Virgilio, tantùm notat, potuisse tandem os fungi suo munere, quod prius clausum præ iracundià.*

14 Maior oculorũ quàm aurium est fides. Non dubium quin maior oculorum, quàm aurium sit fides. Ideò Amata *per has lachrymas* dixit ad Turnum, quas fundebat, ostendens, vt efficaciùs moueret, & traheret.

Turne, per has ego te lachrymas &c.

Per has lachrymas (ait pulchrè Donatus) *non referentis est vox, sed demonstrantis; maior quippe oculorum, quàm aurium fides est. Caeterùm si dolorem mentis assereret, cum in occulto est, dubitare de eâ posset, & remaneret incertus.* Lachrymarum officia. *Lachrymae verò doloris nuntiae, doloris indices, doloris testes, & tunc maximè certiores, cum vocem ac verba praeueniunt. Lachrymae probant quid geratur interiùs, & ostendunt cordis animíque tormenta.* Amoris affectus est nominis expressio. Obiter nota in hoc loco, proprij nominis expressionem esse affectum amoris: *Turne*, inquit. Quod vidit Donatus. *Habent singula virtutem suam. Commemoratio primò nominis, veri amoris monstrat affectum.* Sic Donatus.

15 Vel maximae mundi gloriolae labuntur in dies, & euanescunt. Quaecúnquè Mundi gloriolae sunt, inconstantissimae sunt; dilabuntur facillimè, & fumo similes passim deficiunt, & euanescunt. Id Amata subijcit Turno, cum ait

In te omnis domus inclinata recumbit.

Ad te vnum domus nostrae gloria redacta est: tu illam solus fulcire debes, quo deficiente, illa deficiat necesse est. Labilis omninò gloria est, quae vnius hominis vita nititur. Ingeniosè Donatus. *In te omne pondus nostrae posteritatis incumbit. Hoc ideo, quia quod inclinatum est, nisi auxilio sustineatur alterius, mox cadet, si subtrahatur, quo fertur, & regitur.*

16 Si labendi occasionem à longè fugias, fugies & lapsum. Si à lapsu immunem esse desideras, vel à longè occasionem fuge, quâ imminet lapsus. Consilium hoc Turno praebuit Amata. Cupiebat illa, ne cum Aeneâ Turnus manus consereret; verebatur enim ne sub ingenti caderet hoste, quare sic ait;

Vnum oro, desiste manum committere Teucris.

Ecce cautior Regina fuit; (expendit pulchrè Donatus) *nam cum id ageretur, ne solus Turnus cum solo Aenea pugnaret, hoc dicebat, Cum Teucris omnibus non esse certandum.* Cum Teucris omnibus monet non esse certandum, ne fortè alicubi offendat Aeneam, à quo sibi vitae periculum crearetur. Omnes vitet Teucros, vt quàm longissimè absit occasio fortissimo confligendi cum Teucro; ac sic omninò sit à periculo liber.

17 Vel mortis nomẽ mortales effugiunt. Si cadis (inquit Amata) ô Turne, & ego tecum cadam necesse est. Non mortem nominat, sed *Quicunquè casus* pro morte supponit:

Qui te cúnquè manent isto certamine casus,
Et me Turne manent.

Vbi Donatus. *Ne funestum aliquid nominaret & triste, generaliter dixit, Quicunquè casus.* Mortalium hoc proprium est, eorum praesertim, qui gloriâ potiuntur, vt Mortis vel nomen ipsum effugiant.

Vnde iacula experiris, oculos auerte, ne pereas. A conspectu repetito

petito Lauiniæ damnum suũ expertus est Turnus, neque tamen oculus iuuenis auertit à Virgine, sed in illa illos pertinaciter figit; 18

Figitquè in Virgine vultus.

Quid inde aliud prouenturum existimas, quàm vt magis ac magis suam in perniciem accenderetur?

Ardet in arma magis.

In extremûm sui exitium ardebat; nescius in mortem magis ac magis ferebatur. Ingeniosè Donatus. *Videndo materiam calamitatis suæ, tanti mali necessitate raptabatur in bellum; magis magisquè in arma, & in mortem inflammatus est.* Inordinatus oculorum coniectus in has illum deducebat angustias, vt caderet. Iste quippe huiusmodi causæ consequebatur effectus.

Vnde iacula experitis, oculos auerte, ne pereas.

Benè Donatus in verba illa Turni ad Amatam lugentem, cum ille proficisceretur ad bellum, 19

Sufficit diei malitia sua.

Ne quæso, ne me lachrymis, néve omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem,
O Mater

Notat, tristia tristibus cumulanda non esse. *Quæ salutem meam incolumem cupis, & omnibus prosperis hortari debes in bella pergentem; quidquid enim illic geritur, triste est, & non debet omnibus quoque tristioribus onerari.* Addit deinde pulcherrimè. *Fundis lachrymas, & lugentis specie prosequeris pugnaturum. Non conueniunt ista nostræ personæ, vel tempori; læta debent occurrere oculis meis, vt lætum possis videre redeuntem. Multa premunt humanos actus, si dura sint omnia; multum verò subleuant, si fuerint læta.* Vult Regina lachrymis suis Turno consulere, quarum ille magis omine premitur; illum, vt vitam tueatur, hortatur, & tunc maximè mortis prænuntias lachrymas mittit; dum vitam petit, mortem minatur; dum præcauere Turno vult mortem, spem vitæ præcîdit. Hæc præpostera Mundi natura est, vt tunc te maximè lædat, cum videtur allicere.

Quò magis tibi consulere Mũdus videtur, eò grauiùs premit.

Vide quàm citò suam infelix solatur infelicitatẽ. Et Latini Regis oratio mœstissima suam deplorantis calamitatem, & Amatæ Reginæ lachrymæ infelix Turno fecerant omen; ita ipse sensit Turnus, 20

Ne me lachrymis, néve omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem
O Mater.

In infelicitate quodcunquè alluceat solamen, læta excipitur fronte.

Et tamen, ad lætum equorum hinnitum, quos poposcerat, ita est victoriæ erectus in spem, vt iam inde gauderet, vinceret, triumpharet. Donatus ibi. *Quod autem illos vidit frementes, gratulatus est. Arbitrabatur enim ex eorum fremitu omen optimum pugnæ, ait fuerant necessarij.* Cito læto animo, quod ex equorum fremitu solamen alluxit, excepit. 21

Sensus omnes ab effreni visu laborant.

Sensus laborare videbantur in Turno, quando in Æneæ contemptum suâ cum hastâ vecors sermocinatur.

Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor
Te Turni nunc dextra gerit, da sternere corpus
Semiviri phrigis, & fœdare in puluere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhaquè madentes.

Donatus existimat hunc sensuum stuporem prouenisse Turno ; ex effreni oculorũm iactu in Lauiniam, nam suprà Virgilius,

Illum turbat amor, figitquè in virgine vultus.

Quali verò in virgine? quæ,

Flagrantes perfusa genas; cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur; vel mista rubent vbi lilia multâ
Alba rosâ: tales virgo dabat ore colores.

Quid enim sanis esse sensibus posset (inquit Donatus ingeniosè) *ante oculos stabat forma Virginis; & roseus candor?* Itaque tuendo Turnus totus ægrescit; à visionis sensu languere reliqui & laborare cœperunt; qualis olim Dido

Ægrescitquè tuendo
Phœnissa.

22 Quis humanus metus non abscedit, cum diuini solatij quidpiam allucet? Magnus inuaserat metus & Iulium & Troianos dum Æneam cum Turno in singulare certamen venturum esse per castra percrebuit; quem vt ex suorum pectoribus Æneas expelleret, quid ad illos? audi;

Si diuini quidpiam adsit solamini js, omnis metus abscedit.

Tum socios, mœstiquè metum solatur Iuli,
Fata docens.

Diuino hoc factum esse consilio docet vt solus cum solo luctaretur. *Suspensos socios, & filij sui metum* (Paraphrasis est Donatiana) *solamine releuabat, ostendens fatorum suffragio se esse tutissimum; perindequè suam futuram esse victoriam.* Ad diuinum solamen humani metus evanuerunt.

23 Satis, vt credo, timidè Turnus hæc ad Æneam nuntio mandat Idmoni,

Præpropera sæpè infelicitas est.

Cum primùm crastina cœlo
Puniceis inuecta rotis Aurora rubebit
Non Teucros agat in Rutulos, Teucrûm arma quiescant,
Et Rutulûm, nostro dirimatur sanguine bellum.

Vix sequens dilucescit Aurora, cum ecce tibi lacessitus prodit in campum Æneas, & miserum Turno instat exitium;

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemquè elatis naribus efflant.
Campum ad certamen magna sub mœnibus vrbis

Dimensi

Dimensi, Rutulique viri, Teucrique parabant.

Hîc Donatus iungit illud, quod vouerat Turnus *Cum primum crastina cælo &c.* cum præpropera festinatione Teucrorum in parando campo, vbi committendum certamen erat; *nam, vix summos spargebat montes orta dies.* Præpropero fertur gradu infelicitas, & celeri pede præproperat. *Quia Turnus constituerat, vt lucescente die proxima pugnaretur, mox vt exoriri cœperat lux, campum parabat exercitus.* Sic Donatus, Vide, infelicitas quantâ celeritate præcurrat. Crastinam ille certamini assignat Auroram, vix hæc albescit, cum campus Turni infelicitati paratur. In suam ipse calamitatem instat, instant & Rutuli, instant & Teucri.

Quærit Donatus, quare Latini adeò celeres, adeò alacres in campum prodeant, Æneæ & Turni singulare visuri certamen, vt dicat Poëta, 24 In aliorum periculis curiositas nostra deprehenditur.

Plenis
Agmina se fundunt portis?

Quæstioni satisfacit ratione duplici. Vel quia visuri prodibant aliena pericula; in quibus sæpè noscendis curiositas nostra deprehenditur vel quia iuuabat illos ea videre loca liberos iam & incolumes, in quibus paulo antè multis suorum occisis, etiam ipsi necis periculum abunde subierant. *Plenis verò portis agmina se fundebant* (verba sunt Donati) *eorum scilicet, qui dudùm fugientes murorum petiuerant tuta, & euidentem euaserant mortem.* Addit deinde; *Nunc quia omnis aberat metus, nullo cogente, certatim sese fundebant in aperta camporum.* Iuuat nos ea loca incolumes recognoscere, vbi periculum graue subiuimus.

Frustrà videntur illi fuisse armis induti, qui ad singulare Turni Æneæquè certamen accesserant; cum soli hi Duces pugnaturi essent, reliqui verò pugnam tantùm spectaturi. Sed non frustrà, inquit Donatus, quare prudentissimè Virgilius dixit, illos fuisse 25 Prudẽs ille, cui securitas nulla affert incuriam.

Haud secus instructos ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet.

Nam Prudens omninò ille est cui securitas nulla affert securitatem, aut parat incuriam: vel in media securitate præcaue; nec tunc quidem arma aut abijcias, aut deponas. *Sic autem instructi pergebant, quasi essent continuo pugnaturi. Cauta prouisio! vt ferro instructi pergerent, ne commutata fide inuaderentur ab hostibus.* Sic Donatus.

Cum irrisione crediderim dictum à Marone fuisse Iouem *Regem altum atheris*, cum flagitiosæ illius libidinis incidit mentio. Dixit fluuiorum Nympham factam fuisse à Ioue Iuturnam; & hunc illi honorem attributum, ereptæ pretium virginitatis. 26 Superiorum culpæ passim minorẽ sermone teruntur & carpuntur.

Hunc illi Rex atheris altus honorem
Iuppiter, ereptâ pro virginitate, sacrauit.

Expendit illa verba Donatus. *Rex, inquit, atheris altus, apud quem honestas omnis, & castitas esse debuerat, vtpote qui esset cæli*

Dummodò adversariũ lædas tuum vel cœlo nõ parcis.

rector, & syderum, pro mercede illiciti stupri, & flagitiosissima libidinis præmio hunc honorem sacrauit, & dedit. Audi quæ addit. *Hæc obtrectatio* (Maronis scilicet) *eò pertinet, vt Turnum ex sorore tali maculam potiùs haberet, quàm aliquam dignitatem.* Dummodò adversarium Æneæ suo Turnum lædat, aut pungat, vel in Nympham & Iouem ausus est, & pudenda horum scelera ad istius pudorem propalat.

27 Suas Principes iniurias dissimulat, quando sua intervenire commoda possunt.

Est ita planè, vt suas Principes iniurias sæpè dissimulent, & irrogatis sibi conniueant, quando de suis agi commodis vident. Commoda ergo præponuntur iniurijs. Præuidebat Iuno commoda sua in auxilio Iuturnæ, quare sic ad illam, pellicem licet Iouis coniugis sui;

Scis, vt te cunctis vnam, quæcumquè Latinæ
Magnanimi Iouis ingratum ascendere cubile,
Prætulerim, cœliquè libens in parte locarim.

Præclarè Donatus ad rem primam. *Simulata dictio! & non ex animo, sed ex temporis necessitate composita! Quando enim fieri potest, vt vxor pellicem libenter compellet, aut amet? Procedebant tamen ista veluti blando ex animo, non vt aliquis inter duas purus monstraretur affectus, sed vt excogitata per Iunonis dolum in Turno perficeret. Nequè enim* (addit deinde) *Iuturnam verè diligebat, aut fratrem, sed agebat causam suam, ne in adverso eventu certaminis Turni ipsa cum suis conatibus caderet.*

28 Maligni & parci sæpè Principes sũt in defenda laude ijs, erga quos benè animati non sunt.

Vel debitum iure honorem Principes solent negare, vel minuere ijs, erga quos benè ipsi animati non sunt; existimantes se posse quasi gratiam auferre id, quod constat non posse sine manifesta iniustitia. Quando Iuno cum Iuturna loquitur de singulari Æneæ Turniquè certamine, vt Æneæ gloriam bellicam minuat, non ait Turnum cum longe fortissimo certamen habiturum, sed *imparibus* illum *telis* concurrere: futuram attribuit telis victoriam, non Troiano; non illius virtuti, sed armis. Inquit enim,

Nunc iuuenem imparibus video concurrere telis.

Quod eleganter Donatus expendit. *Noluit dicere ex aperto Æneam fuisse fortiorem; dixit Imparibus telis, vt heros Troius magis armorum genere, quàm viribus proprijs esset obtenturus à Turno victoriam.* Eodem planè affectu eadem Iuno addit,

Parcarumquè dies, & vis inimica propinquat.

Vbi idem interpres. *Addidit etiam diem fatis vltimis debitum, vt quidqnid ad Æneæ gloriam ex morte Turni redundare potuisset, auferretur ei; & esset magis fatorum, quod fortioris dexterâ fuerat processurum.* Benè Donatus.

29 Adversarij felicitatem tui æquis oculis intueri nõ potes.

Ex adversarij felicitate tui, tuis subiectâ oculis, multum necesse est doloris accrescat. Adeò hic potens affectus est, vt vel in Dijs ipsis deprehendi à Marone fingatur: loquens enim Iuno de Turni

Turni Æneæquè ineundo duello, sic ait,

Non pugnam aſpicere hanc oculis, non fœdera poſſum.

Non auerſura oculos eſt Iuno ab hac pugna, ne victum videat Turnum, (inquit Donatus) ſed potiùs ne victorem videat Æneas. non tam pungitur illius infelicitate, quàm iſtius felicitate torquetur. *Debemus, conſideratâ inimicæ perſonâ, colligere, idcirco pugnam ipſam horruiſſe, ne victorem cerneret, quem per infinita tempora, ac innumeros caſus non valuit ſuperare.* Ita Donatus.

Quid non æmulatio inuertit, & euertit? Ad hanc rem pulchra ſane illa expenſio Donati eſt in hæc carmina, vbi Iuno, 30 Quid non inuertit, & euertit æmulatio?

Nunc iuuenem imparibus concurre telis;

Parcarumquè dies, & vis inimica propinquat.

Et hoc quoquè videndum eſt Donati verba) *illam ipſam* (Iunonem ſcilicet) *ſic de Æneæ Turniquè partibus loqui, vt præferat Turnum, & Æneam cupiat eſſe deiectum. Nunc Iuuenem &c. Iuuenis, inquit, eſt noſter, & poterat vincere, ſi æquis armis contenderet, aut nulla ingrueret maior vis, aut vltima illum fata non premerent. Quanta virtus dicentis! vt quod Æneæ eſt proprium, ex aperto id in aliam partem obtrectantis æmulatione duceretur.*

Cum Iuno Iuturnæ ſubtrahendi fratris ab imminenti periculo curam imponit, relinquit incertam, 31 Incertus rei euentus media maturat.

Reliquit

Incertam, ac triſti turbatam vulnere mentis.

Quare *Incertam?* vt incerto rerum euentu perculſa Soror media quæreret, & maturaret opportuna. Incertitudo enim remiſſionem omnem, & negligentiam excludit. Pulchrè Donatus. *Incertam dixit relictam eſſe Iuturnam, Vt eſſet quod ſperaret, & quod metueret; ne de ſecuritate fieret negligens, aut de deſperatione remiſſior.*

Vide quanta cum comitate verborum Iunonem Reginam appellet Æneas; 32 Cum Superiore, cum Principe agendū nobis eſt ſummâ cum comitate verborum.

Et tu Saturnia Iuno

Iam melior, iam Diua precor

Illam ſemper Troianus æmulam expertus fuerat, nunquam amicam; Et tamen *Meliorem* vocat. Quæ melior eſt, bona fuerit neceſſe eſt; Quando Iuno erga Troianos bona? certè nunquam; non ergo *Melior.* Sed Reginam alloquitur Æneas, & cum verborum comitate decuit appellari. Grauiter Donatus, *Ait ergò, Iam melior, non eſt melior, niſi qui primò fuerit bonus; quod dicitur. Semper malam Iunonem ſenſit, neque aliquando habuit bonam, quomodo dixit Iam melior? Satiatum voluit eſſe, quod à Iunone petebat; nec voluit dicere, Exhibe te nobis ex mala bonam, ſed qualis potes eſſe, cum iam bona meliorem te oſtendere volueris, & propitiare.* Illius, à quo aliquid petis, gratiam cōcilia.

Dum propitiam ſibi Iunonem precatur Æneas, *Diuam* ſe oſtendat, orat; 33 Deus & miſericordia conuertuntur.

Et tu saturnia Iuno
Iam melior, iam Diua precor.

Nam Diua cum propitiatione conuertitur, cum Diuâ propitiatio. Idem Deus est, ac misericordia; idem misericordia sonat, quod Deus. Ingeniosè Donatus expendens illud, *Iam Diua*, sic ait; *Talem te exhibeas precor, qualem esse conuenit Deam, vt sit misericors, & nulli contraria.*

34 Superior vel in medijs suis periculis suorum commodi obliuisci non debet.

Cum iam iam ad singulare certamen cum Turno vocaretur Æneas, quo in certamine vitæ periculum imminebat, curam tamen singularem agebat de suorum commodis & incolumitate sollicitus. Vnde hanc præcinit legem, si fortè fortunâ Turnus victor euadat;

Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Conuenit Euandri victor discedere ad vrbem:
Cedet Iulus agris.

Hanc pulcherrimè legem expendit Donatus, & in eâ egregiam Æneæ curam de sospitate suorum. *In eo tamen, & suis prouidebat, & filio* (verba sunt Donati) *ne post aduersum forsitam certaminis exitum, aliquid ipsi quoquè paterentur aduersi.* Vel in medio vitæ discrimine bonus Superior de suorum salute maximè satagit.

35 Nam genus & proauos & quæ &c.

Verè Ouidius dixit,

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Tuorum merita, nisi tua ijs merita adiungas, tibi merita neutiquam sunt. Ideo Virgilius Camertis merita maiorum suorum meritis iungit, vt laudem mereatur;

Cui genus à proauis ingens, clarumquè paterna
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis.

Vbi Donatus. *Paterna suorum merita, ac sua necessariò posuit. Frustrà sunt enim ornamenta generis, si propria vniuscuiusquè defuerint; cum autem non desunt, tunc vtuntur omni gloria, & se inuicem mutuo decore perfunduut.*

36 Tēperet seueritatē humanitate Superior, qui felicem iussorū optat euētum.

Qui Superior à suis felicem iussorum optat euentum, seueritatem misceat humanitate necesse est. Camertis formam induta Iuturna, (vt verba apud Latinos vim haberent maximam, quæ à prudentissimo Duce proferrentur) hoc seueritatis & humanitatis temperamentum adiecit; ait enim,

Non pudet, ô Rutuli.

Artificio plena verba tria hæc. *O Rutuli*, hîc elucet humanitas; *Non pudet*, hîc seueritas. Illa acutè expendit Donatus. *Exhortatio est cum quadam obiurgatione, in qua modum conseruat, ne imperiosa satis, aut incuriosa turbaret animos, & quod ceperant velle, non facerent. Incipit igitur sic, Non pudet, hoc arguentis est! Quod verò addit, O, hortantis. Quod tertiò dixit, Rutuli, animantis affectum, & indicium laudantis impleuit.* Sic se prudentissimum Superiorem præbuit, qui hanc

hanc seueritatis & humanitatis mixturam adhibuit. Sic amico verborum temperamento voti compos effectus est, qui aliter oleum (quod aiunt) perdidisset & operam. Consule lib.4. in versum illum Iouis ad Mercurium,

Vade age, Nate, voca Zephiros &c.

Sæpè, quod nobis nomen inditum est, ad virtutem capessendam stimulos addit, calcaria admouet, animos erigit & impellit. Ideò crediderim Camertem Latinis obiecisse *Rutulorum* nomen, vt eos & animaret ad prælia, & ad capessendam virtutem impelleret. 37

Vel nomen ipsum nostrum nos interdum ad virtutē impellit.

Non pedet, ô Rutuli,

Cum dixit, Rutuli (ait pulchrè Donatus) *animantis affectum, & iudicium laudantis impleuit.* Et deinde addit; *Considerate qui sitis, & quale Rutulorum nomen, & quanta vbiquè facta prædicatione laudentur.* Ex ipso nomine multum est additum incrementi Virtuti.

Maiorem sæpè nobis periculi fama timorem, quam ipsum solet præsens inferre periculum. In maximo erant metu Latini, de Troianorum numero, armis, & virtute solliciti. Sed hunc illis Camertes timorem adimit, & hortatur eos, vt oculis credant suis, neque fidant alienis; 38

Maiorē sæpè nobis periculi fama timorem, quam periculum præsens, solet afferre.

En omnes & Troes, & Arcades hic sunt.

Non esse plurimos constat, qui negotium nobis facessere possint, cum vestris oculis facilè subiecti sint, in conspectu sint vesto Arcades omnes, & Troes, qui nobiscum sunt pugnaturi. Hîc tota vestri metûs causa posita erat, vt intelligeretis esse quam plurimos, qui paucissimi sunt. Re ipsâ sine dubio maior est fama. Grauissimè Donatus. *Quidquid formidolosum opinio sparserat, præstò est, & subiectum oculis nostris; tùm quod habet pars vtraquè substantiæ, prodidit campus; quod contrà fidem rerum onerauerat fama terroribus. Troiani adsunt, videretur Arcades, in conspectu sunt, quos fatales appellant; Et hoc est totum, quod infensa Etruria potuit in Turnum. Nihil est è diuerso, quod aliquem incutiat metum.*

Exhortationem habuit ad *Iuuentutem* Iuturna induta Camertem, quæ statim commota est, 39

Facilis excitatu iuuentus est.

Talibus incensa est iuuenum sententia dictis,

Non vacat vox illa *Iuuenum*, inquit Donatus. *Quia Iuuenes, facilè quasi quodam flatu exhortationis incensi sunt.* Sic Donatus.

Tolumnius Latinos hortatur, vt & arma corripiant, & Turnum Regem tueantur, 40

Qui hortatur verbo, præcedat etiam exemplo.

Me me duce ferrum

Corripite, ô Rutuli, & regem defendite raptum.

Hortatus illos est verbo, sed vt vim adderet verbo, præcessit exēplo.

Dixit, & adversos telum contorsit in hostes,

Procurrens.

Vbi benè Donatus. *Primus enim eijcere telum debuit, qui dixit,*

Meme duce ferrum Corripite. Expende Donati verbulum *Debuit:* Superioris enim est exemplo præcurrere ijs, quos hortatur & verbo.

41 Suam Tolumnius hastam intorsit; quod inferiores exemplum sequuti, in illius æmulationem vehementer accenduntur.

Viuum Superioris exemplum inferiores vehementer accendit.

Simul hoc; simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.

Ea vis est Superieris exempli in vtramquè partem, vt facilè inferiores trahat: Vide quam facilè, quam citò; *simul hoc, simul ingens clamor*, &c. Præclarè Donatus explicat. *Mox vt ille hoc fecit, secuti cæteri, veluti periti hominis factum, & caluerunt ardore bellandi.*

42 Cæci illi furore ruebant, qui, vt furentibus suis manibus materiam ministrarent,

Furor sacra non curat.

Diripuere aras

Ausi sunt violentas manus in aras inijcere, easquè dissipare & euertere: furor enim sacra non curat, omnia susquè dèque habet, donec ad satietatem vsquè proueniat. Nota etiam cum Donato grauem sæpè iram diuinis abuti rebus vel in Deum ipsum. *Cæci*(inquit) *furore certandi diripiebant aras, non considerantes in ipsa dissipatione Deos magis offendi, quàm gramina, quibus aræ fuerant instructæ.*

Grauis ira vel in Deū abutitur rebus diuinis.

43 Quid hoc sibi vult, vt hostem alius occidat, alij ad spolia conuolent, & potiantur exuuijs? Regem Messapus occidit Aulestem,

Nihil non proterit & pessundat auaritia.

Messapus Regem, Regisquè insigne gerentem
Desuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur;
Hoc habet; hæc melior magnis data victima Diuis.

En tibi spoliatores

Concurrunt Itali, spoliántquè calentia membra.

Vixdum occiditur à Messapo, cum spoliatur ab Italis: calentia adhuc membra exuuntur, & recenti cæde adhuc palpitantia. Itane effrenis horum est auaritia, vt in Regem audeat vixdum occisi? vt occisorem fraudet exuuijs, quæ illi debentur? Nihil non proterit & pessundat auaritia. Dignitates proterit, aliena pessundat commoda, dum studet & inhiat suis. Expende deinde, ab ipsis altaribus auaritia prædatur; in ipsas auida aras inuadit, nihil curans sacra illa sint an prophana; hic namquè Rex inter altaria occisus, & spoliatus est; nam

Et miser oppositis à tergo inuoluitur aris
In caput, inquè humeros,

Pulcherrimè Donatus; *Auiditatem hic Italorum expressit, & auaritiã, qui antè ad detrahenda spolia conuolassent, quàm funus obruissent Regis occisi.* Iniurijs iniurias cumularant, vt suam satiarent auaritiã.

44 Inuolutum in caput, inquè humeros Messapus videt Aulestem, tunc, absquè morâ, ad deuicti hostis perfectam victoriam feruidus aduolat;

Bona te occasio non prætereat.

At feruidus aduolat hastâ
Messapus.

Non ociosè positum est, *Feruidus aduolat :* omni celeritate opus fuit, ne de manibus laberetur occasio. Hìc Donatus. *Festinandum enim fuit, ne ille sese colligeret, & tanti casûs periret occasio.*

Duplicem sui damni causam Ebusus habuit;aliam à se ipso,aliam ab hoste; propriæ superfluitatem barbæ, hostis industriam. 45

Ea,quæ nobis superfluunt,arma nostro sunt hosti.

Torrem Chorineus ab arâ
Corripit, & venienti Ebuso, plagámquè ferenti
Occupat os flammis, illi ingens barba reluxit,
Nidorémquè ambustâ dedit :

In se ipse arma præbuit hosti, cuius industria torrem corripientis ambusti nihil prodesset, nisi barbam, facilem ignis materiam,obuius ipse obtulisset. Et quid inde damni prouênit prolixè barbato ? Audi ;

Super ipse sequutus
Cæsariem lanâ turbati corripit hostis,
Impressoquè genu nitens, terræ applicat ipsum :
Sic rigido latus ense ferit.

Quis crederet futurum, vt barbæ prolixitas ita esset domino noxia,vt necem inferret ? Acutè Donatus. *Duæ fuerunt occàsiones, vna ignis sumpti ex arâ ; altera, quod occurrit facies, quæ barbæ fomite exceptum nutriret incendium.* Ipsa domino barba fomes fuit, quæ exciperet & nutriret incendium, & mortem afferret.

Iure Maro *Pium* hoc loci appellat Æneam, cum suam periculo vitam exponit, ne prauo alios lædat exemplo, qui arma temerè, fractâ iurisiurandi fide, præsumpserant. 46

Summa Superioris pietas est, vitâ periculo exponere, ne prauo alios lædat exemplo.

At pius Æneas, dextram tendebat inermen
Nudato capite, atquè suos clamore vocabat.

Quod ingeniosè Donatus expendit. *Cum illi hæc non sine sacrilegij crimine gererent, Troianæ verò partes resistendi studio ducerentur; emersit idem ipse Æneas Pius, id est, Deorum cultor, nudato capite, & inermi dexterâ, ne ipse quoquè reatûs particeps esset, si fuisset armatus.* Suos vocat & frenat inermis, ac sic non sine maximo vitæ discrimine,in animorum pari armorúmquè tumultu. Amentem diceres, nisi Superior esset & Princeps, qui bono potiùs alijs consulebat exemplo, quàm vitæ suæ. Maluit suo capite pœnam luere, quàm fœdifragus prauo aliorum exemplo videri. Verè Pium ! qui aliorum scandalum vel propriâ destinaret nece redimere. 47

Clamet Superior, qui suos timet in Dei offensam incursuros.

Non Superiorem, aut Principem decet leuibus de causis vociferari ; quando id verò grauis aliqua causa requirit, clament, vociferentur, decet, decet. Decuit Æneam suos clamore à grauissimo sacrilegij crimine,quod ipse putabat reuocare. Crede Maroni,qui prudentissimus vbiquè Poëta, apud quem Æneas,

Suos clamore vocabat.

Notauit Donatus hos Troiani clamores,& probauit. *Benè loqutus est ad suos clamore magno, ne ipsi quoquè sacrilegij sceleribus implicarentur.* Iusta omninò Principi & Superiori causa clamandi.

48 In reprehensione Superior interdũ nec laudet, nec pungat.

In reprehensione laudare reprehensum, præposterum est; illum pungere,iniuriosum interdum. Imprudens illa reprehensio esse potest, quæ alterutro huiusmodi claudicat pede. Vtrumquè vitauit prudens Æneas,cum sic ad suos,

O, cohibite iras.

In vtramquè partem particula O trahi potest, media exponitur, in neutram inclinat; nequè exprimit seueritatem, nequè continet laudem: media proponitur, ad felicem reprehensionis euentum illa quidem optimum medium. Ingeniosè Donatus. *Dicere potuit ô ciues, ô socij; aut ô miseri, ô inconsiderati, vel alia aut bona, aut iniuriosa. Dixit ergò ô,tantummodò, & ne vagaretur longiùs, ad ipsam rem,qua necessariò fuerat dicenda, peruênit.* Hæsit Æneas ipso statim reprehensionis initio in vocula ô, dubitans an laudaret, an pungeret suos, neutrum è re visum est: procedit ergo sola reprehensio, quæ rem damnet,non quæ laudet,aut pungat auctores.

49 Vilis animus magnos non capit spiritus.

Vilis fortasse aliquis animus fuit,qui sauciauit Æneam,si quidem insignis maluit facti premere gloriam, quàm iactare.

Pressa est insignis gloria facti,

Nec sese Ænea iactauit vulnere quisquam.

Hanc vilioris animi notam Donatus vidit. *Huius autem vulneris author* (inquit) *latêre maluit, quàm sese de tanti Herois aduersitate iactare.* Magnos non capiebat spiritus pusillus animus.

50 Cantare sine hoste victoriam ignauorũ est.

Ignauorum planè est cantare sine hoste victoriam. Talis videtur fuisse Turnus,qui tunc se putat spe feruidus hostem vicisse, cum ille vulneratus cedit ex agmine.

Turnus vt Æneam cedentem ex agmine vidit,

Subitâ spe feruidus ardet,

Poscit equos, atquè arma simul, saltúque superbus

Emicat in currum.

Vbi Donatus. *Huius mali occasione arreptâ Turnus audere capit, vt vulnerato insisteret, qui congredi antè non audebat.* Cum hostem non habet,arma poscit & equos,& in currum saltu superbus emicat, vt victoriam cantet ab hoste. Dum hostem videt, pugnam recusat;

51 Cum superbus te iactas, tunc maximè te abijcis.

dum hoste caret, sequitur hostem, & præcinit, inani spe, sine hoste victoriam. Ignauia, ignauia!

Cum elatus superbiâ, & elatione superbus depingitur Turnus,

Saltúquè superbus

Emicat in currum.

Cæcos superbia facit.

Tunc cæco raptus affectu se deprimit ipse, & turpiter abijcit. Quomodo? nam suis ipse

Manibus

Manibus molitur habenas.

Vile exequitur ipse munus aurigæ, & lora suis tractat manibus, & insistit habenis. Dum suum ambit decus, suo dedecori famulatur; dum superbus extollitur, turpis deprimitur; dum auidus gloriæ in currum emicans petit honorem, aurigandi intentus ministerio expiscatur infamiam. Vno eodémquè tempore lucem quærit & inuenit tenebras. Ingeniosè Donatus hunc Superbi conatum expressit. *Hoc est, dum se iactat, & transcendit in currum luxurians*, (præ animi elatione) *habenas equorum temperabat manibus suis, suscepto rectoris officio.* Cæca omninò superbia est, quæ tunc maximè turpitudinis notam incurrit, cum honori suo studet, & gloriæ.

Excedit campo leuiter vulneratus in fœmore Æneas, vt vulnus alliget, & medecinam adhibeat, existimans verò Turnus ex leui, læthali vulnere ictum Æneam excessisse, securus omnino prodit in campum, & cædem in Troianos sæuam exercet, 52 Noxia semper est malè fundata securitas.

Subitâ spe feruidus ardet,

Et deinde;

Multa virûm volitans dat fortia corpora letho, &c.

Sed male fundata securitas noxia maximè Turno fuit; inconsideratæ securitatis pœnas dedit, nam Æneas illum à vulnere recreatus aggressus est, & occidit. Expendit Donatus præproperam Turni securitatem. *Existimans Turnus lethali vulnere Æneam esse percussum, ingenti lætitiâ ferebatur, vsquè adeò, vt in aliorum necem iam iret, quasi de confecto potiore securus.* Immaturæ securitatis pœnam audi à Marone, in huius libri fine;

Ille(Turnus) *humilis, supplexquè oculos, dextrámq; precantẽ*
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit.
Vtere sorte tua, &c.

Miserantis Dei non sustinent viscera detorquere flagellum, inferre supplicium, quin prius ipse puniendos præmoneat, vt vel sic fugiant pœnam & iustã ipsius iram pœnitentes præoccupent. Hùc reuocanerim illud Maronis, ethnicæ Theologiæ peritissimi, qui cum Martem Deum inducit fundendi sanguinis auidum, priùs ait *Clypeo increpuisse*, & vasto sonitu præmonuisse mortales, vt vel sic irascentis furorem effugerent, vel præuias venturo malo preces fundendo, supplicium minuerent; ad misericordiam accurrerent, qui irati tela meserentur. 53 Miserantis Dei est, præmonere puniendos, vt supplicia vitent.

Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mauors clypeo increpat.

Donatus; *Clypeo increpat; strepit enim Martis scutum, quia concussum sonat.* Aliter explicat Zerda nota 11. in hunc tractum. *Explica* (inquit) *Martem ciere strepitus illisâ hastâ in clypeum.* Vel Donatum, vel Zerdam sequaris, hanc sententiam elicias licet, ideò clypeum crepuisse, ideò strepitum edidisse, quia Dei clypeus est:

Dei, inquam, cuius natura est, vel etiam irati, excitare sonitum, & præmonere mortales, *vt fugiant à facie arcus, & liberentur.* Vide lib. 4. num. 114.

54 Transverberatus hastâ à Turno contortâ, expirat Eumedes. Sed Latini adeò effrenis est ira, vt iam morientem premat, & vrgeat instantiùs ad mortem, mucronemquè alto tingat in iugulo, ceruibus moribundi pede superimposito.

Magna illa ira est, quæ vel morientem premit adhuc & vrget.

Semianimi, lapsoquè superuenit, & pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit iugulo.

Notat Donatus grauissimam hîc Turni iram ostendi. *Iratum maximè* (inquit) *voluit Poëta Turnum ostendere, vt morienti etiam gladium altum secaret in iugulum. Cæterùm, etsi hoc non fecisset, moreretur ex primo vulnere.*

55 Caue caue, ne minora pericula negligas; interdum enim accidit, vt minori in periculo contempto pereas, qui maiora vitasti. Totus est Phegeus in eo positus, vt, quam Turni dextra hastam lethalem vibrat, effugiat; obiecto se clypeo tuetur;

Sæpe accidit, vt in minori contẽpto periculo pereas.

Ille tamen clypeo obiecto conuersus in hostem
Ibat.

Retardare curat hastæ ictum imminentis à Turno; hùc opus, hùc labor. Non considerat tamen, imo nec videt, se

Dum trahitur, pendétquè iugis,

Posse rotarum noxia celeritate pessundari, ac proteri. Minus hoc contemnit ille periculum, ac perit in illo. Audi,

Quem rota præcipitem, & procursu concitus axis
Impubit, effuditquè solo.

Præclarè Donatiana paraphrasis. *Hunc, qui scutum obijciebat, rotæ & axis, cum procurrerent, dederunt præcipitem: vbi fati periculum duplex; aliud quippe axis & rotarum incurrit, dum hastam vitare contendit.* Inter duo, quod minus est periculum, quia contemptum vitam ademit.

56 Duplex periculum Phegeus incurrit, alterum è summo, ab imo alterum; illud ab Turni hasta, hoc à rotis, & axe: Prudenter Phegeus maiori occurrit, negligit minus.

Maiori priùs hosti semper occurre.

Ille tamen clypeo obiecto conuersus in hostem
Ibat.

Quod aduertit Donatus. *Plus enim discriminis sperabatur è summo, & ipse fuerat feriendus, qui valebat occidere.* Prudentia fuit, licet misero cessit infaustè.

57 Vbi etiam notes velim *Omnia mortalibus scatere periculis*, summa, ima; nostra, aliena; à nobis, ab hoste; Prouidit sibi Phegeus ab hoste; à rotis ille suis, & ab axe non prouidit; his perijt, & incuriæ suæ pœnas pependit. Totus erat positus in præcauenda hasta, qua imminet hostis à summo.

Omnia nobis sunt plena periculis.

Ille

Ille tamen clypeo &c. (vt suprà.)

Quod inferius periculum erat, non cauit. Vndiquè debuit peruidere pericula, quæ nos vndiquè cingunt, fortaſsè non periret. Donatus. *Dum igitur ſuperiora reſpicit, ſicut dictum eſt, impulſu axis & rotæ proſtratus eſt; ſic enim habes*

Quem rota præcipitem, & procurſu concitus axis
Impulit, effuditquè ſolo.

Accepto vulnere ſæuiebat Æneas, 58

Sæuit, & infractâ luctatur arundine telum
Eripere.

An ſæuiebat ex vulnere? non putat Donatus; ſed iniquo animo ferebat vir fortis longiorem ab acie diſceſſum. *Non ſæuiebat* (Donati verba) *ex vulnere, ſed quòd tardaretur ex bello.*

Iniquiori animo fert vir fortis ab acie ſecedere, quàm vulnerari.

Suum non curabat dolorem Æneas, nihil ſua damna ducebat, cum damna videbat interuenire communia, quæ pati neceſſariò deberet exercitus, ſine Imperatore, ſine Duce. Quid ergo ille? 59

Suorum cōmoda proprio emat dolore Superior.

Infractâ luctatur arundine telum
Eripere.

Expendit Donatus vocem illam *Eripere*, quæ violentiam ſignificat, & dolorem importat. *Eripere eſt* (inquit) *non trahere paulatim, ſed ſemel rapere, quod fieri ſine magno corporis malo non potuit.* Optimus ille Superior de communi vtilitate ſollicitus, nihili ſua damna, dolorémquè ducebat; communia commoda longè ſedulo ſtudio ſuis præferebat incommodis.

Præpropera in rebus agendis anxietas ſæpe ſolet ab ſcopo longè intento aberrare. Anxius Æneas eſt de feſtina ſui vulneris curatione, vt quàmprimùm poſſet in aciem, certaménquè redire. Moras odit, ſed moras innectit; medelam vulneri quærit perbreuem, ſed diuturnam iubet; per compendium ire conatur, ſed inuenit ibi diſpendium. Compendioſam attende viam, quam Æneæ excogitauit anxietas; 60

Præpropera ſtudia longè ſolent ab ſcopo aberrare intēto.

Enſe ſecent lato vulnus, teliquè latebras
Reſcindant penitus, ſeſequè in bella remittant.

Diuturna vult incrementa doloris & vulneris, dum ſine mora illius leuamina quærit: ferro atquè igne cicurari dolorem iubet ex vulnere, cum ita diutiùs duret neceſſe ſit, & intenſiùs. Grauiter & ingenioſè Donatus. *Odioſas habuit moras; ſed totum hoc, quod volebat effici, moras afferre, non compendium potuit: nā ſagittam rapere, & lato enſe penitùs ſecare latebram teli, augmentum vulneris fuit, maior dolor, & longi tēporis cura.* Addit deinde; *Totum igitur properanti contrarium fuit.* 61

Hanc vocem *lætus* addit ſæpè Virgilius, cum de Dijs loquitur beneficia præſtantibus. Hîc

Qui lætus beneficia præſtat, neſcio quid habet diuinitatis.

Ipſe ſuas artes, ſua munera lætus Apollo
Augurium, cytharam dabat.

Et lib.9. Berecynthia Dea Dardanio Æneæ *læta* classem dedit; Sic ipsa ad Iouem;

Has ego Dardanio iuueni, cum classis egeret,
Læta dedi.

Lætus Deus dedit vterquè, ille *suas artes & munera*, illa pinus ad classem. In locum primum sic Zerda. *Lætus, inquit, quia maior est dantis gratia, si ita det, quàm si tristis; nã videbitur necessitate coactus, & inuitè dare.* Quod mutuatus est hic à Donato, cuius hæc sunt verba. *Lætus Apollo: Et hoc, & libro nono positum est, vt intelligas, magnam esse gratium dantis, si lætus aliquid præstet; illic enim dixit, Has ego &c. Nonnunquam enim damus aliquid inuiti, perindéquè non læti, cum ad dandum necessitate aliquâ, non amore compellimur.* Ideo crediderim Æneam, cum Supremum honorem Pallanti impendit occiso, *mœstum* impendisse, lib.11.

Supremum mœstus honorem
Induit.

Mœstus ille fuit, non quia daret honorẽ, sed quia *supremum* daret. Quod vidit acutè Donat. *Ideo mœstus, quia vltima honorificentia fuit.* Lætus daret, si multa posset sentienti iuueni, incolumique præstare. Habebat enim optimus Princeps hanc notam diuinitatis in dando.

62 Tentauit Iapix, medica in arte peritissimus, relictum in Æneæ fœmore spiculum forcipe extrahere, neque tamen potuit. Accurrit mater Venus de filij salute sollicita, &

Materna illa omninò curatio est, quæ manu, non ferro peragitur.

Ipsa manu genitrix Dictæâ carpit ab Ida
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina.

Ipsa Mater carpit, ipsa mater leui manu medicinam vulneri miscet, materno affectu, materna sollicitudine; & quod ferro Iapix non potuit, molli mater fomento est consequuta. Ingeniosè Donatus. *Quod ait, Manu carpit & matris animum expressit, vt ipsam diceret operâ suâ procurasse, quod sanare filium potuisset; & non ferro, propter remedium, sed manu assereret sublatum.* Hæc laudanda curatio est, quæ à Matris & Deæ manu peragitur. Felix hæc & facilis. Quæ verò forcipe & scalpello tentatur, frustrà sæpè tentatur, sæpè infeliciter. Illa matris, hæc nouercæ. Matrem age Superior quisquis es, fuge Nouercam. Hanc Donatus lectionem sequitur, non vulgarem.

63 Si in alterutram partem peccandum à superioribus est, seueritatem fugiant, lenitatem ament; sola illa sæpè infelicitatis est mater; sola hæc vt plurimùm felicitatis: imò miraculosam solet sanitatem afferre, & desperatam incolumitatem inducere. Audi. Saucius ex bello prodit Æneas; accurrit Iapix, vt medicam adhibere manum vulneri possit. Sed dum manu ferro tantùm armatâ, & rigore, conatur telum extrahere, & mucronem eripere, quo vulnus acerbè cruentabatur, frustrà laborat, *Nequicquam*

Lenis Superiorum manus miraculosam sæpè curationem efficit.

Nequicquam spicula dextrà
Sollicitat, prensatquè tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit

Aliam meliùs ingressus viam molles in aëno herbulas mixtas à Venere, occultè medicante,

Ambrosia succos, & odoriferam Panaceam

Vulneri sparsit, qua ille lenitate remedij & curat vulnus, & dolorem fugat;

Fouit eâ vulnus lymphâ longæuus Iapix
Ignorans, subitóquè omnis & corpore fugit
Quippe dolor.

Quod vulnus ferri rigore recrudescebat, mollissimæ aquæ suauitate curatur; relictus mucro forcipi tenaci resistit, & ferri violentiam eludit; cum autem leni fométo tractatur, & aquæ mollitie mulcetur, statim excidit, & medicãtis manum, nullo cogente ferro, cõsequitur.

Iámquè sequuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atquè noua rediere in pristina vires.

Quod hîc acutè Donatus expendit. *Si nullo cogente* (inquit) *quomodo sequuta manum? Sic intelligendum est, vt sagitta non manum tenentis ferrum sequuta videatur, sed fouentis.* Cessit manûs lenitati sagitta, quæ restitit ferro. Fomenti manus, materna manus est; armata ferro manus; est illa nouercæ. Hæc cruentat sæpè vulnus, & perdit; illa miraculosâ solet curatione recreare. Cum vel nulla allucet opportuni remedij spes, lenitas illud efficacissimum præbet, ita vt dici possit, quod hîc Iapix, Lenis manus Dei manus est.

Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ.
Proueniunt, nequè te, Ænea, mea dextera seruat.
Maior agit Deus.

Mollis ac lenis manus, Dei manus est; hæc vulneris curationem perfecit, ad quem mea ferro munita aspirare non potuit.

Fatetur Iapix nihil se, nequè medicam artem in Æneæ vulneris 64 curatione profuisse. Sese spontè medicasquè vires extenuat; & hac confessione non solùm sibi aut arti non nocet, sed maiorem inde existimationem acquirit. Nunquam nostræ pusillitatis cõfessio nocere nobis potest.

Non arte magistra (inquit)
Proueniunt, nequè te, Ænea, mea dextera seruat.

Pulchrè Donatus. *Non pudenda confessio; quoniam Iapix profitebatur non illam hominis, sed diuinam fuisse medicinam: in eo nec sibi aliquid dempsit, & Æneæ merita studio melioris prædicationis cumulauit.* Ingenuâ ille confessione, quæ Deo debebantur, attribuit; vnde & ipse sibi laudem meretur; tantum abest, vt vltronea pusillitatis 65 confessio existimationem detrahat, aut minuat. Amãti quæcunquè mora, sæculum est.

Vix sese Æneas recreatum sensit ex vulnere, cum de illo sic Poëta;

Ille auidus pugnæ suras incluserat auro.

Plusquàm præterito vtitur, cum vix Æneas suras auro cæpisset includere. Impropria videtur esse loquutio plusquàm præteriti, ea in re, quæ adhuc agitur in præsenti. Sed impropria non est, imò hic quam opportuna pugnandi auiditati Troiani, & suorum amori, qui quamcunquè moram sæculum sibi esse putabat. Hæc temporum turbatio, ordinatissima est affectus distributio. Acutè Donatus explicat Maronis acumen. *Rectè incluserat. Hic mos est properantis, & amantis tardum putare, etiamsi, quod faciendum est, celeriter fiat.*

66 Languent verba, nisi facta sequantur. Ab operibus verba stabilimentum sui, & robur accipiunt. Cum Æneas Ascanium filium verbis hortatur, vt maiorum virtutem bellicam imitetur,

Verba ab operibus stabilimentum accipiunt.

Te animo repetentem exempla tuorum.
Et Pater Æneas, & auunculus excitet Hector,

Armatus, & ad pugnam instructus alloquitur. Verbis facta, factis consonant verba:

Ille auidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atquè hinc, oditquè moras, hastámquè coruscat,
Postquam habilis lateri clypeus, loricaquè tergo est,
Ascanium fusis circùm complectitur armis,
Summaquè per galeam delibans oscula fatur.

Hortatur ad arma armis instructus, vt fortiùs & vehementiùs persuadeat. Ingeniosè Donatus; *In amplexus pueri venit armatus; ne omen esset deponere scutum, & manibus nudis filium amplecti, quem hortabatur in arma.* Omen esset, si verbis tantùm hortaretur Ascanium, inermis ad arma, in Martem ipse non Martius. Præferat ergo arma, qui vocat in arma.

67 Quicunquè alios docere, alios instruere cum vtilitate conaris, lenem te præsta, mansuetum exhibe, patrem age. Instructurus Æneas Ascanium filium, quem maiorum suorum cupiebat æmulatorem, blanditijs allectat, beneuolè tractat,

Præstat in docendo, lenitatem, seueritati præferre.

Ascanium fusis circùm complectitur armis,
Summaquè per galeam delibans oscula, fatur.

Amplexus miscet & oscula verè parens, qui & genuerat, & instruebat. Vbi opportunè, breuitérquè Donatus; *Complexu, & osculis fouet, quam verbis cupiebat instruere.* Nam sequitur, *Disce puer*

68 Ingeniosè Virgilius, cum iturus in bellum Princeps Æneas Iulium alloquitur, armatum ait in filij venisse complexus, & oscula per galeam delibasse.

Seueritatem lenitate temperet Superior ac Princeps.

Ascanium fusis circum complectitur armis;
Summáquè per galeam delibans oscula, fatur.

Nimia videtur patris austeritas erga vnicum filium, cuius in capite Romani spes nitebatur imperij, (nam ille *spes altera Romæ*) fusis illum armis complecti, *hoc est*, (ait Zerda) *fundere super filium*

filium armata brachia; & summa oscula delibare per galeam; *summa*, inquam, *oscula*, & *delibare*, & *per galeam*; quod fieri sine teneri pueri & paterni amoris læsione non poterat. Erat Æneas parentum Idæa, & verissimam hic egit patrem: noluit enim molles totus in affectus effluere, noluit lenitatem tantùm & suauitatem pręferre; misceri seueritatem voluit mollitudini, & vtramquè opportunè temperari. Alliciat labiis, armis terreat; calybe perstringat & vulneret, mulceat affectu; iungantur labia & galea, suauia illa, rigida hæc, & huius veri patris excellentiam erga filium testentur. Pulchrè & ingeniosè interpres Anonymus manuscriptus ad marginem. *Benè per galeam delibat oscula, ne pleno pater, vero tamen affectu ferretur in filium.* Tunc verum se patrem probauit Æneas, cum amoris affectum austeritati coniunxit, dulce acri temperauit, labia ferro commiscuit, amorem honori addidit, & proprium sese & externum exhibuit.

Recurre ad librum 10. & eundem videbis Principem, vt hîc seueritatem lenitati, ita ibi lenitatem seueritati miscentem. Lausum Principem illata nece castigat (quam iure belli Troianus potuit inferre Latino) noluit tamen gregarij cuiuslibet militis dexteræ ferroquè remittere, suâ voluit regiâ dexterâ illum occumbere, vt honestiùs & honorificentiùs sub fortissimo & nobilissimo caderet hoste, & inueniretur honor in cæde, lenitas in seueritate, in rigore indulgentia. Sic ipse ad Lausum iam sub ense victoris;

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ Magni dextrâ cadis.

Pulchra est nota Doctissimi Sanchez in Iob.7.num.39. *Ex communi hominum sensu gloriosum indicat mortis genus, quod illatum est à nobili hoste. Hac apud Maronem ratione solabatur Æneas cadentem suo telo Lausum.* Temperauit vt Princeps misericordiâ iustitiam; vel in medio Martis ardore nobilissimæ huius mixturæ, quæ Principem decet, oblitus non est.

Disce puer, Æneas inquit, dum hortatur Ascanium. Apposito vsus est verbo *Disce*, quia Puer Ascanius. Illa enim ætas est perquam apta discendo. Nunc, cum puer es, *Disce*, nequè ad grandiorem *Discere* remittas ætatem, Vbi Pontanus IESVITA. *Omninò pueris, & adolescentibus præscribendum est; quod viri iam facti exequantur. Cum matura*, inquit, *adoleuerit ætas, Sis memor: Sensus enim, mens, consilium, ingenium, animi vigor augescit cum corpore, cum eodemquè minuitur.* Quod Lucretianis pulchrè versibus firmat. 69

Apta discēdo pueritia est.

70

Totus amoris affectus à patre in filios effundendus non est.

Expende etiam in hoc loco *Puerum* dixisse, non *Natum*, *Filium*, *Satum*; vt verus Pater veros patres edoceat, non totum amoris affectum effundendum in filios. Quasi cum alieno agit, cum tamen vnicum illum amet vt filium, Dixisset alius *Fili*, *Nate*, non tamen

Æneas, qui prudentissimus vbiquè à Marone depingitur.

71 Præcedat Superior, sequũtur inferiores.

Intrepidè in anceps prælium primus irruit Æneas,

Portis sese extulit ingens.

Vbi Donatus. *Ingens scilicet animo & corpore.* Statim Troiani Duces, omnisquè turba relictis castris subsequuntur, certatim, nullâ habitâ ratione periculi.

Simul agmine denso
Antheus, Mnestheusquè ruunt, omnisquè relictis
Turba fluit castris.

Procedente Æneâ in campum (ait Donatus) *omnibus bellandi studium creuit; tantaquè illis fiducia fuit, vt nullus dubitaret exire. Processerunt duces, nequè aliquis remansit in castris.* Imperatorem duces, duces reliqua turba secuta est,

72 Centoculus est in suo quisquè periculo.

Plures quàm Argos in sua quisquè vel causa, vel periculo oculos habet. Mirum est, quod Virgilius ait, primum fuisse Turnum, qui vidisset Æneam, cum ad aciem reuertitur ab accepto vulnere recreatus.

Vidit ab adverso venientes aggere Turnus.
Videre Ausonij.

Grauis nota Donati. *Benè dixit primò Turnum vidisse venientes; quia in causa sua debuit esse circumspectus.* Et paulò inferiùs idem expendit in Iuturna, nam

Prima antè alios Iuturna Latinos
Audijt, agnouitquè sonum, & tremefacta refugit.

Iuturna, quam specialis pro fratris salute sollicitudo tangebat, prima vidit, prima audiuit, prima cognouit, prima contremuit, & fugit. Sic Donatus.

73 Arcta vnio defensionem conciliat.

Cum Troiani, Ducem secuti suum, Latinos inuadunt,

Densi cuneis se quisquè coactis
Agglomerant.

Vbi præclarè notat Donatus arctam hanc Troianorum vnionem defensionem illis conciliasse, ne facilè paterent in cædem. *Multum enim valet* (inquit) *plurimorum in vnum arctata congestio. Proinde vnusquisquè se stipabat in cuneum, ne opportunus fieret morti.*

74 Puluis à tergo victũ te prodit.

Vt puluis à fronte constantem indicat virtutem, ita à tergo prodit inertiam. Satis apparet victos fuisse Latinos, quorum *puluerulenta terga* dicuntur in *fuga.*

Puluerulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.

Qui à tergo puluerem excipit, non à fronte, caueat, caueat.

75 Multa Principibus affert cōmoda seruata religio.

Mysticè.

Periculosè inter Latinos gradiebatur Æneas, quin iniuriam cuipiam eorum inferret, non vnâ præ manibus datâ occasione.

Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes
Insequitur.

Ratio

Ratio est, quia iureiurando firmaret neminem à se inuadendum, nisi Turnum, quem in singulare certamen cum ipso descensurus quærebat. Vt ergo iurisiurandi religionem seruaret, aliorum abstinet cæde, vnum vestigat Turnum, & summum hinc inde discrimen non curat.

Solum densâ in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

Grauiter Zerda. *Quærit Turnum, vt religiosus, quia cautum erat fœdere, vt duo illi tantùm concurrerent singulari pugnâ, multitudini parceretur.* Quam ergo mercedem habuit Æneia hæc iræ, ferriquè religiosa repressio? felicissimam. Offendit tandem Turnum, cum eo congreditur, illum vincit, occîdit. Item illos, quibus ipse sponte pepercit, gloriosa sibi fecit spolia, & decus victoriæ. Quod notauit ingeniosè Donatus. *Nouerat enim, & prudenter considerabat seruandam esse plebem victoriæ suæ, nequè vlteriùs cadendam.*

Hæc etiam moralitas allucet hoc loco. Quod Dei causâ dimittis, id recipis certius, & melius. Religione motus Æneas pius obuijs parcit Latinis, ne scilicet ius iurandum firmatum ante aras violaret; Et tunc maximè rem agit suam, nam post victoriam adeptam à Turno, hos quibus pepercit in acie, recepit in suos. Donati verba præcedenti laudata numero apertè in hunc sensum. *Nouerat enim* (*Æneas*) *& prudenter considerabat seruandam esse plebem victoriæ suæ, nequè vlterius cadendam* Prudentissime prouidit Pius, totum id, quod dimittebat, in suam vtilitatem cessurum. 76

Quod Dei causâ dimittis, id recipis certius, & melius.

Quamuis in hoc prælio multi Latini ceciderunt, clamor nullus est excitatus, quoad vsquè Tolumnius cecidit augur (vt sentit Donatus, & ferè Virgilius expressit. Sic enim ait? 77

Cadit ipse Tolumnius augur.

Et statim addit,

Tollitur in cœlum clamor.

Ecclesiastici (vt ita loquar) lapsum quis non notet?

Quis enim non excitaretur in vocem, augurē ipsum nec vitare potuisse pœnam, nec preuidere supplicia. Sic Donatus. Miserabilis Tolumni auguris casus, & pœna, ecclesiastici nimirum, clamorem excitauit.

In hunc locum 78

Consilium malum consultori pessimum.

Cadit ipse Tolumnius augur
Primus in aduersos telum qui torserat hostes,

Sic moraliter Pontanus I E S V I T A; *Quod narrat ipsum augurem Tolumnium cecidisse, qui primus telum in hostes conieceris, fœdusquè turbauerit, tacitè notat prouerbium, Consilium malum consultori pessimum.* De quo consule Adagiographum.

Vnionem neglexere Latini, palantes hinc inde dissipati sunt; opprimentur sine dubio; nam sicut vnio mater est victoriarum, ita vnionis neglectus parens est dedecorũ. Notauit hoc Donat. in illud carmē. 79

Vnione neglectâ turpiter vinceris.

Puluerulenta fugâ Rutuli dant terga per agros.

Non congesti affuerant, sed sparsi fugiebant; quæ res indicabat oppressos.

80 Cum hastam iecit Messapus in Teucrum, eam euasit saluus Æneas, collectus in arma, parúmque depressus; ictum sensere sublimes cristæ.

Victrix humilitas, victa superbia.

Substitit Æneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens.

Victor est humilitate Troianus: victæ verò suâ superbâ sunt cristæ;

Apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasquè excussit vertice cristas.

Acutè sanè Donatus. *Subsedit, inquit, poplite, & se scutò contexit; ille enim altus miserat, vt caput feriret, aut pectus; & quoniam pro voluntate hostis altitudo corporis fuerat necessaria, humilem se ille contrario procurauit Apicem tamen incita summum Hasta tulit Ecce vis mittentis, & ex alia parte declinantis ingenium; si enim stans remansisset, inuenisset hasta, quem sterneret.* Profuit humilitas, offuit sublimitas; illa victrix, hæc victa est. Expende lector cristarum elationem in vocibus, *Apicem*, & *summum*; *cristas*, & *summas*, & *vertice*. Qualis verò depressio victoris! *Substitit*, & *se collegit in arma*, *subsidens*, & *poplite*. Huic adsonant, qui sequuntur numeri.

81 Causam necis extitisse Murrhano animi elationem illam, qua & auos, & atauos tumidus præiactabat, sensit Virgilius, explicatore Donato. Sic Poëta,

Ipsa sibi nocet semper animi elatio.

Murrhanum hic atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina, per Regesquè actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo, atquè ingentis turbine saxi
Excutit, effunditquè solo.

Rectè *Præcipitem*, ab animi potiùs elatione sui, quàm scopulo. *Huic asserit Poëta vanitatem animi sui obfuisse*; (Donati sunt verba) *qui dum se putaret propter nobilitatem generis, quod per Reges Latinos ad ipsum quoquè peruenerat, à quoquam contingi non posse, sic Æneæ manu prostratus interijt.* Murrhani, cædem Superbiæ potiùs, quàm Æneæ mãibus hic attribuit Interpres. Ipsa sibi nocuit, vltrix sibimet extitit ipsa.

82 Digna videtur elati animi pœna sub brutalitate depressio. Suprà reliquos sese homines, superbiâ elatus, iactabat Murrhanus, infrà bruta calcetur, & incitâ vngulâ proteratur. Vile mortis genus ferat, & humile, qui paulò antè Reges atauos canebat & proauos.

Animi elationi dignè respondet sub brutalitate depressio.

Crebro super vngula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.

Festiuè simul ac pulchrè Donatus. *Iocari voluit Poëta, non verum dicere, nam sensus iste ab equis alienus est.* Insultat iocosè Murrhano Virgilius, & animi exprobrat elationem, cum inter equorum illum vngulas ferro munitas, abiectissimè collocat. Dignum planè Superbiæ

biæ vel occaſum, vel tumulum. Si hominis ille manu in prælio cecidiſſet, honeſtè nimis cecidiſſet. Sub Brutorum vngulis prematur & pereat, vt digna crimini pœna reſpondeat.

Expendit Aſcenſius non inanem illam eſſe in Virgilio coniunctionem vocum, 83 Cura diligēs guloſitatem obtruncat.

Epulonem obtruncat Achates.

Rectè Achates Epulonem obtruncat. Bona (inquit) *alluſio! Nam Achates Curam ſignificat, quæ nimirum Epulonem, id eſt, guloſitatem obtruncat.* Non vulgaris Cura neceſſaria eſt, quæ vitium hoc guloſitatis ſuperare poſſit, & obtruncare.

Potuit Æneas ſtragem edere inter Latinos, dum Turnum quærebat, quo cum ſingulare certamen erat initurus; noluit tamen, ne iuris iurandi religionem violaret. Quando verò neceſſitate compulſus ſoluitur iuramento, ante quam adverſarios promiſcuè inuadat, Deos teſtatur publicè, ſe coactum neceſſitate ad arma veniſſe, & irruere in medios; 84 Conſtet Reip. de cōſilio, quod, ſpecie quidem iniuſtum, Princeps, vel Superior exequitur.

Diuerſos vbi ſenſit equos, currumquè referri;
Multa Iouem, & læſi teſtatus fœderis aras,
Inuadit tandem medios.

Tandem, inquit, *inuadit*, cum nulla iam alluceret ſpes conueniendi Turnum Grauiter hîc Donatus: *Propter fidem iuris iurandi, quod cum Latino perfecerat, ſolum quærebat Turnum, quem ſine crimine ſacrilegij iure poſſet occidere: ſed cum videret ſibi eius copiam denegari, teſtatus Iouem, & cæteros Deos, per quos iurauerat, ſe in bellum neceſſitate potiùs quàm voluntate compelli, inuadit tandem.* Conſtet omnibus compulſum Principem neceſſitate inijſſe conſilium, ſpecie quidem iniuſtum, re ipſa iuſtiſſimum.

Iuſtam belli cauſam Æneas omnibus voluit eſſe teſtatum, deinde verò intrepide aciem ingreditur, omnibus metum Latinis incutit, nominem metuit; 85 Vbi iuſta belli cauſa eſt, clades vlla timeri vix poteſt.

Inuadit tandem medios, & Marte ſecundo
Terribilis.

Pulchrè Donatus; *Teſtatur Iouem, & cæteros Deos, per quos iurauerat, ſe in bellum neceſſitate potiùs, quàm voluntate compelli, Inuadit tandem medios, medios inquit Marte ſecundo inuadit terribilis: magna viri fortis conſtantia! non dubitat medios innadere vbi à circumfuſis poſſet interfici.* (ſecurum illum & iuſtæ teſtatio cauſæ efficiebat & pietas) *Ecce & feliciter pugnat vallatus inimicâ multitudine, inter tot ac tales terrori ōnibus fuit. Quāta laus eſt non timere, & ab omnibus metui.*

Magna Æneæ patiētia fuit, cū Latinorū cāpū percurrebat innoxius; 86 Laceſſita patiētia impatiētiſſima eſt.

Nec pede congreſſos, nec equo, nec tela ferentes
Inſequitur.

Magna, inquam, Æneæ patientia fuit pietate coniuncta, qui (ait Seruius) *nec vulneratus iraſcitur, vt velit contra legem fœderis in-*

bellum moueri. Sed cum belli causam lacessitus videt omnibus esse probatam, nemini parcit, sæuam sine discrimine suscitat cædem, & furoris habenas effundit.

Sæuam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarúmquè omnes effundit habenas.

Notauit grauiter Donatus. *Anteà nullum eligens ad mortem, nullúmquè prosternens, tantum consenserat iracundia sua postea, vt nullis iam retineri nexibus posset.* Repressa patientia erupit in cædes; & ex optimo, quod aiunt, vino pungens maximè acetum effectum est.

87 Non frustrà Virgilius apostrophe vtitur in Æoli cæde, qui ex grauioribus periculis, in leuiori perijt.

Miserũ est, illũ, qui grauiori è periculo liber euasit, in leuiori perire.

Te quoquè Laurentes viderunt Æole campi
Oppetere, & latè terram consternere tergo.
Occidis, Argiuæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum euersor Achilles.

Ipsis mouisti commiserationem tui Latinorum campis hostilibus, cum te cadentem viderunt in leuiori periculo, qui grauissima toties saluus euasisti. Pulchrè Donatus. *Per apostrophem formosam comparationem induxit, exprimens in eà dolentis affectum. Quasi diceret; Potuisti cadere in genitalibus terris, & à melioribus percuti, nunc in peregrinis iaces, & prostrauit inferior.*

88 Egregius vir Solis est instar, cuius mors Occasus est. Hoc ingeniosè Donatus obseruat in Æoli morte, quam *Occasum* Virgilius appellat;

Egregij mors viri occasus est.

Occidis (inquit.)

Virtute, sapientiâ, animi magnitudine, nobilitate conspicui, Soles sunt, qui dum viuunt, terras illustrant; dum moriuntur, illas luce destituunt. Talis Æolus fuit. Dicatur ergo illum *Occidisse*, ad occasum venisse suum, non interfectum esse. *Occidis, ait.* (Donati verba) *Hoc verbum, Occidis, maiorum personis aptatur; sed quoniam hunc de nobilium & fortissimorum numero vult esse Virgilius, Occidisse eum dixit, non occisum esse.* Et vt significet Poëta ter maximus quantã in occasu suo afferant terris orbitatem hi Soles, per apostrophem dixit, *Occidis,* vt explicetur dolentis affectus. Idem notauit interpres. *Per apostrophem induxit, exprimens in ea dolentis affectum.* Nota item quasi cum viuenti Poëtam miscere sermonem; nam huiusmodi viri, quamuis suum ad Occasum venerint, viuunt tamen, & illorum semper est memoria superstes.

89 Nobilitatem generis Æoli amplificat Repetione Virgilius,

Quidquid in terris vel nobilissimũ est, obnoxiũ est ruinæ, obnoxium pulueri.

Domus alta sub Idâ
Lyrnessi domus alta.

Vbi Zerda; *Ex geminatione exsurgit maior conquestio.* Nihil tamen proficit illi decantatæ nobilitatis accessio, quin esset alieno in solo sepulchrum;

Solo

Solo Laurente sepulchrum.

Nascentem te excepit (paraphrasis est Donatiana) *alta Lyrnessi domus, mortui funus Itala terra complexa est.* Et Zerda clariùs ad rem meam. *Vide verò quantum intersit inter domum altam, & sepulchrum!* In Nota verò 11. huius tractûs perpulchrè. *Notabis* (ait) *integri versus miram oppositionem; Lyrnessus opponitur Laurenti, domus sepulchro, altitudo aquabili & plano loco. Conformata omnia ad affectus mouendos.*

Quî possit Cœlum tuis opem damnis afferre, si tutemet in ipsa temerarius immittas? Mirum non est à Dijs suis Cupentum sacerdotem tectum non esse, atquè defensum, cum in pericula ipse voluntarius irruerit. 90 Obstas Dei erga te auxilio, si tutemet in pericula immittis.

Nec Dÿ texere Cupentum,

Ænea veniente, sui.

Quare illum non texerint, audi.

Dedit obuia ferro

Pectora, nec misero clypei mora profuit arei.

Hanc Cupenti desertionem à Dijs ingeniosè Donatus expendit. *Quis enim Deus* (inquit) *morti posset auxilium ferre, quando aduersum pectus vltrò obtulit ferro; tantúmquè se opportunum prabuit, vt nec obiectu clypei aliquas morti sua moras afferret.* Tu cum Deo simul stes necesse est, si victoriam petis, si palmam ambis. Obstat Dei auxilio tua temeritas. Tu & Deus simul.

Facilius imparatus opprimitur, paratus non ita. Ideò Venus monet Æneam, 91 Imparatus facilè vincitur.

Iret vt ad muros, vrbiquè aduerteret agmen

Ocyùs, & subitâ turbaret clade Latinos.

Vbi Donatus; *Grauiùs est enim malum, & citiùs obtinet, quod inopinantes oppresserit. Securi enim fuerant intra ciuitatem constituti, alÿs in campo certantibus.*

Certâ solet experientiâ comprobari, Viuidâ rerum cogitatione ignis nescio quid & flammarum vel frigido pectori subministrari. Talis subijt mentem Æneæ, quam vehementer accendit. 92 Viuida rerum cogitatio ignem intùs accendit.

Continuò accendit pugna maioris imago.

Vbi breuiter & pulchrè Donatus. *Quasi iam fieret, quod mente conceperat, sic accensus est.* Viuida ita illi rerum cogitatio futura repræsentauit, vt accenderetur Æneas.

Consilia sua ijs communicauit Æneas, qui ea vel promouere possent, vel exequi. *Ductores* elegit omnes, nos quoscunquè gregarios. 93 Principum consilia nouerint tantùm ij, qui promouere ea possint.

Mnestea, Sergestúmquè vocat, fortémquè Serestum,

Ductores.

Non vacat vox hæc *Ductores*. Grauiter, politicéquè Donatus. *Idcircò, inquit, hos vocauit, quoniam Ductores exercitus fuerant, & aptauit eos Regis consilium nosse,*

94 Ad Æneæ concionem conueniunt Teucri, armâ tamen, quibus & ſe tueri, & offendere hoſtem poſſent, non dimittunt.

Inter pericula arma ne deſeras.

Nec ſcuta aut ſpicula denſi
Deponunt.

Prudenter ſanè inter pericula arma non deſerunt. Quod notauit Donat. *Oportuit quippè plenam eſſe cautelam, vbi tantus feruor certaminum vertebatur.* Dum militamus, arma de manibus deponere non debemus.

95 Cum ſua vel ſuorum vrget neceſſitas, deſes eſſe non debet Superior, ac Princeps; non ſedeat, ſtet potiùs, & excubet. Optimus pingitur Princeps Æneas à Virgilio, qui cum ad ſuos in periculo conſtitutos verba facturus eſſet, ſtans celſo in aggere fecit.

In ſuo ſuorumquè diſcrimine deſes nō ſit Superior ac Princeps.

Celſo medius ſtans aggere fatur.

Donatus. *Stans, inquit; in neceſſitate enim tantâ ſedere non debuit.*

96 Aliam idem interpres rationem adducit, quare Æneas *Staret*, & *medius* ſtaret: quia nimirùm Principis ac Superioris conſpectus mirum in modum ad felicem rerum conducit euentum, tam militiæ, quàm togæ, tam in foro, quàm clauſtris. *Stabat, inquit, & medius ſtabat, quia aliter videri, & audiri non poterat, niſi vidiſſet omnes, & videretur ab omnibus.* Neceſſarius valdè ſæpè conſpectus hic eſt, ad feliciſſimum quemquè rerum effectum.

Principis, ac Superioris conſpectus mirum in modum felici rerum euentui cōducit.

97 De Superiorum ac Principum comitate erga ſuos Donatus in hoc loco pulchrè & acutè. Lege numerum 39. lib. 2. vbi carmen hoc in rem hanc explicatur.

Principum ac Superiorum comitas ad felicitatem eſt potentiſſima.

Celſo medius ſtans aggere fatur.

Ideò ait Æneas pro ſe *Iouem ſtare*, quia ſtaret pro ſe religio, & pietas; ſtabat autem pro ſe religio & pietas, quia, ne iuſiurandum violaret, Latinis pepercerat, ſolo inſtans Turno, quorum ſingulare certamen iurauerat ſe initurum: quare

98

Vbi religio ibi & Deus.

Nec pede cōngreſſos, nec equo, nec tela ferentes
Inſequitur.

Nùnc verò conſequenter & verè ait;

Iuppiter hàc ſtat.

Quia vbi Religio & Pietas, ibi & Deus, religionis & pietatis vnicè amator. Zerdæ Nota eſt. *Nulla ſit* (inquit) *mora meis dictis, quia Iuppiter hàc ſtat, id eſt, ſtat Iuppiter pro religione, quam fœdifragi læſerunt.*

99 Aliam hîc Iulius ſcaliger interpretationem commentatur. *Iuppiter hac ſtat, id eſt, hic eſt modus, hac via imponendi fatis finem:* apud Zerdam in explic. Quaſi dicat Æneas; cum ad religionem & pietatem confugimus, ad Deum confugimus: hæc certa via eſt, quæ fortunatum dabit his ambagibus exitum, & finem fatis imponet feliciſſimum.

Religio & pietas felicem rebus exitum affert.

100 Quod erraſti diu, vnico potes breuiter ſano reſarcire conſilio.

Videtur

Videtur Æneas longè ab ſcopo in hac belli expeditione aberraſſe, quoad vſque induxit animum vrbem, belli cauſam, euertere. Hoc credit nunc ille conſilio ſe poſſe breuiter, quod errauerat diu, reſarturum.

Quod diu erratum eſt, vnicum ſolet breuiter reſarcire conſilium.

> *Vrbem hodie, cauſam belli, regna ipſa Latini,*
> *(Ni frenum accipere, & victi parere fatentur)*
> *Eruam, & æqua ſolo fumantia culmina ponam.*

Hodie dixit, breuitatem euentûs in arrepto bono conſilio reponens. Pulcherrimè Donatus, vt aſſolet. *Diu, inquit, errauimus, nec malorum omnium, quæ eſſet principalis cauſa, potuimus noſcere: fiat ergo celeriùs, quod tardiùs viſum eſt. Exſcindenda eſt hodie ciuitas, cuius adhuc incolumitate victoria noſtra differtur.*

A victore leges præcipiuntur, non à victo. Hoc queritur victor Æneas de victo ferè Turno. 101

Victor præcipit leges, non victus.

> *Scilicet expectem libeat dum prælia Turnus*
> *Noſtra pati? rurſuſquè velit concurrere victus?*

Vbi Donatiana paraphraſis. *Si cogor ſuperati hominis arbitrium ſequi, cur non ipſi ſentiant vim, potentiamquè victoris?* Rationi magis conſonum eſt ſecundum, quàm primum.

Eſt ita ſanè, vt remota cauſa, remoueantur effectus. Ideo Æneas Turnum cupiebat inuadere & vincere, tragœdiarum cauſam, caput malorum. Sic Donatus intelligit carmen illud de Turno, 102

Amotâ cauſâ, remouentur effectus.

> *Hoc caput, ô ciues, hæc belli ſumma nefandi.*

Feriendum eſt (inquit interpres) *malorum noſtrorum caput; reliqua poſt eius ſupplicium parem ſortientur interitum. Reddenda eſt nefarij belli ſumma, vt conquieſcat penitus, quod ex ipſa per ſcelus emergit & pullulat.*

Conſule lib. 2. num. 39. vbi in illa Carmina, 103

> *Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes*
> *Dant cuneum, denſâquè ad muros mole feruntur.*

Expenditur, quantum Superiorum valeat humanitas inferioribus exhibita.

Superiorum humanitas felices ſortitur effectus.

Pulſauit Latinos âduerſa ſine intermiſſione, fortuna; feſſis nâmquè laborum cumulus accidit Reginæ ſuſpendium. 104

> *Accidit hæc feſſis etiam fortuna Latinis,*
> *Quæ totam luctu concuſſit funditus vrbem.*

Regina nâmquè

> *Nodum informis lethi trabe nectit ab altâ.*

Aduerſa, ſine intermiſſione, fortunam quis non extimeſcat?

Tunc verè (ait Donatus) *fortuna probatur inimica, cum malorum aſperitas nec lenitur, & cumulatur aduerſis.* Formidanda omninò fortuna eſt, quæ ſine intermiſſione premit & vrget. 105

Fœmina, præſertim nobilis, ſua extrà tecta vagari non decet; nulla ferè cauſa huiuſmodi honeſtat exceſſum. Expendit Donatus, quod de Amata Virgilius,

Sua intra tecta fœmina ſit, præcipuè nobilis.

Tectis venientem prospicit hostem.

Non inaniter *Tectis* dixit. *Non iuit ad alienam domum, sed sua tecta conscendit.* Sic Donatus.

106 Fœminarũ curiositas exitialis. Miseram Amatam! curiositate ducta ex solario voluisti prospectare venientes Teucros, carò curiositatem emisti, vità nimirùm.

Regina vt tectis venientem prospicit hostem,
Incendi muros, ignesquè ad tecta volare, &c.

Metus illam curiosam fecit (ait Donatus) & qui eam ad solarium, vel fenestram perduxit, vitam turpis laquei nodo subtraxit.

Et nodum informis lethi trabe nectit ab altâ.

Ecce (ait interpres) *curiosam fecerat metus; & quamuis non iuit ad alienam domum, sed sua tecta conscendit, tulit illi triste suspendium.* Curiositas te compulit ad fenestras, vnde factum est, vt id crederes, quod nihil minus, Turnum videlicet victum esse, & occisum.

Infelix pugna iuuenem in certamine credit
Extinctum.

Quæ falsa persuasio in causa fuit, vt sibi manus & laqueum afferret.

107 Mala sibi conscientia & accusator est, & Iudex carnifex. Amatæ conscientia ipsamet sibi accusatoris sustinuit partes, & iudicis, & carnificis.

Se causam clamat, crimènquè caputquè malorum;
Multáquè per mœstum demens effata furorem;
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis lethi trabe nectit ab altâ.

Se ipsam accusat *Se causam clamat* &c. seipsam condemnat; *Multáquè per mœstum* &c. sibi ipsa laqueum nectit & inserit: non alienas expectauit manus, sibi ipsa carnifex fuit, *Et nodum informis lethi* &c. Præclarè Donatus. *Ipsa prosequuta est accusationem suam; ipsa iudicis officium tenuit; in executione sententiæ suæ ipsa carnificis partes impleuit.* Sæuum nimis tribunal est iniquæ conscientiæ, sine alio teste, iudice, & tortore ipsa damnatur.

108 Qui in maiora se conijcit, minora nõ curat. Moritura iam Amata Regina regalem purpuram discidit,

Purpureos moritura manu discindit amictus.

Manum sustine Amata furentem; quid purpureos amictus, regiæ dignitatis insigne discindas & laceres? pretiosi sunt, regales sunt. Sed quid minora curet illa, quæ maiora contemnit? quid de veste pretiosa laboret, quæ nihil de vità moratur? Pulchrè Donatus. *Discidit purpuream vestem, perindéquè pretiosam: quid enim de speciei merito cogitaret, qua ipsam salutem suam mortis destinatione contempserat?*

109 Dignũ Vanitatis sepulchrum est aër. Dignum sanè Vanitatis sepulchrum est aër. Vanitatis vitio laborabat Amata, quia fœmina, quia Regina, quia ad id vsquè temporis fortunata. Felicitas, dignitas, sexus illam fecerunt obnoxiam,

xiam, & famulantem Vanitati. Dignum ergo ſepulchrum vana mulier inuenit, aërem.

Et nodum informis lethi trabe nectit ab altâ.

Breui ſcholio Donatus in hunc ſenſum acutè. *Funus ſuum pendulum fecit.* Quæ pendula moribus fuit, pendula funere ſit. Non aliud Vanitati Mauſolœum, quàm pendulum erigatur.

Turpi Amatâ ſuſpendio finitâ, quæ prima fuerat in tantâ clade Lauinia, prima etiam in dolore fuit, in luctu prima; 110 Qui primus in clade, & in luctu ſit primus.

Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roſeas laniata genas.

Prima, inquit Maro. Quod expendit præclarè Donatus. *Prima, ait, veſtis indumenta diſrupit, prima laniauit faciem ſuam. Ipſa enim debuit primitùs dolere, & luctibus grauiùs commoueri, ad quam materni funeris acerbitas ſpecialiter pertinebat.*

Turni videtur eſſe laudatio, quod Virgilius ait, 111 Vituperatio ſæpè eſt, quę videtur eſſe laudatio.

Intereà extremo bellator in æquore Turnus.

Bellatorem vocat, cum palantes ſequitur paucos, cum ſingulare cum Ænea certamen ſubterfugit. *Detrahentis animo hoc dictum eſt,* inquit benè Donatus. Sæpè námque vituperatio eſt, quæ videtur eſſe laudatio. Illum deprimit, cum videtur attollere.

Hoc miſerum putabat, & verè, Turnus; in eodem loco fugientem ſe victúmque videri, vbi non ſemel paulò ante victor extiterat. Sic ille; 112 Miſerũ eſt, eodem te loco victum conſpici, vbi victor extitiſti nõ ſemel.

Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?

Emphaticè proferenda illa ſunt verba. *Et Turnum fugientem hæc terra videbit?* Hæc, quæ Turnum ſæpè victorem vidit, eundem nunc fugientem videbit? Benè Landinus. *Quid magis ignominioſum, quam fugere in eâ regione, in quâ toties victor euaſerit?*

Contumeliam putat Seruius illam à Sage impactam fuiſſe Turno, cum illum proprio nomine appellat tunc temporis, cum Ducis muneri non ſatisfaceret, 113 Superiorem ſuo appellare nomine, cum Superioris muneri nõ ſatis facit, contumelia eſt.

Ruitque implorans nomine Turnum.
Turne, in te ſuprema ſalus, miſerere tuorum.

Contumelia eſt (inquit) *tunc ſuperiorem vocare.* Et adducit in hanc rem illud Georgic. 4. vbi Ariſtæus,

Mater Cyrene mater,

Cum præmiſiſſet

Te crudelem nomine dicit. Quæ cum Mater eſſet, nato tamen ferre neglexiſſet auxilium.

Hoc in Turno vitium taxauit Sages, qui mollitiem, belli tempore, quæreret. 114 Belli tẽpore vitium eſt aucupari mollitiem.

Turne, in te ſuprema ſalus, miſerere tuorum.
Fulminat Æneas &c.

Et concludit ;

Tu currum deserto in gramine versas.

Quasi dicat ; Nunc delicias quæris , cum hostis fulminat, à cuius furore tuos tu defendere debuisses. Vbi ergo mollities ? vbi deliciæ? ibi , inquit Donatus , *Tu currum versas* ; & ibi , *deserto in gramine. Versare est* , (explicat hic interpres) *currum non celeriter ducere , sed rotam lentiùs voluere* ; *& delicato , inquit , rotarum motu currum segnius trahis. Addidit deserto in gramine* ; *delectat te mollities graminis, vbi sine impulsu,ac strepitu tecum rota versantur. Benè!*

115 Æquis non poterat , nec debebat, oculis Turnus Latinos intueri, quibus perperam consuluerat , quibus ex munere accurate debuerat consuluisse. Quare primam hanc putat Donatus pudoris causam Turno fuisse ;

Qui sibi nō cōsulit,cum debeat, quibus te potest intueri oculis?

Æstuat ingens

Imo in corde pudor.

Prima fuit (ait Donatus) *pudoris causa.* (rectè hanc primam assignat) *Quâ enim fronte veniret ad suos desertor commodi sui , & inflictus tot malis ?*

116 In magno erant latinæ res periculo positæ , Rex , Ciuitas , Rutuli discrimen subibant. Non dispicit Turnus , quâ illas ratione possit meliorem in statum reuocare , quare insanit.

In graui discrimine mētem turbat, imò adimit , remedij difficultas.

Æstuat ingens

Imo in corde pudor , mixtoquè insania luctu.

Hîc Donatiana paraphrasis. *Secunda causa fuit Insania , quæ oriebatur ex eo, quòd conualescentibus adversis non valebat occurrere.*

117 Is interdum hostibus solet esse animi sensus de adversarij laudum commemoratione magnificâ , vt à se abeant , & præ dolore mentem amittant. Vnde putas insaniam Turno prouenisse ? sic enim de illo. Virgilius.

Tuarum prædicatione laudum tuus hostis insanit.

Æstuat ingens

Imo in corde pudor , mixtoquè insania luctu.

Zerda existimat hinc proculdubio Insaniam huic Duci accidisse , quòd honorificentissima Sages de Troiano retulerit ;

Fulminat Æneas armis , &c.

Adest (verba sunt Zerdæ in Explicatione huius tractûs) *Turno insania ab prædicatâ hostili virtute verbis magnificis , quibus dictus Æneas Fulminator.* Insaniæ tuæ causa , aliena sæpè laus est.

118 Ideò Virgilius vltimo loco posuit , inter Turni clades , virtutem eius oppressam , vt earum incremento veniretur ad cumulum.

De oppressa virtute vir fortis acri dolore concutitur.

Æstuat ingens

Imo in corde pudor , mistoquè insania luctu,

Et furijs agitatus amor , & conscia Virtus.

Expendit præclarè Zerda locum hunc. *Ingens est Poëta in his versibus. Æstuat ingens pudor in imo corde , vt qui audierat , Tu currum*

currum deserto in gramine versas. Deinde adest insania ab prædicata hostili virtute verbis magnificiis, quibus dictus Æneas Fulminator. Tertiò est luctus, ex indigna Amatæ morte. Quartò amor, isque furijs agitatus ab desperatione nuptiarum Lauiniæ. Quintò demum stimulat hominem Virtus conscia; nam creditus voluisse aut fugere, aut detrectare singularem congressum cum Ænea. Cumulus ergo calamitatum est *Virtus oppressa.* Quod expresse Donatus. *Cumulabat omnium malorum congeriem Virtutis conscientia, quæ tot adversis simul oppressa respirare non poterat.*

Grauis quæquè turbatio eas Vmbras menti solet inferre, vt dispicere nihil possit, aut cernere. Tales Turni obortæ sunt animo tragica Sagis narratione, quæ abscessère paulatim; 119 Turbatio mẽtis, mẽtis est vmbra.

Vt primum discussæ vmbræ, & lux reddita menti est.

Vbi grauiter Donatus. *Pulchrè dixit vmbras animi; vbi enim perturbatus fuerat vel maximè plurimis malis, tanquam in tenebris positus, non videt quid agat, nec inuenit viam, quâ se posset exsoluere.*

Potentissimus sanè est amoris affectus. Circunstant Turnum millena pericula, totidem premunt curæ, & grauissimæ curæ: & tamen illa potior est Cura, erga Lauiniam Amor; nam post tragicam Sagis relationem, illud sequitur; 120 Amoris affectus potẽtissimus est.

Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit, Turbidus.

Illuc mentem intendit & oculos, vbi amoris incentiua sui Lauinia morabatur. Sic enim interpretor *Ardentes* oculos, amantes nimirùm, ardentes amore. Vel bellicosum hominem non tunc temporis ad præclarè facta Mars rapuit, sed totum ad delicias Amor abstraxit.

Non semel est experientiâ compertum; dum alteri iniuriam conaris inferre, ipsemet tibi eam inconsulto sæpè infers. In hunc ego sensum accipio Virgilianam illam Comparationem de Venatore cane, qui. 121 Dum alteri iniuriá conaris inferre, tibi sæpè ipsemet infers.

Hæret hians, iam iamquè tenet, similisquè tenenti
Increpuit malis, morsuquè elusus inani est.

Dentes dentibus elidit elusus, qui dentibus prædam ventriquè quærebat, eam sibe ipse parat iniuriam, quam ardebat inferre. Donatum crediderim huic morali explicationi fauere; sic enim ille: *Sic fallitur auitate retinendi, vt dentes dentibus feriat, cum media præda defuerit.*

Iure Turnus ad Fauni Tellurisquè auxilium graui positus in discrimine confugit, quos sæpè fuerat prosequutus obsequijs. 122 Iure ad illũ cõfugis, qui tua sæpè sensit obsequia.

Faune, precor, miserere, inquit, Tuquè optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores.
Quos contrà Æneadæ bello fecere prophanos.

Præclarè hîc Donatus. *Iusta vox pro persona loquentis, ait enim, Faune, & præsens Terra miserere contra eos, qui vos quoquè crediderunt bello esse appetendos, & cultus vestros ausi sunt prophanare.*

Per occasionem certaminis nostri non recipiat Æneas ferrum, nec sinatur excludere quod in exitium vestri cultoris extorqueat.

123 Rem sacram violauere Troiani, cum arborem sacram Fauno, vt puro pugnarentur campo, ceciderunt, quâ seruati ex vndis votas solebant vestes, & dona suspendere.

Iniuriam illatam Superis vel creaturæ vlciscuntur inanimes.

Seruati ex vndis vbi figere dona solebant
Laurenti Diuo, & votas suspendere vestes.
Sed stirpem Teucri, nullo discrimine, sacrum
Substulerant, puro vt possent concurrere campo.

Luant ergo Troiani debitas pœnas; & cum in Turnum telum intorquet Æneas, truncus hic ictum excipiat, hastamquè retineat; nequè discludere morsum Troianus possit, quamuis telum anxius conetur eripere.

Hic hasta Æneæ stabat, huc impetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.

Incumbit Æneas, sed frustrà incumbit,

Incubuit, voluitquè manu conuellere ferrum
Dardanides, teloquè sequi.

Pœnam à Superis inflictam Troianis esse Turnus agnoscit, & sic precatur;

Faune precor miserere, inquit, tuquè optima ferrum
Terra tene.

Ita profectò factum est, vt per inanimem truncum illata Superis reponeretur iniuria. Auditus est Turnus, tunc discriminum euasit,

Dixit, opemquè Dei non cassa in vota vocauit,
Namque diù luctans, lentoquè in stirpe moratus,
Viribus haud vllis voluit discludere morsus
Roboris Æneas. Donatus pulchrè num. sequenti.

Quæ in Dei contemptum homines perpetrant, vel vindice trunco reponuntur!

124 Aut in hoc euentu illud expende; Quæ tibi res fuit instrumentum ad culpam, eandem ipsam deseruire ad pœnam. In arbore illa Troiani impij commisere piaculum, in eâdem illâ inuenere supplicium. Quod vidit acutè Donatus. *Tenebatur, inquit, hasta Æneæ illius præcisa arboris morsu; illius, inquam, vt ipsa sacrilegij vindex esset, quæ crimini interfuisset.* Morsus ille fuit; vindicantis proculdubio morsum crediderim.

Quæ tibi res fuit instrumentum ad culpam, ea ipsa deseruit ad pœnam.

125 Notauit Landinus in illa carmina, in quibus Iuno, vel victa iam, precatur à Ioue,

Ambitiosi, etiam victi, aliquid petere contrà fas audent.

Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum,
(Cum iam connubijs pacem felicibus, esto,
Component, cum iam leges & fœdera iungent,)
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrosquè vocari.
Sit Latium, sint Albani per sæcula Reges.

In

In hæc,inquam,carmina notauit Landinus, ambitiosorum impudentiam ostēdi,qui etiam victi petere aliquid cōtrà fas audent.*Ostendit Poëta*,(Landini verba sunt,)*impudentiam ambitiosorum, qui etiam victi aliquid contrà fas petere audent.* Ambitiosa semper habita Iuno est,atquè adeò ambitiosorum Dea,quare & Aëris Dea,& eius currum trahere Pauones dicuntur, qui ambitionis sunt hyerogliphicum. 126

Iuppiter ad Iunonem iracundiarum retinentricem sic. Quò nobilior quis,eò irarum retinentior.

Es germana Iouis, saturniquè altera proles,
Irarum tantos voluis sub pectore fluctus.

Irarum eius causam ait esse,quòd Iouis germana sit,& filia Saturni. Innuente Poëtâ,Quò nobilior quis est,eò irarum esse retinentiorem.Quod præuisum à Seruio notauit Zerda in Explicatione.*Retines iras,voluisquè illas sub pectore,tāquam fluctus ; tum quia germana es Iouis,tum quia Saturni post me filia.* Addit deinde. *Innuit videlicet nobilissimos, & verè regios retinentissimos esse irarum.* Hunc locum obscurum esse, ait Seruius ; sed hoc sensu facilè & feliciter expeditur.

Quàm sæpè videas mala iunctim venire , vnicum rarò ! & pede quàm properanti ! imò volanti pennâ ! Ingeniosè satis Donatus has duas malorum proprietates expendit eò loci, vbi Virgilius, Diras describens , sic ait ; 127 Sociantur mala : rarò vnicum inuenitur, aut lentum.

Dicuntur geminæ pestes,cognomine Diræ ,
Quas & tartaream Nox intempesta Megæram
Vno, eodemquè tulit partu, paribusquè reuinxit
Serpentum spiris, ventosasquè addidit alas.

Vno atquè eodem partu,inquit.*Quàm detestabilis nascendi cōditio!quæ triplex malum semel effudit, & omnes diris anguibus vinxit ! Omnibus alas attribuit!vt in exitium hominum,& substantiam nocendi haberent, & celeres pergerent.*Sic Donatus. Hispanè dicimus,*Bien vengas mal,si vienes solo* , quia videlicet rarò vnicum,sæpius sociata in hominū perniciem armantur:Et ne illa in nocēdo lentescant,adduntur *alæ* & *ventosæ alæ*,quæ natiuam nocēdi celeritatem impulsæ vento promouebāt.

Donatus expendit vnam tantum ex Diris missam ab Ioue , quæ multa misera impleret & tristia. 128 Ad quascunquè clades malus sufficit vnus.

Harum vnam celerem demittit ab æthere summo
Iuppiter.

Quare ex duabus vnam tantùm! Tanta enim (verba Donati sunt) *vtriusquè natura,tāquè detestabilis fuit,vt implēdis tot tristibus vna sufficeret.* Ad quæcūquè tristia nequā sufficit vnus. Recurre ad lib.7.Et videbis ab Alecto vnū cōiectū esse ex crinibus anguē, vnum,inquam, non plures, qui multa posset solus miscere tragica, & exequi misera.

Vnum de crinibus anguem
Coniicit.

Vbi decurtatus Donatus sic. *Quia vnum ad perditionem præsentium arbitrata est satis esse.* 129 Malus ad malū currit

Quando vnam è Diris ad Iuturnam Iuppiter misit, illa actu-

etiam iniuſ-ſus.

tùm, ſine mora.

Volat, celeriquè ad terram turbine fertur.

Quærit opportunè Donatus, quare tanta celeritate dicatur Dira veniſſe vt & *volare*, & *celeri turbine* ferri Virgilius expreſſerit? & ingeniosè reſpondet: mirum non eſſe Diram volare, & ſumma rapi celeritate cui peſſima eſſet immaniſquè natura, & ad nocendum mitteretur; prauum enim ingenium ita in damna & detrimenta propendet aliena, ita in quodcunquè malum paratum eſt, vt vel iniuſſum, præuisâ nocẽdi occaſione, rapiatur in malum, in damna feratur; & quaſi ſibi de oblata nocendi occaſione blandiatur. *Volat* (inquit) *& celeri fertur turbine, vtpotè quæ ducebatur immani ſuâ naturâ, & iuſſionis impulſu.* Eſto, deeſſet iuſſionis impulſus, ad quemcunquè immanis natura impellebat effectum; quid ſi vtrumquè iungatur?

130 Ingens metus ſignificatur.

Vt grauiſſimum Turni metum ſignificaret Poëta maximus, Expendit Donatus non illum dixiſſe *ſteterunt capilli* vt ſæpè alias, ſed, *Arrectaquè horrore comæ* quod eſt longè ſignantiùs. Illum audi. *Leue fuit; ſi diceretur, quod vulgò dici conſueuit Steterunt illi capilli, quod frequenter contingit, cum aliquo mouemur horrore; ſed ait, Arrectæ ſunt comæ; capillorum quippè ſignificatio breuitatem attonſam ſignificat; comæ verò prolixitatem monſtrant, quæ propter longam mollitiem ſtare non poſſunt. Et tamen cum ingens metus deſcribitur, etiam ipſæ ſtare dicuntur, licè ſtare non poſſint: vt contrà naturam maior vis terroris hoc facere videatur.* Sic Donatus.

131 Sæpè ſãguinis & carnis affectus tẽporalibus æterna poſtponit.

Hic carnis affectus & ſanguinis eò Iuturnam adduxit, vt æterna temporalibus poſt haberet. Sic enim illa, ab Ioue iam immortalitate donata, præ dolore ſaucia proloquitur, quòd Turno fratri ſubuenire prohiberetur à Ioue.

Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta eſt
Conditio?

Et deinde.

Immortalis ego? haud quidquam mihi dulce meorum
Te ſine frater erit.

Quaſi deſpiciat illa & deſpuat immortalitatem ſuam præ ſubventione fraternâ. Pulchrè Donatus. expendit in paraphraſi. *In contrarium Iuppiter vertit, quod mihi pro munere, beneficioquè conceſſum eſt, quando nec fratri ſubuenire, vt mortalis, poſſum; nequè interire cum fratre, quæ ſum nata mortalis. Immortalis, inquit, dicor; inde infelix, vnde me beatam exiſtimant alij; non honor eſt iſte, ſed pœna.*

132 Vel in extremi amoris nequam viuit affectus.

Mortem Turnus præ oculis habet, iam, quæ præcurrunt mortem, accidentia circunſtant, ſiquidem

Genua labant, gelidus concreuit frigore ſanguis.

Et tamen eò torquet oculos, vbi ſui pignus amoris eſt, Lauinia, quo & ipſe torquetur. *Adſpectat & vrbem.*

Nota acuta Donati. *In deſperatione ſalutis reſpiciebat ciuitatem, quia illic Lauinia fuit.* Penè iam ſub haſta & furore victoris eſt Turnus, telo ſaucius amoris; necis oblitus, quæ inſtat ſibi à Troiano

vitam putat, si vrbem adspectet, vbi Lauinia commoratur. Vel in media iam morte hic viuit affectus! Vide suprà num. 20.

Sub læthali iam ictu Turnus, quē ab Troiano telo tremiscit, neque se subtrahit, neque tuetur, sed *metu cunctatur*, dubius omninò quid agat, an resistat, an vitare hastæ ictum conetur, 132 Necessitas ingeniosa est.

Cunctaturquè metu, telúmquè instare tremiscit.

Acutè Donatus ait, à præsenti necessitate illum mutuatum esse ingenium. Voluit enim meticulosâ (vt ita appellem) cunctatione victorem conciliatum sibi habere post ictum, apud quem fundendæ à se preces suum habere momentum possent ac pondus, hâc summissione præmissâ. *Dubitabat telo resistere* (Donatus breuiter, sed non leuiter) *aliquid meriti futuris precibus seruans.* Affectauit in necessitate timorem, vt locum suis precibus, futuris sub victoris ictu, pararet. Ingeniosè sanè!

Sępè nobis maior est ab infelicitate felicitas. Id hoc loco velim expendas, vbi voluit Poëta maximus Æneæ telo, quod ipse in Turnum coniecit, necis effectum defuisse, grauis adfuisse vulneris, quod est fœmori inflictum; *Per medium stridens transit femur.* 133 Sæpè nobis maior est ab infelicitate felicitas.

Æneas autem in Turni necem hastam omninò direxit; nam

Volat atri turbinis instar

Exitium dirum hasta ferens.

Ab hac hastę parũ felici ictu, felicissimus paratus est exitus, & lõgè maxima omninò felicitas. Quænã hæc. Hasta hominē vulnerauit, nec interfecit, vt viuus hostis & supplex reseruaretur ad preces, & fateretur se victum inspectante vtroquè exercitu, & corã ipso victore; quę sũma omninò illius laus fuit, adeóquè felicitas. Ita ingeniosè Donat. *Magnum Poëtæ inuentum! vt hastam non in eam partem corporis, quæ lethalis esset, diceret peruenisse; sed in eam, quæ superaret hostem, & tamē viuum seruaret ad preces. Quippe ipso fuit supplicio peius, propriâ voce confiteri se victum, & hostem suum pronuntiare victorem, omnibusquè se dignum pœnis, qui esset cum fortiori congressus.* Errauit hasta, sed optabilis error, qui egregiam maximè peperit felicitatem Troiano:

Si non errasset, fecerat illa minus,

Quod Martialis lib. 1. de Scæuolæ dexterâ; vbi videndus est eruditissimus Raderus Societatis I E S V tanto autore dignus interpres. Nota non magni æstimandam fuisse victoriam, cui fatentis hostis, se victum, vox hæc quasi cumulus deesset; nam, vt ait Ennius,

Qui vicit, non est victor, nisi victus fatetur.

Duplici ex parte peccabat Turnus, quà Fortis, quà Amans; peccabat, inquam, quia Fortis gloriosus, quia Amans amens. Primum sæpè vitium ostendit, præsertim in hoc libro. 134 In quo quis peccat, punitur.

Sedeant, specténtquè Latini,

Et solus ferro crimen commune refellam.

Phrygio mea dicta Tyranno

Haud placitura refer inquit ad Idmonem,

Et sæpè alias. Secundum deprehenditur, vbi visâ Lauiniâ,

Illum turbat amor, figitquè in Virgine vultus.

His duobus ergo claudicabat affectibus. Rectè igitur in eam partem, vbi culpa fuit, incumbit & pœna. Quæ illa pars? *Femur*: nam Æneæ hasta *Per medium stridens transit femur.*

Femur & Fortitudinis sedes est, & ardoris impuri. Quare cum ex vulnere concidit, ab eâ concidit parte, quâ peccauerat, quâquè vulnus exceperat,

Incidit ictus

Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

Pulchra Donati commentatio in hunc locum; *Incidit, dixit; in eam tantùm partem concidit, quâ fuerat debilis redditus; nam diceret, Stratus est, si toto corpore iacuisset.* Debilis pars effecta fuit femur, quæ fuerat & peccans; & ibi ferri vulnus infligitur, & imponitur pœna, vbi priùs peccati vulnera extiterant, & culpa consederat.

135 Dum tuam tu gemis infelicitatem lætum hostibus spectaculum præbes.

Cadit Turnus graui vulnere saucius, statimquè Latini sui consurgunt gemitu, & Ducis miserum exitum prosequuntur;

Consurgunt gemitu Rutuli.

Consequens fuit, vt & hostes Troiani lętarentur: nō tamen exprimitur à Poëta horū lætitia, quia ita naturâ comparatum est, vt dum tuam tu, dum tuam tui gemunt infelicitatem, lætum hostibus spectaculum præbeas. Quod notauit Donatus. *Si Rutuli gemitus dabant, intelligi par est, in illis vocibus alacritatem fuisse Troianorum.*

136 Ficta humilitas fructū non habet.

Veræ fructus humilitatis est, quod petit, impetrare; fictæ verò; nil assequi. Fictum se exhibuit humilem Turnus sub hastâ victoris;

Ille humilis supplex oculos, dextrámquè precantem
Protendens.

Humilis corpore (ait Donatus) *& fastu reiecto, quò anteà ferebatur.*

Externa illa Turni humilitas fuit, non interna; corporis, non cordis; habitu illa tenùs & gestu, non ex animo, vbi adhuc elatio regnabat & fastus; quare voti compos non fuit, vt ab Troiano misericordiam assequeretur, nam sequitur;

Tu ne hinc spolijs indute meorum
Eripiare mihi?

Non ita. Fictam ego humilitatem nequaquam probo; vanam depressionis speciem non admitto,

Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

En fucata perdidit lucrum humilitas, (ait non imperitus in margine Anonymus) *quæ vera potuit à pio extorquere lucis vsuram.* Si vera fuisset, potuit à pio homine, vel suo iure fructum extorquere, vitam nimirum, quæ fictæ meritò negata est.

137 Quod aliena tibi vo-

Suâ sæpè Superbia trutinâ fallitur. Quod aliena tibi voluit animi elatio detrahere, cumulatissimè idem sæpè inuita reponit. Magna Turni Superbia fuit, quando lacessit Æneam, audi illum;

Nuntius

Nuntius hæc Idmon Phygio mea dicta Tyranno
Haud placitura refer, cum primùm crastina cœlo
Puniceis inuecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos; Teucrûm arma quiescant
Et Rutulum: nostro dirimatur sanguine bellum;
Illo quæratur coniux Lauinia campo.

luit Superbia detrahere, cumulatissimè sæpè inuita reponit.

Et paulò Superius.

Nulla mora in Turno, nihil est, quod dicta retractent
Ignaui Æneadæ, nec quæ pepigere recusent.
Aut hâc Dardanium dextrâ sub tartara mittam
Desertorem Asiæ, &c.

Vide quantum detrahat Æneæ Turni superbia. Considera nunc quantum ipsa, quámquè cumulatè ad Æneæ pedes inuita reponat.

Equidem merui, nec deprecor, inquit.
Vtere sorte tua
Vicisti, & victum tendere palmas
Ausonij videre, tua est Lauinia coniux.

Ingeniosè Virgilius viuum Turnum reseruauit, vt sub hastâ dextrâquè victoris, quod superbus illi detraxerat, cumulatissimè ipse vel inuitâ voce reponeret. Quod vidit Donatus. *Viuum Poëta hostem seruas ad preces; quippe ipso fuit supplicio peius propria voce confiteri se victum, & hostem suum pronuntiare victorem, omnibusquè se dignum pœnis, qui esset cum fortiori congressus.*

Vel grauissimam tunc maximè tuam culpam leuas, cum tu illam 138
ipse aggrauas. Quòd suam Turnus apud Æneam exaggeraret, ita illam leuauit, vt à victore, quantum in victore fuit, veniam assequeretur. Audi confessionem,

Dùm tuam aggrauas culpã, tùm maximè leuas.

Equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere sorte tuâ.

Vbi Donatiana paraphrasis. *Ego, inquit, quod patior, merui, nec veniam peto; sic enim peccaui, vt hanc mereri non possim.* Leuauit dum aggrauat; leuauit, inquam, illam & pondere, & supplicio; nam

Stetit acer in armis
Æneas voluens oculos, dextrámquè repressit.
Et iam iámquè magis cunctantem flectere sermo
Cœperat.

Quàm in alienis laudibus, etiam in ijs, de quibus ambigi nullo 139
modo potest, parca & maligna Superbia est! Clara Æneæ ab Turno victoria fuit, nequè illam tamen clarè Turnus fatetur. Quid victus ad victorem?

Alienæ laudis parca Superbia est.

Vtere sorte tua.

Sortem vocat, non virtutem; casum appellat, non meritum. Acutè Landinus. *Vtere sorte tua, inquit. Non concedit plenam illi victoriam; non enim dixit, Vtere fortitudine tuâ, sed fortunâ, quæ tibi magis quàm virtus fauit.* Vel in summo discrimine à suo Superbia more non abit.

140 Nunquam est Parentum cura dimittenda nobis, dum spiramus. Iam Turnus est sub acie ferri victoris, nec parentis oblitus & honoris & vitæ;

Parentum habenda tibi cura est, dum adhuc spiras.

Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro, (fuit & tibi talis
Anchises Genitor) Dauni miserere senectæ.

In hunc sensum Donatus interpretatur hunc locum. *Potest & sic, vt salutem patris senis, & orbati commendasse videatur, ne quasi pater hostis necaretur.* Pia de filio in Patrem interpretatio?

141 Aliud hîc cape documentum morale; Vitio filiorum sæpè Parẽtes vrgeri, non suo. Id ergo Turnus præcauet necandus ab hoste;

Filiorũ vitio sæpè parentibus iniuriæ inferuntur.

Dauni miserere senectæ.

Ne senex Pater ferat filij vitio, quod ipse non ausus, nec potuit. Tota in me pœna incumbat, cui adscribitur culpa. Donati verba numero immediatè Superiori laudata hùc aptissimè faciunt.

142 Notat Landinus in hac rerum difficultate, & extremâ necessitate positum Turnum ingeniosum omninò fuisse, & perspicacem. Quid hîc ille ad Æneam?

Ingeniosa & perspicax necessitas est.

Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, Dauni miserere senectæ.
Equidem merui, nec deprecor inquit.

Artificiosè agit (Landini verba) *Et primò permittit mortem suã sibi; qua res videtur posse vehementer hosti misericordiã commouere. Deinde cum persona sua odiosa sit, interponit personam parentis, quod validissimũ esse poterat, præsertim apud eum, qui in patrem pientissimus fuit. Miseri, inquit, parentis senectæ. Commiseratio ab statu, quòd miser; & à sanguine, quia parens; & postremò ab ætate, quia senex.* Vidẽ quàm ingeniosum illum necessitas fecit! Procùldubiò necessitas acuit ingenium.

143 Accidit sæpè, vt, dum pro beneficio æstimas, quod ferè debitũ est, gradũ facias ad altiora. Hac arte vsus est Turnus, cum Æneam precatur, vt suum spoliatum lumine corpus reddat Latinis, ne sepulturæ careat honore, quòd inter ipsos etiam hostes penè debitum est, vt vel sic quod maius est, hoc est, vitam extorqueat à victore.

Dum pro beneficio æstimas, quod penè debitũ est, gradum facis ad grandiora.

Et me, seu corpus spoliatum lumine mauis
Redde meis.

Pulchrè Landinus. *Dum precatur, vt reddat cadauer, potest flectere vt condonet vitam.* Hoc ille tentauit, sed frustrà tentauit.

144 In tuis laudibus nullum maius est testimonium, honorificentius nullum, quàm quod aduersarius vltrò deponit & profert. Tale illud quod de Ænea Turnus ad Æneam.

Aduersarij testimoniũ omni est exceptione maius in laude.

Vicisti

Vbi Landinus: *Magna est laus, quod victi testimonio victor euadat.*

145 Pungebat maximè Turnum Troiani victoria, ideò voces illas, quæ animum torquent, inculcat, *Vicisti, & Victum.*

Sæpè id reperis, quod te pungit.

Vicisti, & victum tendere palmas
Ausonij videre.

Ex nimio ſenſu doloris orta eſt repetitio illa vocum *Viciſti, Victum.* Præclarè Landinus. *Viciſti & victum cum ſummo gemitu pronuntiantur. Non enim mouetur morte vir fortis, ſed quòd victus ſit.*

Quàm ſæpè humana conſilia falluntur! quàm alio euentu, ac 146
ſperabat, res cadunt! quàm in dedecus deſinit tuum quod parabas in gloriam! Hanc fallaciam fortunæ paſſus eſt Turnus, quando in Latinorum ſuorum conſpectu, apud quos futuram ſibi gloriam augurabatur, ſibiquè promiſerat illuſtriſſimam, cum dixit.

Humana ſæpè conſilia falluntur.

> *Sedeant, ſpectentquè Latini,*
> *Et ferro ſolus crimen commune refellam.*

In eorum, inquam, conſpectu, ſe victum fatetur, ſupplices tendit & palmas. *Viciſti, & victum tendere palmas*
Auſonij videre.

Vbi pulchrè Landinus. *Auſonij, inquit, quos ego cupiebam adhibere teſtes meæ victoriæ, teſtes erunt meæ ignominiæ. Videre, quod neque huctenùs viderant, neque viſuros illos vnquam putaram.*

Hoc maximè victum pungebat, imo torquebat Turnum, eoſdem 147
habere Latinos teſtes ignominiæ ſuæ, quos ſæpè, ſuæ habuerat teſtes & laudatores gloriæ.

Miſerū eſt eoſdem eſſe teſtes ignominiæ tuæ, qui quondā fuerunt gloriæ.

> *& victum tendere palmas*
> *Auſonij videre,*

Auſonij, inquit, (Lādinus appoſitè hanc vocem expēdens) *apud quos ſūmam gloriā ex rebus per multa tēpora præclariſſimè geſtis acquiſierā, apud eoſdem momento temporis & illam amitto, & ignominiam ſubeo.*

Præclara eſt hoc loci Seruij nota. 148

> *Atquè humeris inimicum inſigne gerebat.*

Sciendum (ait) *baltheum habuiſſe Turnum ad inſultationem & iactantiam, non ad vtilitatem; vnde eſt Atquè humeris inimicum inſigne gerebat.* Gerebat Turnus baltheum, quem Pallanti occiſo detraxerat ad inſultationem occiſi, & hoſtium pudorem. Idem nunc ad ipſius perniciem, necémquè deſeruit.

Quod malè iactabas ad gloriam, idē tibi ad perniciem deſeruit.

> *Infelix humero cum apparuit alto*
> *Baltheus, & notis fulſerunt cingula bullis*
> *Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus*
> *Strauerat.*

Tunc Æneas ad triſtiſſimi monimenti conſpectum,

> *Furijs accenſus & irâ*
> *Terribilis, Tune hinc ſpolijs indute meorum*
> *Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas*
> *Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine ſumit.*

Baltheus ille, quem victor Turnus malè iactabat ad gloriam, miſerè illi deſeruit ad necem. Non ad defenſionem Turnus vſus eſt baltheo, ſpoliiſquè Pallantis, ſed ad inſultationem, ſuperbamquè iactantiam; inſtrumētum ergo ſit necis, qui nuper fuerat inſultationis, & inferat mortem, qui iactantiam ingeſſit. Hanc Æneæ mentem fuiſ-

ſe in irroganda morte Latino putat Landinus, cum ille ad victum,

Tune ſpolijs indute meorum

Eripiare mihi?

Indutum, dixit, *meorum ſpolijs*, non defenſum, aut tutum, aut quid ſimile, quod defenſionem aut vtilitatem ſignificet: *indutum* ad ſpeciem, & oſtentationem. *Quod non ad tuam defẽſionem* (Landini verba) *ſed ad ſuperbam iactãtiam pertinet.* Ferat ergo iactãtia tua mercedem, & tuũ baltheus moneat & efficiat interitũ, qui illã promouit, & auxit.

149 Hoſtem interficit Turnum Æneas, cum illum gladio tranſverberat; vltionem exequitur, vndictam exercet; illam verò nomine pietatis obtexit. *Pallas te hoc vulnere, Pallas*

Immolat.

Sæpè vindicta pietatis nomine obtegitur.

Expendit pulcherrimè Landinus verbum *Immolat*, quod verbum eſt pietatis & religionis, & cultûs. Pio & religioſo vtitur verbo Troianus, cũ ſuas eſt iniurias vltus in hoſte. *Immolat, inquit, nõ quaſi hoſtem caſũ, ſed veluti hoſtiã, quæ fracti fœderis iuſtiſſimũ piaculum ſit.* Sic Lãd.

150 Ita amoris peſtis viget impuri, vt ad vltimum vſquè halitum mẽtem abſtrahat, rapiat & animum. Expendit ingenioſè Donatus extrema libri huius carmina, vbi Turno.

Ad vltimum vſque halitũ amor viget impurus.

Soluuntur frigore membra,

Vitaquè cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

Expendit, inquam, *cum Gemitu* dixiſſe Poëtam, quia Lauiniam quam intimis fixam medullis haberet, relinquebat: & *Indignatum* Turnum, quia illam victor habiturus eſſet Æneas. Pungebatur amoris aculeis, Zelotypiâ macerabatur, cruentabatur te'o Cupidinis. *Et cum ad vmbras concederet moriens, dolebat tamen Æneæ Lauiniam reliquiſſe.* Sic Donatus. Egregium ſanè in ipſo exitu vitæ dolorem! Sæuus omninò Amoris affectus impuri, quem nec mors ipſa ſæpè auellit, aut temperat! Caue, caue.

151 Claudo huius libri *Flores* notulâ illâ Donati. *Victoria Æneæ, quam ponit in fine operis, perficit, atque abſoluit cumulum laudum Æneæ: quas à principio ad finem omni artificio continuauit.* Sic Donatus nõ integer. Artificioſè Virgilius res præclarè geſtas Æneæ nouiſſimâ hâc victoriâ coronat, quæ ſi deeſſet, mãcæ illæ ferrẽtur, &, vt dicã ſignãtiùs, ingloriæ; nam vltima addit operi victoria Coronidem.

Vltima opus victoria coronat.

Hos ex Virgilij Maronis viridario, cultiſſimo illo quidem, collectos floſculos in faſciculum hunc ſummâ cum animi voluptate conieci. Illos tu, beneuole lector, olfac interdum; halant enim ſemper, halabunt odorem gratiſſimum, nequè Languere vnquam poterunt, viuido ſucco etiam expapillati, exſectiquè nitentes.

Omnia ſub correctione Sanctæ Matris Eccleſiæ, & Doctorum ſpongiâ.

INDEX RERVM OMNIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus Numerus Librum; Secundus Marginalem; Tertius verò Paginam denotat.

A

Clades.

D

Diligentia.

Filij

Ea

Infelicitas.

Iubens.

L

Labores.

Naufragium.

N

O

Naufragium.

N

O

Osculum.

Osculum.

Oratio.

Otium.

P

Parentes. Patres.

Patientia.

Princeps

Illa

R

Rectum ab errore.

Reges.

Regnum.

Religio.

Reprehensio.

S

Quamuis

T

Vituperatio.

Z

Zelotypia.

FINIS.